DISCVSSIO DISCVSSIONIS DECRETI MAGNI CONCILII LATERANENSIS, ADVERSVS LEONARDVM LESSIVM Societatis IESV Theologum nomine *Guilielmi Singletoni* perſonatum.

In qua omnia argumenta, quæ idemmet Leſsius
pro Papali *poteſtate* Principes *deponendi*
ex Iure Canonico, *& decretis* Conciliorum, *atq;* Pontificum, *aliiſque incommodis adducit, dilucidè examinantur, & refutantur:*

Et quædam egregia Illuſtriſsimi *Cardinalis Peronij* artificia perſpicuè deteguntur & refelluntur.

A ROGERO WIDDRINGTONO
Catholico Anglo.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Omnes Populi clamauerunt, & dixerunt,
Magna eſt veritas, & præualet. 3. Eſdr. 4.

AVGVSTAE,
Apud IOAN. LIBIVM. Anno 1618.

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

1 DIſtuli vſque in pręſens (*Studioſe Lector*) alijs Reſponſionibus, quæ mihi magis neceſſariæ videbantur, diſtentus, Diſcuſſionem *Diſcuſſionis* decreti magni Concilij *Lateranenſis*, quam *Leonardus Leſſius* Societatis Ieſu Theologus perſonam *Guilhelmi Singletoni* indutus aduerſus ea, quæ in *Præfatione* Reſponſionis meæ *Apologeticæ* de hoc decreto diſputaueram, mira fraude, & artificio ſingulari concinnauit. Hic autem iſtius meæ *Diſcuſſionis* ſcopus & finis eſt.

2 *Primò*, vt omnibus planum faciam, non poſſe, vel ex *Lateranenſis* Concilij decreto, tametſi propriè decretum eſſet (de quo infrà [a] diſputabitur) vel ex alio Eccleſiaſtico ſiue *Concilij*, ſiue *Summi Pontificis* canone generali, & ad totam Eccleſiam pertinente, ſufficienter demonſtrari, penes

[a] part. 1 ſec. 8. nu. 18. & ſeq.

Summum Pontificem eſſe poteſtatem *Principes ſupremos* abdicandi, eorumue ſubditos à temporali ſua fidelitate abſoluendi, aut pænam vllam ciuilem ex inſtitutione diuina infligendi; ſed quoſcunque Canones, & decreta generalia, in quibus pænæ temporales infligendæ decernuntur, non authoritate illa Eccleſiaſtica, quæ Paſtoribus Eccleſiæ iure diuino competit, ſed authoritate ciuili, quæ illis iure humano, & ex conceſsione *Principum* communicata eſt, iuxta ſententiam, *quæ pleriſque Doctoribus placet*, conditos eſſe; & proinde vel ſolùm in Eccleſiæ territorijs obligandi vim habere, vel *inferiores* tantùm *Dominos*, *Magiſtratus*, atque perſonas ex *ſupremorum Principum* conſenſu, & non ipſoſmet *Principes ſupremos*, qui à poteſtate ciuili ſaltem *coercitiua* liberi ſunt, comprehendere potuiſſe.

3 *Secundò*, vt commonſtrem, Reſponſiones illas, quæ in dicta *Præfatione* ad iſtud *Lateranenſis* Concilij qualecunque decretum à me allatæ ſunt, ſolidas eſſe, & quæ *Leſsius* in contrarium obijcit, infirmiſsima; & propterea ne vnum quidem ex illis *viginti* incommodis, quæ ipſe aduerſùs meam ſententiam congerit, ex ea conſequi, vt ipſe inani verborum Pompa gloriatur; cùm ea omnia falſo hoc fundamento nitantur, *Eccle-*

ſiam vniuerſalem, quam *Concilia verè Oecumenica* repræſentant, hanc doctrinam, quæ *Summo Pontifici* poteſtatem tribuit *Principes* deponendi, & pænas quaſcunque ciuiles infligendi, pro certo tradidiſſe, & plurimos canones in hac doctrina fundatos authoritate illa Eccleſiaſtica, quæ ſibi iure diuino debetur, perſpicuè condidiſſe: quod cùm falſum eſſe comprobauerim, non mirum, quòd illæ *Leſſij* conſequentiæ in hac falſa hypotheſi fundatæ, nempe *Eccleſiam Chriſti iam à 500. annis*, iuxta meam ſententiam, *concidiſſe, in generalibus tam fidei, quàm morum decretis perniciosè, de induſtria, & ex ambitione erraſſe, portas inferorum aduersùs eam præualuiſſe*, Chriſtum *nobis impoſuiſſe*, & reliquæ, quas ipſe verboſa oſtentatione aduersùs meam ſententiam, vanè, indoctè, & contumeliosè exaggerat, à veritate ſint omnino alienæ.

4 *Tertiò*, vt oſtendam, hanc doctrinam pro poteſtate *Papali Principes* deponendi, & pænas temporales iure diuino infligendi, non eſſe *certam*, aut ad *fidem* pertinere; cùm *magna fuerit ſemper*, ait *Ioannes Azorius* Ieſuita, *inter Imperatores Regeſque ex vna parte, & ex altera parte inter Romanos Pontifices controuerſia, an certis in cauſis ſit ius & poteſtas* Summo Pontifici *priuandi*

Azor tom. 2. l. 11. c. 5. q. 8.

Reges regno ſuo. Reges enim aliqui cum ſummis Pontificibus de hac quæſtione ſæpiùs (etiam à tempore Lateranenſis Concilij) *contenderunt, dicentes, &c. Et conquerebantur multi, quòd* Gregorius VII. Henricum *eius nominis quartum Germanorum Regem execrationibus deuouiſſet, regnique adminiſtratione priuaſſet.* Et *de hac re certent Scholaſtici,* ait *Ioannes Trithemius,* & *adhuc ſub Iudice lis ſit, an Papa poſſit Imperatorem deponere.* Et *poteſtas Eccleſiaſtica,* ait *Iacobus Almainus, nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere poſſit, immo nec incarcerare, vt pleriſque Doctoribus placet, ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extendatur, vtputa Excommunicationem, reliquæ autem pœnæ quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo,* ſeu, vt loquitur *Gerſon, ex conceſſione Principum ſint:* Et *libertas Eccleſiæ Gallicanæ,* ait *Petrus Pithæus, huic poſitioni* inter cæteras, quas ipſe recenſet, innitatur, *quòd Papa regnum Franciæ, eiuſque pertinentias dare in prædam non poſſit, neque eo Regem priuare, aut alio quouis modo diſponere, & non obſtantibus quibuſcunq; monitionibus, excommunicationibus, vel interdictis, quæ à Papa ferri poſſunt, ſubditi tamen obedientiam pro temporalibus debitam Regi præſtare teneantur, neq; in ea per Papam diſpenſari, aut abſolui queant.*

vide *Azor*, loc. citato.

Trithem. in Chron. Hirſaug ad an. 1106.

Almain de dominio natur. ciu. & Eccleſ in probat. 2. concluſ.

Gerſon de poteſt. Eccleſ. conſiderat. 4.

Petrus Pithæus in cod. libertatum Eccleſ. Gallicanæ non longè ab initio.

5 Atque, vt cætera teſtimonia nunc taceam, tam clarum, perſpicuum, atque, vt ita dicam, lippis & tonſoribus manifeſtum eſt, fuiſſe ſemper (nempe à tempore *Gregorij* VII. *qui primus omnium Romanorum Pontificum præter morem maiorum*, ait *Onuphrius*, *Cæſarem ipſum, à quo ſi non electus ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam regno, Imperioque priuare auſus eſt. Res ante ea ſæcula inaudita*) magnam de hac re inter Catholicos controuerſiam, vt nemo vir doctus, qui *Imperatorum*, *Regum*, atque *Romanorum Pontificum* res geſtas perlegerit, & ſimul notas & regulas à Theologis aſsignatas, quibus Conciliorum *de fide* iudicia internoſci queant, diligenter expenderit, illud ſincerè & ex animo, quicquid in gratiam *Pontificum* dixerit aut ſcripſerit, meâ quidem ſententiâ, inficiari poterit.

Onuphr. lib. 4. de varia creat. Rom. Pontif.

6 Quapropter *Illuſtriſsimus Cardinalis Peronius* exploratiſsima veritate quodammodò compulſus disertè fatetur, *Summum Pontificem ob pacis Eccleſiaſticæ bonum tolerare & patienter ferre, quòd* Franci, *hoc eſt, aliqui* Francorum, *teneant in hac parte doctrinam ſibi, & reliquis omnibus Eccleſiæ partibus contrariam, dummodo eam non teneant, niſi vt problematicam in materia fidei, id eſt, dummodo eam non proponant uti neceſſariam neceſsitate*

fidei,

Card. Peron. en *Harangu.* au tiers Eſtat pag. 98.

ſtat, & non declarent liberum eſſe (ſpeculatiue ſcilicet & abſtrahendo à praxi) *verbo Dei contrariam, impiam, & deteſtabilem.* Quibus verbis non ſolum intelligit *Cardinalis* Summum *Pontificem* ita illos Catholicos tolerare, ſicut tolerat meretrices; quas maioris mali declinandi cauſa ita tolerat, permittit, ſeu non punit, neque exterminat, vt tamen eas ad Sacramenta Eccleſiaſtica percipienda non admittat, cum hos Catholicos *Gallo-Francos* ad Sacramenta palam admitti, *Papa* id ſciente & permittente, publica & aſſidua totius *Eccleſiæ Gallicanæ* praxis ampliſſimum teſtimonium perhibeat: vt vel ex hoc ſolo capite optime concludi queat, vel *Summum Pontificem* indigniſſimum Eccleſiæ Paſtorem eſſe, qui ſancta dari canibus permittit, vel, quod verius eſt, poteſtatem hanc *Papalem Principes* deponendi neque eſſe, neque ab ipſomet *Papa* exiſtimari ita *certam*, vt abſque hæreſeos, erroris, alteriuſue criminis, quod homines Chriſtianos Sacramentorum perceptione indignos reddat, nota impugnari non poſſit.

7 Neque quemquam mouere debet, vt alias obſeruaui, * quod opinio hæc, quæ *Summo Pontifici* hanc poteſtatem tribuit, communior ſit quàm oppoſita, pluresque Doctores eam ſequantur, *tanquam oues aliæ*

alias

* In Apolog. nu. 447.

Aliaque præterea sunt [illegible] *sequuntur,* [illegible] *tia* [illegible] *quæ* [illegible] [illegible] *sequuntur,* cùm plures rationes assignauimus, quas D. *Schulckenius* silentio præterit, ob quas opinio illa communior sit, eamque plures Catholici tueantur. Neque sufficiens ratio est ad probandum, opinionem aliquam esse veram, & multo minus certam, & tanquam *de fide* ab omnibus amplectendam, quia communior est, aut ab omnibus vt plurimum propugnatur. Nam *in Scholastica disputatione,* vt rectè ait *Canus plurium authoritas obruere Theologum non debet, sed si pauci contra* [illegible] *habet, potest in partem aduersam* [illegible] *ferri.* Et sanè constat, communissimam [illegible] olim sententiam *Canonistarum* [illegible] summum Pontificem habere ex *Christi* institutione plenissimam in vniuerso orbe, præsertim Christiano, iurisdictionem temporalem, eamque in *Imperatorem*, cæterosque *Reges* transfudisse; Quam quidem sententiam tam mordicùs tenuerunt *Bartholus*, & alij communiter *Canonistæ*, [b] vt contrariam esse planè hæreticam affirmare non dubitarent, tametsi eam nunc Card. *Bellarminus*, [c] & Theologi communiter vehementer impugnent, & *Franciscus Victoria* asserit, [d] eam esse *manifestè falsam, fictitiam*, atque *meram*

commen-

[illegible] in [illegible] nuali cap. [illegible] nu. 28.

[illegible] lib. [illegible] cap. [illegible]

[b] Vide [illegible] in Regul. [illegible] Relect. 5. 9. nu. 7.

[c] lib. 5. de Rom. Pont. cap. 1 & seq.

[d] In Relect. de potest. Ecclesiæ.

commentum in adulationem & aſſentationem
Pontificum, & Gloſſatores iuris hoc dominium
dediſſe Papæ cùm ipſi eſſent pauperes rebus &
“ *doctrina.* Non enim viris doctis ignotum
“ eſſe poteſt, plurimos non infimæ notæ etiã
“ Theologos varias opiniones totis viribus
“ defendere ſolitos eſſe non tam pondere rationum
“ motos, quàm authoritate ſui Magiſtri,
“ quaſi in verba eius iuraſſent, perſuaſos.
“ Quo fit, vt plures opiniones communi Doctorum
“ calculo olim receptæ iam prorſus
“ antiquatæ ſint, atque è Scholis penitus exploſæ.

“ 8 Quòd ſi *Principes temporales*, quando
“ primùm hæc controuerſia exorta eſt, tantam
“ diligentiam adhibuiſſent, aut etiam
“ nunc adhiberent, vt ſui ſubditi ſupremam
“ ſuam in temporalibus poteſtatem propugnarent,
“ & ne libri aliqui in ſuis Regnis diuulgarentur,
“ qui illi præiudicarent, donec
“ *Eccleſia vniuerſalis* litem diremiſsit, quanta
“ vſi ſunt *Summi Pontifices*, & nunc etiam vtuntur,
“ vt Chriſti fideles ſupremam ſuam
“ tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus
“ monarchiam tuerentur, & ne aliquid quod
“ illi deroget in lucẽ prodiret, ſed ſtatim ſupprimeretur,
“ & à nemine donec expurgatum
“ eſſet perlegeretur, profectò non tam communis
“ hodie eſſet, aut deinceps foret illa opinio

> pinio pro poteſtate *Pontificis Principes* abdicandi. Quam ſanè *Summi Pontificis* & *Inquiſitorum* diligentiam, ſi quis ritè conſideret, mirandum profectò eſt, quòd hiſce temporibus in libris Catholicorum vlla clauſula reperiatur, quæ *Summi Pontificis* tempotalem, ſeu in temporalibus poteſtatem in controuerſiam vocandi vel tantillam ſpeciem habeat, cùm iam certò cognoſci vix queat, quid Librorum *Authores*, qui non proprijs ſed *Cenſorum* verbis loqui, ſuamque ſententiam proferre, quamuis inuiti ſæpiſsimè compellantur, circa eiuſmodi *Summi Pontificis* Principes deponendi poteſtatem ſenſerunt, ſed potiùs quam opinionem Librorum *Cenſores*, & *Expurgatores* circa eam ſequuti fuerint. Et nihilominus non obſtante hac diligentia, & varijs artibus, quibus *Summi Pontifices*, eorumque Miniſtri in libris eiuſmodi ſupprimendis vſi ſunt, & vtuntur, nunquam defuerunt, nec iam deſunt plurimi Catholici doctrina & pietate præſtantes, qui hanc *ſummi Pontificis* in temporalibus poteſtatem palam impugnare, atque in controuerſiam vocare non ſunt veriti.

9 Atque hic potiſsimus totius huius *Diſcuſsionis* meæ finis eſt, vt ex prædictis perſpicuè euincam, hanc *ſummi Pontificis* po-

teſtatem *Principes ſupremos* ſuis Dominijs temporalibus priuandi, & pœnas temporales irrogandi, non poſſe, niſi certiſsima ſit; quantumcunque probabilis *ſpeculatiuè* iudicetur, etiam iuxta ipſiuſmet *Leſſij* principia, abſque manifeſta in *Regiam Maieſtatem* iniuria ad effectum perduci, & proinde doctrinam, quæ illam propugnat, ſi *praxim* reſpiciamus, eſſe *ſupremis Principibus* ſummè iniurioſam, & conſequenter tanquam impiam, deteſtabilem, & expreſſo *Dei* verbo, & *Chriſti* Domini præcepto de reddendo *Cæſari*, quod *Cæſaris* eſt, repugnantem, è Chriſtianorum Scholis & cordibus penitùs exterminandam. Attende enim quæ ſcribat *Leſsius* (quæ, ſicut & nonnulla alia, in quibus totius controuerſiæ ſtatus præcipuè conſiſtit, ſæpe ſæpiùs in hoc Tractatu repetere, vt Lectoris menti firmiùs inhæreant, neceſſarium eſſe duco, cùm ea licèt ſæpiùs repetita Aduerſarij intelligere non velint, ſed tanquam ad rem vix ſpectantia ſilentio præterire ſoleant) *Poteſtas*, inquit *Leſsius*, [c] *quæ non omnino certa ſed probabilis, non poteſt eſſe fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, & iure ſuo ac Dominio priuetur: Sed talis poteſtas certiſsimè non dubiè debet competere. Nullus enim Iudex poteſt irrogare pœnas adeo graues, aut con-*

[c] Nu. 38. part. 2. ſuæ *Diſcuſſ.* pag. 71. Vide infrà part. 2. ſec. 6. nu. 2. & ſeq.

dere decreta quibus irrogentur, niſi conſtet illi talem poteſtatem conceſſam. Si enim id vllo modo eſſet dubium, poſſet reus excipere & ei non parere. Hinc neque delegatis creditur in alicuius præiudicium, niſi authentico inſtrumento oſtendant ſuam delegationem, ita vt nulla amplius relinquatur iuſta dubitandi ratio.

10 Atque hinc clarè perſpicere poteris, *Lector erudite*, veram & propriam cauſam, ob quam recentiores quidam Theologi, præſertim *Ieſuitæ*, paucis abhinc annis in hac quæſtione adeò ferueant, vt eam omnino ad *fidem* pertinere, & contrariam plurimorum Catholicorum ſententiam, non tam *ſententiam* quàm *hæreſim* eſſe viris imperitis per fas & nefas perſuadere ſtudeant. Optimè enim viderunt viri iſti perſpicaciſſimi, hanc *ſummi Pontificis* poteſtatem *Principes* abdicandi, & pœnas temporales iure diuino infligendi, quantumcunque in Scholis vt probabiliſsima *ſpeculatiuè* propugnetur, quod tamen ad *praxim* attinet, niſi *certiſsima* ſit, & claro aliquo inſtrumento omnibus Catholicis oſtendatur, ita certò & indubitatè *Summo Pontifici* competere, vt nulla amplius relinquatur iuſta dubitandi ratio, eſſe merum titulum ſine re, adeo vt neque per *Pontificem* licitè ad effectum

perduci poſsit, & per *Principes* tutâ conſcientia contradici queat, & per ſubditos ſub pęna perduellionis reſiſti omnino debeat: quandoquidem *poteſtas, quæ non omnino certa, ſed probabilis, non poteſt eſſe fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, & iure ſuo, ac Dominio priuetur*; & quilibet *Princeps*, iuxta communem omnium Theologorum doctrinam in lege naturali fundatam, aduerſus quoſcunque, qui ſub titulo duntaxat probabili Regnum ſuũ inuadere, illũq; è legitima atq; indubia Regni ſui poſſeſsione deturbare tentarent, poteſt tutiſsimâ conſcientiâ ſe defendere, & ſubditi *Principis* ſui iniuriam ſub pæna *læſæ Maieſtatis* propulſare omnino tenentur.

11 Sed vtinam Theologi iſti alioquin ſagaciſsimi pariter etiam expenderent, quanta incommoda tam Religioni Catholicæ, quàm Principibus Chriſtianis eorumque ſubditis ex prætenſa hac *fide Catholica* de *Principibus* authoritate *Papali* deponendis accedant. Quis enim maturi iudicij Catholicus non aduertit, quàm ſcandaloſum ſit *religioni Catholicæ*, quàm iniurioſum *Regiæ Maieſtati*, & *Principum* Coronis ac Capitibus, & *ſubditorum* etiam ſaluti periculoſum, *incerta*, ne dicam *falſiſsima*, *fidei Catholicæ* dogmata, in rebus ad obedien-

tiam *Deo* aut *Cæſari* debitam pertinentibus, pro *veris* & *certiſsimis* fidei dogmatibus venditare, & viros Catholicos, qui, re tota diligenter ventilata, *falſam* hanc *Catholicam fidem* non approbant, ſed fraudes, ſophiſmata, & impoſturas, quibus Aduerſarij in ea procudenda vtuntur, apertè detegunt, tanquam impios & hæreticos verbis, ſcriptis, & factis impune & laudabiliter, pro ea qua apud *Romanum Pontificem* authoritate, & apud vulgus exiſtimatione pollent, inſectari? quaſi verò ſancta *Chriſti* Eccleſia abſque huiuſmodi malis artibus conſeruari aut dilatari non poſſet.

12 Nam, ſi relictis antiquorum regulis, quibus *fides* verè *Catholica* à non *Catholica* dignoſci debet, integrum relinquatur quibuſdam Catholicis quantacunque doctrina & authoritate præſtantibus, in *Pontificiæ* poteſtatis exaltationem & *Regiæ* depreſsionem, noua *fidei Catholicæ* dogmata procudere, & proprias ſuas tum ſacræ Scripturæ, tum Conciliorum & Canonũ Eccleſiaſticorũ interpretationes pro ipſomet Dei verbo, & vero atq; indubitato Conciliorum & Canonum ſenſu (tametſi alij contrà ſentiant Catholici perdocti) ſub ſpecioſo boni ſpiritualis, & Religionis Catholicæ promouendæ prætextu viris imperitis per vim

&

& aſtum, minis & blanditijs obtrudere, & vocem ſuam, ac ſi vox Eccleſiæ, & Dei verbum eſſet, conclamitare, & denique ius *ſpeculatiuè* incertum, dubium, atque ad ſummum *probabile* ad Reges Chriſtianos authoritate *Papali* tum dominijs tum vita priuandos, tanquam *certum*, *indubitatum*, & ad *fidem Catholicam* ſpectans prædicare, quàm aperta hinc ad ſchiſmata, hæreſes, Atheiſmum, rebelliones, & cuiuſcunque generis, etiam nitrati pulueris, coniurationes via patefiat, & *Religio Catholica*, Sedeſque *Apoſtolica Regibus* ac *Principibus* Chriſtianis (qui Eccleſiæ Protectores à *Chriſto* conſtituti ſunt, neque per Chriſtianiſmum, qui non eripit mortalia, ſed regna dat cæleſtia, deterioris conditionis, quod ad temporalia attinet, facti ſunt, quàm ſint Principes Ethnici) odioſa reddatur, quiuis vel mediocris ingenij Catholicus clarè perſpicere poteſt.

13 Satis itaque manifeſtum eſt, non ſolùm ad communem fidelium omnium ſalutem plurimùm referre, verùm etiam ad pacem tam temporalem quàm ſpiritualem in Republica Chriſtiana conſeruandam omnino neceſſarium eſſe, vt tam *Principes*, quàm *ſubditi fideles* clarè & diſtinctè cognoſcant, qua certitudine credendum ſit,

hanc vel illam obedientiam ſpiritualem *Summo Pontifici*, quando mandata eius in graue alterius, præſertim *Principis* ſupremi, præiudicium tendunt, in dubiis exhibendam vel non exhibendam eſſe, & poteſtatem *Principes* deponendi, pænaſque temporales ex *Chriſti* inſtitutione infligendi illi conceſſam eſſe: ne *Principes* Summo *Pontifici* non obtemperantes ſpiritualis inobedientiæ crimen incurrant, & ne ſubditi ſummo *Pontifici* obſequentes à temporali ſua fidelitate *Principibus* ſuis legitimis iure diuino debita abducantur, & in manifeſtum perduellionis diſcrimen cum maximo eorum tum temporali, tum ſpirituali periculo præcipites ferantur; & demum, ne ipſimet *Summi Pontifices* prætenſam hanc ſuam *Principes* deponendi poteſtatem, quamdiu poteſtas hæc incerta eſt, in ſummam *Principum* iniuriam exercentes, tam *Principum*, quàm ſubditorũ fidelium animos à Sede *Apoſtolica*, & religione *Catholica* auertant, & execrandis tumultibus, cædibus, & Regicidijs cum ingenti animarum periculo, & maximo religionis Catholicæ ſcandalo occaſionem ſubminiſtrent.

14 Quapropter mirandum non eſt, quòd *Principes* Chriſtiani, qui præſertim

Romano Pontifici obedientiam non præſtant, certiores fieri quamplurimùm deſiderent, quo animo Catholici eorum ſubditi erga poteſtatem *Summi Pontificis* Principes ſeculares in ordine ad bonum ſpirituale deponendi, *practicè* præſertim conſideratam, afficiantur, & vtrùm, iuxta Catholicæ fidei principia, religio verè Catholica cum recta atque à Deo ordinata politia etiam apud hæreticos aut infideles ſtabilita perpetuò ſtare poſſit; vt ita, qualem fiduciam in conſtanti Catholicorum fidelitate, quam ob grauem hanc inter *Pontifices* & *Reges* controuerſiam meritò ſuſpectam habent, tutò reponere queant (ſi forſan *Pontifex Principes* illos, qui Religionem *Catholicam Romanam* neque amplecti, neque in ſuis dominijs tolerare velint, ſuis Regnis ac Dominijs priuare, & ſubditos à fidelitate abſoluere niteretur) clarè, perſpicuè, & abſque vlla tergiuerſatione intelligere poſſint.

15 Et ſi fortè *Principes* iſti hoc fine permitterent, vt quorundam Catholicorum libri (qui *Deo* & *Cæſari* quæ ſua ſunt reddere cupientes hanc quæſtionem grauiſsimam tum veritatis dilucidandæ, tum conſtantiſſimæ ſuæ fidelitatis manifeſtandæ gratia, ſincerè tractant, & Aduerſariorum fraudes, ſophiſmata, ac impoſturas apertiſsimè detegunt)

gunt) in ſuis Regnis publicè venundentur, quantumuis Catholici illi libros ſuos *Romano Pontifici* dedicarent, & ſe in omnibus Eccleſiæ *Catholicæ Romanæ* iudicio ſubmitterent, non tamen hinc rectè concludi poteſt (vt quidam ex Aduerſarijs non minùs indoctè quàm contumelioſè colligunt) vel *Principes* illos *Proteſtantes* factos eſſe *Catholicos Romanos*, vel ſe certò cognoſcere, *Catholicos* illos illam librorum ſuorum dedicationem & ſubmiſſionem non verè & ex animo, ſed fictè & fraudulenter feciſſe, non alia intentione, quàm vt Catholicos deciperent, & *Romano Pontifici* atque Eccleſiæ *Catholicæ Romanæ* illuderent, ad eum modum, quo Chriſti perſequutores *percutiebant caput eius arundine, & ponentes genua adorabant eum*: Et *veniebant ad eum & dicebant*, Aue Rex Iudæorum, *& dabant ei alapas.*

Card. *Bel.* contra *Barclai.* c. 1. D. *Schulck.* contra *Widdringt.* c. 2. & *Thom. Fitzherb.* c. 17. *Replicat.* ſuæ Anglicanæ: ſed à *Ioanne Barclaio* et à *Widdringtono* clariſsimè refutantur.
Marc. 15.
Ioan. 19.

16 Si enim vel *Summus Pontifex* de *Iudæorum* in ſuis dominijs commorantium fidelitate parum confiſus; vel *Rex Chriſtianiſſimus* Proteſtantium ſibi ſubditorum fidelitatem ſuſpectam habens, ſcire percuperent, an, iuxta religionis ſuæ principia, de conſtanti eorum fidelitate ſecuri reddi poſſint, eoque fine permitterent, vt libri eorum hanc quæſtionem ſincerè tractantes in

ſuis Dominijs imprimerentur, & publicè venundarentur, tametſi eos primarijs ſuæ Religionis *Præpoſitis* dedicarent, ſeque in omnibus ſuæ *Synagogæ*, & *Congregationis* iudicio ſubmitterent, an Aduerſarij hinc rectè concludi poſſe affirmarent, vel *Summum Pontificem* factum eſſe *Iudæum*, aut *Regem Chriſtianiſſimum* factum eſſe *Proteſtantem*, vel ſe optimè cognoſcere, *Iudæos* illos, & *Proteſtantes* non verè & ex animo, ſed fictè & fraudulenter tales librorum ſuorum dedicationes, & ſubmiſsiones feciſſe, non alia intentione, quàm vt *Iudæos* & *Proteſtantes* deciperent, ſuæque *Synagogæ* & *Congregationi*, earumque *Præpoſitis* illuderent?

17 Quòd itaque *Rex* noſter *Sereniſſimus* Catholicis ſuis ſubditis (quorum fidelitas ob horrendiſsimam illam nitrati pulueris coniurationem à quibuſdam Catholicis, ſub prætextu Religionis Catholicæ promouendæ, præmeditatam, ſibi & toti Regno meritò ſuſpecta erat) permittere dignatus fuerit, vt publicis ſcriptis toti mundo manifeſtum facerent, quomodo iuxta veriſſima fidei Catholicæ principia, de conſtanti eorum fidelitate ſecurus reddi poſſit, tum ipſimet Catholici ingentiſsimas gratias ſuæ *Maieſtati* eo nomine referre debent, tum

ſua *Maieſtas* apertiſsima ſingularis ſuæ clementiæ indicia in eo demonſtrat; quippe quæ, dum Catholicos omnes perſequendi, eoſque ob immaniſsimum illud ſcelus (cuius ſi non Authores, Duces, aut Conſultores, ſaltem conſentientes erant primarij quidam Ieſuitæ, qui præcipui fidei Catholicę defenſores vulgò æſtimantur) è dominijs ſuis tanquam proditores, & pacis publicæ perturbatores exterminare iuſtiſsimam prudentum iudicio anſam arripere potuiſſet, voluit tamen ſua *Maieſtas*, pro innata ſua, & tum ab omnibus admiranda, tum à Catholicis ſuis ſubditis infinitis gratijs rependenda clēmentia, integrum relinquere Catholicis, vt ſe tanta, qua laborabant, infamia liberarent, & licèt *eandem cum proditoribus illis viam religionis ſequerentur*, tamen *ab eorum peßimis conſilÿs ſe longiſsimè abhorrere*, iuxta veriſsima Religionis Catholicæ principia, demonſtrarent.

18 Rogo igitur omnes Catholicos per æternam eorum ſalutem, quæ ab hac grauiſsima inter *Pontifices* & *Reges* controuerſia quamplurimùm pendet, vt ad ea quæ ſunt *Cæſaris Cæſari*, & quæ ſunt *Dei Deo* reddenda corde, ore, & opere paratiſsimos ſe exhibeant, & proinde, vt hæc pauca quæ ſubiungam capita, ſeriò, ſincerè, & abſ-

que vllo humani reſpectus intuitu in arcano ſuæ conſcientiæ penetrali ſecum diſcutere ac meditari velint.

Primò, quibus principijs & fundamentis fides verè Catholica, ſine qua ſalus eſſe non poteſt, non ex quorundam tantùm Catholicorum, ſed ex communi omnium ſententia (nam alioquin verè Catholica & vniuerſalis non erit) niti debeat: atque non ſolùm eos, qui aliquid diminuunt de verbo Dei, aut fide verè Catholica, qua Dei verbo creditur, ſed qui illis etiam aliquid apponunt, maledictos eſſe.

19 *Secundò*, in *lege naturæ* Rempub. ciuilem de rebus omnibus ſiue ad politiam, ſiue ad Religionem ſeu publicum Dei cultum pertinentibus diſpoſuiſſe, ſacrificia ordinaſſe, Sacerdotes inſtituiſſe, iudicaſſe, pœniſque quibuſcunque temporalibus, ſi id demeriti eſſent, caſtigaſſe; neque poteſtatem ciuilem & religioſam duas diſtinctas & independentes Iuriſdictiones conſtituiſſe, ſed ſupremam rerum omnium, ſiue ſacræ ſiue profanæ eſſent, curam ad Rempub. ciuilem pertinuiſſe; de qua re vide *Abulenſem* in cap. 31 *Geneſ. q.* 8.

Tertiò, in *lege* etiam *veteri Summos Pontifices* fuiſſe Regibus temporaliter ſubiectos, & ab ijſdem pœnis quibuſcunq; temporalibus affici potuiſſe, vt ex cōmuni doctiſſimorū ſententia, quā etiā *Card. Bellar.*[f] probabilē exiſtimat, alibi[g] copioſè cōmonſtraui.

20 *Quartò*, verùm iam in *lege Euangelica Chriſtus* Dominus hunc ordinem in lege *Moyſis* & *naturæ* obſeruatum de induſtria inuerterit, & *Principes Chriſtianos* deterioris conditionis, quàm *Ethnicos*, & veteris Teſtamenti *Reges* quoad temporalia effecerit, eoſque temporali Sacerdotum correctioni ſubiecerit, necne, non ex coniecturis aut rationibus congruis, quæ à viris eruditis in vtramque partem facillimè adduci poſſunt, ſed ex claro & expreſſo *Dei* verbo ſcripto aut tradito, non prout à quibuſdam *recentioribus* in gratiam *Pontificum* ad nouos & peregrinos ſenſus contortum, ſed ſicut à *Sanctis Patribus*, & primitiua Eccleſia ſemper intellectum fuerit, colligendum eſſe.

21 *Quintò*, doctrinam hanc de poteſtate Eccleſiaſtica *Principes* deponendi, & ſubditos à fidelitate abſoluendi, fuiſſe Eccleſiæ primitiuæ, & antiquis Patribus incognitam, & poſt totos mille annos à *Chriſto* paſſo, & Euangelio ab *Apoſtolis* per totum mundum diſſeminato, à *Gregorio* Papa VII. *qui primus omnium Romanorum Pontificum præter morem maiorum Imperatorem deponere auſus eſt*, in Scholas Catholicorum inuectam, atque in ipſo

ipſo

[f] Contra Barcla. cap. 15.

[g] In Confut. Anglic. *Tho. Fitzherb.* part. 3. cap. 5.

ipſo ſui primordio fœda *nouitatis*, ne dicam, *hæreſis*, vt *Sigebertus* loquitur, nota inuſtam, ab ipſis Imperatoribus, alijſque Catholicis continuò impugnatam, & ne vnica quidem, vel Concilij Oecumenici ab eo tempore celebrati, vel Canonis Eccleſiaſtici authoritate ſufficienter confirmatam, ſed vſque in præſentem diem magnam eſſe de hac re inter Catholicos controuerſiam, & adhuc ſub Iudice litem eſſe. Ex quo conſequens eſt, poteſtatem hanc eſſe incertam, & proinde iuxta ipſiusmet *Leßij* doctrinam, *non poſſe eſſe fundamentum quo aliquis immediatè puniatur, aut iure ſuo & dominio priuetur*, *cùm talis poteſtas*, vt ait ille, *debeat eſſe omnino certa, non probabilis, & certiſſimè non dubiè debeat competere.*

Sigebert, in Chron. ad annum 1088.

Vide ſuprà nu. 9.

22 *Sextò*, poſſe ſubditos tutâ conſcientiâ & abſque dato ſcandalo Prælatorum mandatis non obtemperare, quando Prælati aliquid præcipiunt, *vnde periculum Religioni, aut Reipublicæ, aut tertiæ perſonæ timetur*, & ſubditi *dubitant*, an Prælatus talia præcipiendi authoritatem habeat; tunc enim, vt ait *Sotus*, *nihil facit contra obedientiam ſubditus, ſi exigat à Prælato rationem præcepti proponens humiliter rationes dubitandi.* quod ſanè documentum ſi quidam noſtrates diligenter expenderent, non ita nunc, cùm ipſi

Sotus de detegendo ſecreto memb. 3. q. 2.

in aliquali authoritatis, vt ſibimet videntur, gradu conſtituti ſunt, obedientiam erga ſuperiores in rebus dubijs, & ſcandalum, tametſi res in ſe mala non ſit, plenis faucibus conclamitarent; quaſi verò *Principi* fidelitatem negare etiam ſcandaloſum, & contra obedientiam non eſſet; ſed forſan ipſi nec quæ ſit vera inobedientię & ſcandali ratio ſatis intelligunt, nec memores ſunt eorum, quæ ipſi olim, cùm de grauiſsima inobedientia & ſcandalo palam accuſarentur, de obedientia & ſcandalo ſenſerunt, & ſcriptis publicis docere non formidarunt.

23 Hæc pauca ſi *Lector* ſeriò meditari voluerit, & ſimul etiam recolere, quod antea inſinuaui, quàm ſcilicet pernicioſum & verbo Dei, fideique Catholicæ repugnans ſit, non ſolùm de Scriptura ſacra aliquid detrahere, ſed illi etiam aliquid apponere, non ſolùm antiqua & vera fidei Catholicæ dogmata impugnare, ſed etiam noua & falſa procudere & prædicare, non ſolùm *fide Catholica* credere, Deum non reuelaſſe quod reuelauit, ſed *fide* etiam *Catholica* credere, Deum id reuelaſſe quod non reuelauit: hæc, inquam, ſi Lector diligenter expendere, atque etiam capita illa generalia à me alibi[h] recenſita, ad quæ vniuerſa Aduerſariorum

[h] In Supplicat. ad Sum. Pont. Paulum V. nu. 35.

orum argumenta, & omnia ſuæ doctrinæ fundamenta reuocantur, obſeruare voluerit, clariſsimè perſpiciet, nullum planè incommodum, quicquid *Leſsius* vanè gloriatur, ſed plurima maximi momenti commoda ex mea ſententia ſequi, atque inſuper Aduerſariorum ſententiam eſſe falſam, pernicioſam, atque è fidelium Scholis & cordibus meritò exterminandam: quippe quę illud, quod luce meridiana clarius eſt, nempe magnam fuiſſe ſemper (à tempore ſcilicet *Gregorij* VII.) & nunc etiam eſſe de hac poteſtate *Pontificis Principes* deponendi controuerſiam, nimium impudenter pernegare non erubeſcit; antiqua & firmiſsimæ fidei Catholicæ fundamenta conuellere, & noua atque periculoſa ſtabilire non pertimeſcit; *Principes ſupremos*, ſi *Romano Pontifici* in omnibus obſequentes non fuerint, manifeſto internecionis, eorumque Regna multiplici tumultuum, ac ſeditionum diſcrimini ſub titulo duntaxat probabili exponere non perhorreſcit; & demum viros verè Catholicos ac eruditos, quique hanc quæſtionem grauiſsimam, & omnia quæ vtrinque obijci ſolent, ſolius veritatis inueſtigandæ gratia diligentiſsimè expenderunt, ſeque in omnibus Eccleſiæ *Catholicæ Romanæ* iudicio ſubmiſerunt, & ſubmittunt, tanquam impios, hæreticos , & Eccleſiæ rebelles traducere non reformidat.

24 Sed vtinam Aduerſarij (quibus omne bonum precor) qui ſub ſpecioſo pietatis fuco viros innocentes ita iniuſtè opprimunt, & fidem falſò Catholicam pro vera populo imperito in ſummam *Principum* Chriſtianorum iniuriam, & ingens *fidei Catholicæ* & ſalutis animarum diſpendium malis artibus obtrudere non verentur, iam tandem ſaperent, intelligerent, ac nouiſsima prouiderent, & non ſero ſed ſeriò recogitare vellent, ſe, quantacunque nunc dignitate, ac potentia præpolleant, niſi in hac vita pęnitentiam egerint, & damna ferme infinita ab illis illata reſarcierint, exactiſsimam in alia vita ſupremo omnium *Regi* ac *Iudici*, apud quem perſonarum acceptio non eſt, rationem reddituros eſſe.

Summarium
totius Diſcuſſionis

PARS PRIMA.

IN qua decretum *Lateranenſis* Concilij expenditur, & quæ *Leſſius* contra *Reſponſiones* à *Widdringtono* in Præfatione *Reſponſionis* ſuæ *Apologetica* ad idem decretum allatas obijcit, refutantur.

Sectio 1. *In qua dubia quædam ad authoritatem Concilij* Lateranenſis *infirmandam, confirmandamque adduci ſolent, proponuntur, & quid* Author *de eo* Concilio *ſentiat, breuiter declaratur.*

Sect. 2. *In qua decretum* Lateranenſis *Concilij, & Reſponſio* Widdringtoni, *nempe in eo decreto* Principes ſupremos *nequaquam comprehendi, proponuntur, & qua à* Leſsio *in contrarium allata ſunt, refutantur, & diſcrimen inter* directiuam, & coercitiuam *Eccleſię poteſtatem, & inter vtriuſque poteſtatis actus, atque obiecta declaratur.*

Sect. 3. *In qua dua illa rationes* Widdringtoni *(nempe quòd leges vltra poteſtatem Legiſlatoris extendenda non ſint, &*

& quòd in materia odioſa Principes ſupremi *generalibus* Dominorum temporalium *nominibus non comprehendantur) ab eo ad dictam eius Reſponſionem confirmandam allatæ, proponuntur, & ex doctiſſimorum ſententia confirmantur, & quæ* Leſsius *ad eas infirmandas obycit, dilucidè refelluntur.*

Sect. 4. *In qua declaratur, quænam perſonæ nominibus Dominorum* temporalium, *Dominorum* Principalium, *&* principales *Dominos non habentium in* Lateranenſis *Concilÿ decreto intelligendæ ſint, & quæ à* Leſsio *in contrarium allata ſunt, perſpicuè refutantur.*

Sect. 5. *In qua prima* Widdringtoni *Reſponſio ad obiectionem quandam à ſe propoſitam defenditur; quæ à* Leſsio *in contrarium adducta ſunt, diluuntur; quænam ſit* Ioannis Pariſienſis *ſententia de poteſtate* Principes *deponendi, declaratur, & ipſe à ſchiſmate vindicatur;* Hoſtienſem *in canonem* Ad abolendam *de hæreticis, & in cæteros textus* Decretalium *ſcripſiſſe, contra* Leſsium *imperitè nimium id pernegantem demonſtratur, & quòd Reſponſio* Hoſtienſis, Innocentij, *&* Ioannis Andreæ *in can.* Ad abolendam *doctrinæ* Widdringtoni *faueat, perſpicuè comprobatur.*

Sect. 6. *In qua ſecunda* Widdringtoni

Reſponſio ad præfatam obiectionem à ſe propoſitam ex Gloſſa *in Can.* Hadrianus *&* Delatori *deſumpta confirmatur, & quæ* Leſſius *in contrarium obijcit præſertim ex alia* Gloſſa, *ex* Panormitano, Ioanne Andrea, Hoſtienſi, *& Concilio* Tridentino *manifeſtè refelluntur.*

Sect. 7. *In qua, alia Reſponſio* Widdringtoni *ex Gloſſa in Canonem* Per Venerabilem *petita confirmatur, & quod* Leſſius *contra eam producit refutatur.*

Sect. 8. *In qua* tertia, *& vltima* Widdringtoni *Reſponſio expenditur, egregia* Leſſij *fraus & imperitia in ea refellenda detegitur, & quòd iſtud* Lateranenſis *Concilij* decretum *ab Aduerſarijs ita inculcatum, verè & propriè* decretum *ex eorum ſententia eſſe non poſſit, perſpicuè commonſtratur.*

PARS SECVNDA.

IN quà tres obiectiones, ſeu argumenta à *Leſſio* ad poteſtatem *Papalem Principes* deponendi vt rem *de fide certam* comprobandam allatæ diſſoluuntur, & tres ſimiles *Inſtantia* tribus *Summorum Pontificum* exemplis nixæ à *Widdringtono* ad eas obiectiones diſſoluendas adductæ confirmantur.

Sect. 1. *In qua tres illæ* Leſsij *obiectiones proponuntur; primum* Widdringtoni *exemplum, quo tres eius Inſtantiæ nixæ ſunt, ex Sacramento* Confirmationis *à ſimplici Presbytero cum licentia Summi* Pontificis *adminiſtrato deſumptum, confirmatur; quæ à* Leſsio *in contrarium adducuntur, refutantur; & utrùm verum vel falſum ſit*, quædam eſſe certa *Sedi Apoſtolicæ*, quæ non ſunt certa alijs, *uti* Leſsius *affirmat, dilucidè commonſtratur.*

Sect. 2. *In qua ſecundum* Widdringtoni *exemplum ex decreto* Sixti 4. *de Feſto* Conceptionis *B.* Virginis *celebrando deſumptum expenditur, & quàm imperitè ac doloſè* Leſsius *illud impugnare contendit, ex doctrina, quam celeberrimi ſuæ Societatis Theologi, & præſertim* Franciſcus Suarez, *&* Gabriel Vaſquez *tuentur, clariſsimè demonſtratur.*

Sect. 3. *In qua tertium exemplum* Widdringtoni *ex poteſtate* Papali *in ſolenni religioſæ caſtitatis voto diſpenſandi deſumptum diſcutitur, & quæ in contrarium à* Leſsio *allata ſunt, refutantur.*

Sect. 4. *In qua, quid Doctores Catholici de infallibili tam* Eccleſiæ *quàm* Romani Pontificis *iudicio in decretis & morum ſtabiliendis ſentiant, declaratur.*

Sect. 5. *In qua* prima Widdringtoni *Inſtantia*

ſtantia primo *argumento* Leſsij *oppoſita defenditur, & quæ* Leſsius *in contrarium adducit, refutantur.*

Sect. 6. *In qua* ſecunda Widdringtoni *Inſtantia ſecundo* Leſsij *argumento oppoſita defenditur, & quæ* Leſsius *contra eam obijcit, diluuntur.*

Sect. 7. *In qua* tertia Widdringtoni *Inſtantia* tertio Leſsij *argumento oppoſita defenditur, & quæ* Leſsius *contra eam adducit, refelluntur.*

Sect. 8. *In qua alia ratio* Widdringtoni *defenditur, &* Concluſio *omnium Reſponſionum, quæ ab eo ad demonſtrationes Aduerſariorum refellendas allata ſunt, confirmatur, & quæ* Leſsius *in contrarium obijcit, refutantur.*

Sect. 9. *In qua tacita* Leſsij *excuſatio, (quòd* Diſputationem *ſuam* Apologeticam *pro poteſtate* Summi Pontificis *iamdiu typis impreſſam non adhuc evulgauerit) & expreſſa eiuſdem* Leſsij *accuſatio quorundam magnæ authoritatis virorum (nempe Parliamenti Pariſienſis) qui tales libros vt ſeditioſos flammis adiudicarunt, perſpicuè refelluntur, & quòd* Senatus Pariſienſis *tales libros vt ſeditioſos meritò proſcribere ob duas potiſsimùm rationes potuerit, clariſsimè oſtenditur.*

PARS.

PARS TERTIA.

IN qua *viginti* incommoda, quæ *Leſsius* ex *Widdringtoni* doctrina manifeſtè conſequi falsè, imperitè, & fraudulenter affirmat, clariſsimè refutantur, & quædam Illuſtriſsimi *Cardinalis Peronij* fraudes artificioſæ perſpicuè deteguntur, & refelluntur.

Sec. 1. *In qua quinq; prima incommoda huic falſæ ſupoſitioni potiſsimùm innixa [quòd ſcilicet Eccleſia Chriſti ex ſententia* Widdringtoni *in doctrina, & præceptis morum à multis iam ſeculis non ſolùm per ignorantiam, ſed etiam de induſtria, & ex ambitione errauerit] perſpicuè refutantur.*

Sec. 2 *in qua ſextum, ſeptimum & octauũ incommodum quæ decretis* Gregorij *VII. in can.* Nos Sanctorum, Vrbani *ſecundi in can.* Iuratos milites, *&* Gregorij *noni in can.* Abſolutos, *innixa ſunt, refelluntur.*

Sec. 3. *In qua* nonum, *&* decimum *incommodum ex Concilio* Lateranenſi *tertio ſub* Alexandro *tertio, & ex* Lateranenſi *quarto ſub* Innocentio *tertio celebratis deſumpta refutantur.*

Sec. 4. *In qua* decimum *incommodum ex* Lugdunenſi *Concilio ſub* Innocentio *quarto celebrato deſumptum perſpicuè refellitur, & quæ à D.* Schulckenio *in fauorem huius Concilij* *cōtra* Widdringtonum *allata ſunt, refutantur.*

Sec. 5 *In qua* duodecimum, *&* decimum tertium *incommodum ex Concilio* Viennenſi, *&* Conſtantienſi *deſumpta refelluntur.*

Sec. 6. *In qua* decimum quartum, *&* decimum quintum *incōmodum ex Concilio* Lateranenſi *vltimo ſub* Leone *decimo, & ex* Tridentino *deſumpta refutantur.*

Sec. 7. *In qua* quinque *poſtrema incommoda prioribus ſubnixa [nempe, quòd Eccleſia iam à 500. annis conciderit: quòd* Chriſtus *nobis impoſuerit: quòd* Principes *Chriſtiani habeant iuſtam cauſam recedendi ab Eccleſia, & poſsint perſequi Catholicos, qui antiquam doctrinam tenent, &* Sedi Apoſtolicæ *adhærent: & denique quòd poterit haberi ſuſpecta tota fides Chriſtiana tanquam inuenta ab Eccleſiaſticis politiæ cauſa] perſpicuè diſſoluuntur.*

Sec. 8. *In qua duo* Leſsij *reſponſa ad quandam obiectionem refelluntur, & totius ſuæ* Diſcuſsionis *concluſio, & magis oratoria quàm ſolida Peroratio perſpicuè refutatur.*

Sec. 9 *& vlt. in qua quædam* Ill^{mi}. Cardinalis Peronij *fraudes artificioſæ, quibus ad* Widdringtoni *doctrinam vt falſam, & ſingularem, & à nullo Doctore Catholico propugnatam impugnandam, atque ad Iuramentum* Franciæ *(& conſequenter noſtrum* Angliæ*) refellendum vſus eſt, perſpicuè deteguntur, & refelluntur.*

Erra-

ERRATA ſic corrigenda.

PAg.46. Lin.3. lege *conueniunt*. p.54.l.11.*opponitur*. p 64.l.23.*ac Dominis*. p.74.l.29.*Edicto*. p.75.l.8 *deſignatos*. p. 88.l.22.*eas*. p. 88.l.32. *propria*. p. 90.l.8.*Moguntini*. p.93.l.16 *irreligioſe*. p.97.l.17.*neceßitatis*. p.98.l.11.*vnguem*. p.99.l.11. *deponendum*. p.116.l.5.*At*. p.136.l.6.*promißam*. p.142.l.30 *continere*. p.155.l.13.*poßint*. p.161.l.22. *Tridentini*. p.165.l.29.*dicendam*. p.171.l.11.*iudicium*. p.181.l.13.*reſponſum*. p.183.l.28. *Martyrologijs*. p.185.l.17. *interſint*. p.187.l.7.*conſtitutionis, & decretis*. p.187.l.7.*Apoſtolici*. p 209.l.9.*ipſum*. p.222.l.5.inmarg. *ſec*.3. p.227.l.6.*fidelis*. p.227.l.24.*depoſitionem*. p.252.l.32. *valide*. p.263.l.vlt. *alio*. p.273.l.24.*licet*. p.316.l.18.*Almainus ait*. p.333.l.24.*& 69*. p.342.l.1. *horrore*. p.352.l.1.*pungens*. p.361.l.26. *ex Clement*. p.382.l.31.*acquirantur*. p.383.l.29.*Dominus*. p.388.l.15. *temporalibus poteſtate*. p.390.l.12. *Pontifices*. p.402.l.6. *coarctat*. p.414.l.7. *ordinata*. p.458.l.20.*abſcindere*. In *Præfat*.nu.10.lin.24.*reſiſti* lege *repelli*.

Reliqua Lector beneuolus emendabit.

DISCVS-

DISCVSSIO DISCVSSIONIS *Decreti* magni Concilij *Lateranenſis*.

R*Ecentiores* quidam noſtri temporis, præſertim *Societatis Ieſu* Theologi, qui *Romani Pontificis* temporalem, ſeu in tēporalibus Monarchiam in *Chriſti* inſtitutione, vti prætendunt, fundatam, *rē certam, fideq́; Catholica* credendam eſſe demonſtrare, neque ab vllo Catholico abſque manifeſta *hæreſeôs*, *erroris*, aut ſaltem *temeritatis* nota impugnari, vel in dubium vocari poſſe fidelibus perſuadere conantur, cùm omnia ſua argumenta vel ex ſacris literis, quæ *Chriſti* inſtitutionem tradunt, vel aliunde petita, ad hanc ſuam doctrinam ſtabiliendam parum idonea eſſe clariſſimè perſpexerint, ad decretum *Lateranenſis* Concilij ſub *Innocentio* tertio celebrati, tanquam ad firmiſſimum nouæ ſuæ, Catholicæ *ſcilicet* fidei propugnaculum iam tandem confugiunt, & tantam in eo fiduciam reponunt, vt illud ſolum ad hanc controuerſiam dirimendam, omnemque ſcrupulum, ac dubitationem è fidelium mentibus tollendum, ſatis ſuperque ſufficere, non ſemel, ſed ſæpiùs mirificè glorientur.

Sed quàm vana ſit hæc eorum oſtentatio, &

quàm exiguas vires habeat decretum illud ad hanc temporalem Summi *Pontificis*, quà *Pontifex* eſt, poteſtatem *Principes ſupremos* ſuis Regnis atque dominijs priuandi, de rebus temporalibus propriè diſponendi, pœnaſue vllas temporales ex *Chriſti* inſtitutione infligendi, vt rem de *fide* certam confirmandam, & contrariam Catholicorum opinionem vt *hæreticam*, *erroneam*, aut *temerariam* impugnandam ego in *Præfatione Reſponſionis* meæ *Apologeticæ* perſpicuè commonſtraui, & nunc denuo id ipſum, aduerſus captioſas *Leonardi Leſsij*, viri alioquin perdocti, cauillationes, qui D. *Singletoni* perſonam indutus, *Reſponſiones* illas, quas ad hoc *Decretum* adhibui, diſcutiendas ſuſcepit, in hoc Tractatu, vbi ſuam illius *Decreti* & mearum *Reſponſionum* diſcuſſionem accuratè diſcutiam, confirmare non dubito.

Hunc autem Tractatum maioris perſpicuitatis gratiâ in *tres partes* principales ipſiuſmet *Leſsij* methodum ſequutus diſtribuam.

In *prima*, *Decretum* ipſum *Lateranenſis* Concilij, & quæ hinc inde obijci ſolent, diſcutiam.

In *ſecunda*, aliquot rationes ac Reſponſiones eòdem, vt prętenditur, pertinentes, expendam.

In *tertia* oſtendam, nulla incommoda ex mea ſententia ſequi, ſed *Leſſium* plurima incommoda ex ea captioſè colligentem turpiter allucinatum eſſe clariſſime comprobabo.

PARS PRIMA:

IN QVA DECRETVM LATERANENSIS CONCILII expenditur, & quæ *Leſsius contra Authoris Reſponſa obijcit,* refutantur.

SECTIO PRIMA:

In qua dubia quædam, quæ ad authoritatem Lateranenſis *Concilij infirmandam, confirmandamque adduci ſolent, proponuntur, & quid* Author *de eo* Concilio *ſentiat, breuiter declaratur.*

1 PRiuſquam celeberrimi huius *Lateranenſis* Concilij mentem, ſenſumque *Decreti*, quod Aduerſarij adeo inculcant, excutiamus, non à re alienum fore arbitror, ſi in gratiam ſtudioſi Lectoris præcipua quædam argumenta, quæ ad authoritatem dicti Concilij infirmandam, confirmandamque à quibuſdam adduci ſolent, in medium proferamus: Ita enim eruditis perſpicuum erit, quam firmum argumentum ad rem *fidei* certò demonſtrandam authoritas præfati *Concilij* viris Catholicis ſuppeditare valeat.

Bell. lib. 2. de Concil. c. 15.

a In notis illius Concilij.

2 Certum igitur inprimis eſt, atque apud omnes Hiſtoricos indubitatum, celebratam fuiſſe *Romæ* circa annum Domini 1215. ſanctam & vniuerſalem Synodum, præſidente Papa Domino *Innocentio*

Mat. Paris in Rege Ioanne ad annum 1215. pa, 262.

nocentio tertio: In qua, vt verba *Matthæi Paris* referam, fuerunt *Epiſcopi quadringenti & duodecim: Inter quos fuerunt de præcipuis Patriarchæ duo*, Conſtantinopolitanus, *&* Hieroſolymitanus; Antiochenus *verò graui languore detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe vicarium ſuum* Antididenſem *Epiſcopum*; Alexandrinus *verò ſub* Saracenorum *Dominio conſtitutus fecit quod potuit, mittens pro ſe* Germanum *Diaconum ſuum*: Primates *verò, &* Metropolitani *ſeptuaginta ſeptem*: Abbates *&* Priores *vltra octingentos*: Procuratores *quoque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, & Capitulorum abſentium tantus non fuit numerus*, Legatorum *verò* Imperatoris *Conſtantinopolitani*, Regis *Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi*, Regis *Franciæ*, Regis *Angliæ, Hungariæ, Hieroſolymitani, Cypri, Aragonum, nec non aliorum Principum, & magnatum, ciuitatum, & aliorum locorum ingens adfuit multitudo.* Atque hoc nomine Concilium iſtud *Lateranenſe* iure optimo maximum dici poteſt; quantũuis ſi ſolos *Epiſcopos*, qui ibi aderant, quique ſoli iuxta Cardinalis *Bellarmini* doctrinam in Concilijs ius ſuffragij deciſiui ordinariè habent, reſpiciamus, Concilium *Chalcedonenſe*, cui ſexcenti triginta Epiſcopi interfuerunt, & *Lugdunenſe* ſecundum ſub *Gregorio* decimo, vbi, ſi *Binnio* [a] credendum ſit, pluſquam ſeptingenti Epiſcopi præſentes aderant, longè maiora merito dici queant.

Bell. lib. 1. de Concil. c. 15.

[a] In notis illius Concilij.

3 Tale igitur reuera extitiſſe Concilium *Lateranenſe* ſub *Innocentio* tertio nullus inficiatur, ſed vtrùm Concilium illud fuerit ita plenè finitum, concluſum & abſolutum, vt omnia illa decreta,

quæ iam edita reperiuntur, communibus Patrum ſuffragijs debito examine præhabito, ſeu conciliariter confirmata fuerint, quidam non vſque adeo certum eſſe opinantur; idque non ſolùm probant illis verbis; *Vide* Platinam[b] *in vita* Innocentij *tertij*, vt *Leſſius* affirmat, ſed alijs quoque maioris momenti rationibus innituntur.

4 *Primum* enim argumentum, & fortaſſe præcipuum ad hanc ſuam opinionem confirmandam ſumunt ex authoritate *Matthæi Paris* illius temporis Hiſtorici, qui dum vixit, *vir probatæ vitæ & religionis experta*, teſte Papa *Innocentio* quarto, [c]eſt habitus, tametſi nunc ab Illuſtriſſimo Cardinali *Peronio*[d] tanquam *acerrimus Romanorum Pontificum hoſtis*, ob ſinceram ſuam dicendi libertatem, & ab omni adulatione alieniſſimam perperam traducatur, cum tamen pari ratione non ſolum *Pontificum*, verum etiam *Imperatorum*, *Regum*, & totius *Ordinis Eccleſiaſtici*, quin etiam ſui *Ordinis* Monachorum *hoſtis acerrimus* dici queat, quandoquidem tanta & tam intrepida illius eſt ingenuitas, vt nullorum hominum ſiue *Regali* ſiue *Pontificali* dignitate fulgentium, neque etiam ipſius Regis Henrici *tertij*, cuius hortatu hiſtoriam ſuam ſcripſit, vitia notare pertimeſcat: Neque enim fidelis Hiſtorici nomen meretur, reſue geſtas Pontificum aut Principum ſcribere cenſendus eſt, qui eorum virtutes & non etiam vitia, & res non malè ſed benè tantùm ab ijs geſtas narrat, cùm *Hiſtoria*, teſte *Cicerone*, *ſit magiſtra vitæ & lux veritatis*, & quæ ſequenda, ac fugienda ſint, veraciter monſtret.

Cicero in 2. de Orat.

5 Hic itaque *Matthæus Paris* verbis illis à me

---

[b] Part. 1. nu, 2. pag. 11.

[c] Vide literas *Innocentij* Papæ ad Abbatem *S. Albani*, apud *Mat. Paris* ad annum 1248. p. 731.

[d] En Harangue au tiers Eſtat. pag. 34-36.

ſuperius ex eo relatis hæc protinus ſubiungit: *His omnibus congregatis in ſuo loco præfato, & iuxta morem* Conciliorum *generalium in ſuis ordinibus ſingulis collocatis, facto priùs ab ipſo* Papa *exhortationis ſermone, recitata ſunt in pleno Concilio ſexaginta capitula, quæ alijs placabilia, alijs videbantur oneroſa. Tandem de negotio Crucifixi, & ſubiectionis terræ ſanctæ verbum prædicationis exorſus ſubiunxit dicens,* &c. Adducunt etiam hæc verba eiuſdem [c] *Authoris* in ſua *Hiſtoria* minori; *Concilium illud generale*, ait ille, *quod more* Papali *grandia prima fronte præ ſe tulit, in riſum & ſcomma, quo Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, omneſque ad* Concilium *accedentes artificioſè ludificatus eſt, deſijt. Illi enim cum iam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad ſua cupidi, veniam ſigillatim petierunt, quibus* Papa *non conceſſit, antequam ſibi grandem pecuniam promiſiſſent, quam à Mercatoribus Romanis priùs accipere mutuo, Papæque ſoluere coacti ſunt, antequam diſcedere* Roma *potuiſſent.* Papa *iam accepta pecunia quæſtuoſum hoc Concilium diſſoluit gratis, totuſque Clerus abijt triſtis.*

Secundò proferunt verba *Naucleri*: *Anno*, inquit [e] Domini 1215. Innocentius *Papa* Romæ *in Eccleſia Lateranenſi Concilium ſiue Synodum celebrauit: cui interfuere Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus Patriarchæ, Metropolitani ſeptuaginta, Epiſcopi quadringenti, duodecim Abbates, Priores Conuentuales octingenti, Græci & Romani Legati, Regum verò Hieruſalem, Hiſpaniæ, Angliæ, Franciæ, & Cypri Oratores. Venêre multa tum quidem in conſultationem, nec decerni tamen quicquam*

[e] Generat. 41. ad annum 1215.

apertè potuit, quòd & Piſani & Genuenſes maritimo, Ciſalpini terreſtri bello inter ſe certabant. Edita tamen nonnullæ conſtitutiones referuntur, è quibus vna exiſtit, vt quoties Orbis Principes alter in alterum deliquerint, correctionem ad Romanum Pontificem *ſpectare. Multa denique pro recuperatione Terræ ſanctæ tractata fuere*, &c. Neque verba illa *Naucleri* [*Multa tum venêre in conſultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit*] tantùm de recuperatione Terræ ſanctæ intelligi poſſe affirmant, cum verba illa generalia ſint, neque ipſe vllam prorſus terræ Sanctæ niſi in fine, vti vidimus, mentionem fecerit.

7 *Tertiò*, vrgent verba *Godefridi* Monachi, qui tempore huius Concilij vixit: *Eodem etiam anno* 1215. ait ille, *Papa* Romæ *Concilium habuit, vbi tam de transmarinis partibus, quàm de cunctis Chriſtianorum finibus, Patriarchis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis Eccleſiarum congregatis in Eccleſia S.* Ioannis Baptiſtæ, *Concilium in feſto S.* Martini *inchoatum, & vſque ad feſtum S.* Andreæ *protractum, nihil dignum memoriæ, quod commendari poſſit ibi actum eſt, niſi quod Orientalis Eccleſia (quod antea inauditum fuit) ſe ſubditam Romanæ Eccleſiæ exhibuit*, &c.

f In Annalibus ad annum 1215.

8 Ex his duo ſatis probabiliter deduci poſſe arbitrantur: *Primum* eſt, ſexaginta illa Capitula, quæ *Matthæus Paris* memorat, neq; ab ipſo Concilio, neque in ipſo Concilio, ſed antequam Concilium inchoatum eſſet, vel ab ipſomet *Innocentio*, vel eius iuſſu facta eſſe, cum in primo Patrum conſeſſu Capitula illa in pleno Concilio recitata fuerint: Ideoque erraſſe Illuſtriſſimum Cardina-

g Pag. 34.

lem *Peronium*, quando ſcripſit, [g] Matthæum Paris *affirmaſſe Concilium* Lateranenſe 60. *ſeu* 70. *capitula feciſſe*, cum ipſe ſolùm, vt vidimus, affirmauerit, in initio Concilij poſtquam *Papa* exhortationis ſermonem abſoluiſſet, 60. vel ſi mendum ſit in codice, 70. *capitula in pleno Concilio recitata*, non ait, ab ipſo Concilio facta eſſe. *Secundum* eſt, vniuerſa illa capitula, ſeu decreta non fuiſſe vnanimi Patrum conſenſu confirmata, cum *alijs placabilia, alijs oneroſa viderentur*, neque credibile eſt, Patres illos liberum ſuum conſenſum decretis illis, quæ ſibi videbantur oneroſa, præbere voluiſſe.

h In vita Innocentij.

9 *Denique* pro ſua ſententia corroboranda citant *Platinam*, qui etiam diſertis verbis cum *Nauclero* aſſerit, [h] multa quidem tum in conſultationem veniſſe, nec decerni tamen quidquam apertè potuiſſe, eo quod Piſani & Genuenſes maritimo, & Ciſalpini terreſtri bello inter ſe certabant. Eò itaque proficiſcens tollendæ diſcordiæ cauſa *Pontifex Peruſij moritur*. Et quantumuis *Platina*, ſi præcedentia illius verba, nempe, *At Pontifex, vbi videret Saracenorum potentiam in Aſia concreſcere, apud Lateranum maximum Concilium celebrat*, &c. ſolummodò ſpectemus, de ſuppetijs terræ Sanctæ ferendis, & de modo *Saracenis* in Aſia reſiſtendi intelligi poſſit, quando dixit, *nec tamen decerni quidquam apertè potuiſſe*, (quem ſenſum verba *Naucleri*, vti diximus, admittere commodè nequeunt, cum ipſe nullam talem de *Terra ſancta*, aut *Saracenis* mentionem in præcedentibus fecerit) attamen ſi verba *Platina* cum ijs, quæ ex *Nauclero, Godefrido*, & præſertim *Matthæo Paris* re-

tulimus,

talimus, conferantur, quædamque aliæ circumſtantiæ obſeruentur, aiunt, verba illa *Platinæ*, cum generalia ſint, non tantùm *de ſuppetijs terræ Sanctæ ferendis*, & *modo reſiſtendi Saracenis in Aſia*, vt *Leſſius* ea intelligenda eſſe affirmat, [i] ſed generaliter, vti ſonant, de decretis etiam morum rectè intelligi poſſe, & debere, adeo vt ex ijs *multis*, etiam morum decretis, quæ *tum in conſultationem venêre*, & ad quæ ſtabilienda Concilium illud indictum erat, *ne quidquam apertè decerni potuiſſe*, eo quòd *alijs placabilia*, *alijs videbantur oneroſa*, neque tempus erat ſatis opportunum ob repentinum *Papæ* diſſeſſum, & inexpectatam Concilij diſſolutionem ad res Italiæ componendas ea accuratiùs diſcutiendi, omneſque difficultates ex mentibus Patrum, quibus *oneroſa videbantur*, *remouendi*.

[i] Nu. 2. pag. 12.

10 *Prima* igitur *circumſtantia* quam obſeruandam eſſe aiunt, eſt, *Innocentium* Pontificem, quantum ex ipſo *Concilio* colligere licet, nihil magis apertè in ea Synodo decreuiſſe, quàm vt Principes, populuſque Chriſtianus auxilia terræ Sanctæ mitterent, & *Saracenis* in Aſia reſiſterent, vt patet ex capite vltimo, vbi de ſuppetijs terræ Sanctæ ferendis, & de modo proficiſcendi in Aſiam ſpeciatim agitur, *Ad liberandam*, inquit, *terram Sanctam de manibus impiorum ardenti deſiderio aſpirantes*, *de prudenti virorum conſilio*, *qui plenè nouerant circumſtantias temporum & locorum*, *ſacro approbante Concilio definimus*, &c. Neque hoc *Platina* ignorare potuit; ideoque verba illa, *multa tum quidem in conſultationem venêre*, *nec decerni tamen quicquam apertè potuit*, non de ſuppetijs

terræ Sanctę ferendis commodè intelligi poſſe, cùm plurima ibi, vt patet ex *Pontificis* Bulla in fine Concilij relata, quod attinet ad liberandam terram Sanctam de manibus impiorum, clarè atque apertè decreta fuerint, ſed ſimpliciter & abſolutè de illis 60. vel 70. capitulis, *quæ alijs placabilia, alijs oneroſa videbantur*, intelligenda eſſe affirmant.

11 *Secunda circumſtantia* eſt, Synodum illam *Lateranenſem* ab *Innocentio* tertio non tantùm ad ſuppetias Terræ ſanctæ ferendas eamque de manibus infidelium liberandam, verùm etiam, vt ex Bulla indictionis Concilij perſpicuum eſt, [k] *ad vniuerſalem Eccleſiam in fide & moribus reformandam* indictam eſſe, nempe *ad extirpandum vitia, & plantandas virtutes, corrigendos exceſſus & reformandos mores, eliminandas hæreſes & roborandam fidem, ſopiendas diſcordias & ſtabiliendam pacem, comprimendas oppreſſiones, libertatem fouendam, inducendos Principes & populos Chriſtianos ad ſuccurſum & ſubſidium Terræ ſanctæ, tam à Clericis, quàm à Laicis impendendum*, &c. Neque hoc etiam *Platinam* latere potuiſſe aiunt, ideoq; veriſimile eſſe, *Platinam* illis verbis aſſerere voluiſſe, *ne quicquam* eorũ, ob quæ Synodus illa congregata erat, *apertè*, id eſt, manifeſto aliquo decreto ex vnanimi Patrum conſenſu facto *decerni potuiſſe*, tametſi multa in pleno Concilio recitata fuerint, atque in conſultationem venerint, quæ tamen, cum *alijs placabilia alijs oneroſa viderentur*, neque ob temporis breuitatem ſufficienter diſcuti potuerunt, conciliariter concluſa, decreta, ſeu definita rectè dici non poſſunt.

12 *Tertia*

[k] Apud Vrſperg ad annum 1213.

12 *Tertia circumſtantia* eſt, maximum iſtud & celeberrimum *Lateranenſe* Concilium non niſi poſt ter centum annos in lucem publicam prodijſſe, neque in Tomis Conciliorum à *Iacobo Merlin*, qui anno Domini 1530. *Coloniæ* Concilia etiam multo recentiora, nempe, *Conſtantienſe* & *Baſilienſe*, edidit, conſcriptum eſſe. At ſi Concilium iſtud adeo maximum & celeberrimum plenè finitum & abſolutum fuiſſet ſeu quod idem eſt, ſi Concilij Patres omnia illa 70. capitula quæ nunc extant, & tunc *in pleno Concilio recitata* erant, quęque *alijs placabilia, alijs onerosa videbantur*; conciliariter approbaſſent, haud dubium eſſe aiunt iſti, quin vel ipſemet Papa *Innocentius*, vel nepos eius *Gregorius* nonus, vel aliquis ſaltem ex Romanis Theologis, vel Iuriſconſultis intra trecentorum annorum ſpacium publicandum, atque in Tomis Conciliorum reponẽdum curaſſent, neq; *Ioannis Cochlæi*, aut alterius cuiuſpiã Germani ope indiguiſſemus, qui poſt totos ter centum annos Conciliũ iſtud maximum & celeberrimũ, non ex *Bibliotheca Vaticana*, ſed ex antiquo neſcio quo codice trãſcriptum, Orbi Chriſtiano publicũ faceret.

13 Quapropter ipſemet *Platina* poſtquam *multa tum quidem in conſultationem veniſſe, nec decerni tamen quicquam apertè potuiſſe* affirmauerat, condemnationem libelli Abbatis *Ioachimi*, & errorum *Almarici* non ipſi *Concilio*, ſed *Innocentio* aſcribit. *Improbauit ipſe* Innocentius, ait ille, *Abbatis* Ioachimi *libellum quendam, damnauit & errores* Almarici *hæretici*. Quin etiam (quod ſane notatu dignum eſt) ipſemet *Gregorius* nonus eiuſdem *Innocentij* nepos, tametſi totum iſtud *Latera-*

teranenſe Concilium & vniuerſa illa 70. capitula quæ nunc extant, libris ſuis Decretalium ſparſim inſeruerit, nullum tamen omnino decretum ipſi Concilio, ſed tantum ipſimet *Innocentio* in Concilio attribuit, hac loquendi formula ſemper vtẽs, Innocentius *tertius in Concilio generali*; cum tamen idem *Gregorius* decreta *Lateranenſis* Concilij ſub *Alexandro* tertio, non ſemper *Alexandro*, ſed ſæpiſſimè ipſi Concilio generali, nulla facta mentione Pontificis *Alexandri*, aſcribat.[1]

14 Quibùs omnibus ritè perpenſis non adeo certum eſſe aiunt, maximam hanc & celeberrimam Synodum plenè finitam & abſolutam eſſe, aut quicquam omnino clarè & apertè, (hoc eſt, publico aliquo & authentico decreto, quo conſtare certò poſſit, Concilij Patres ſeptuaginta illa capitula quæ nunc extant, quæque, quando *in pleno Concilio recitata erant*, *alijs placabilia*, *alijs videbantur oneroſa*, tandem approbaſſe) more Conciliorum veterum & præhabitis Patrum ſuffragijs decerni potuiſſe. Et tametſi in tredecim tantum huius Concilij capitulis (in quorum numero, quod obſeruatione dignum eſt, decretum illud; de quo tota hæc inter me & Aduerſarios controuerſia exiſtit, non habetur) nonnulla de Concilij approbatione mentio fiat, *Reſpondent* tamen illi, ſeptuaginta illa capitula, quæ in ipſomet Concilij principio recitata erant, eodem verborum tenore, quo nunc edita reperiuntur, vel ab ipſomet *Innocentio*, vel ex eius mandato ante inchoatum Concilium conſcripta fuiſſe, atque Patribus Concilij, vt ab ipſis confirmarentur, in primo eorum conſeſſu propoſita, quæ nihilominus

---

[1] Vide lib. 3. *Tit.* 4. cap. 3. *tit.* 8. cap. 2. *tit.* 11. cap. 1. *tit.* 26. cap. 7. *tit.* 35. cap. 2. *tit.* 38. cap. 3. *tit.* 39. cap. 5. *tit.* 49. cap. 4. & alibi ſæpe in libro quinto.

alijs placabilia, alijs onerosa videbantur, ideoq; non poſſe hinc rectè colligi, Concilij Patres decretis illis liberum ſuum conſenſum prębuiſſe, cum nullæ Patrum ſubſcriptiones, ſicut in antiquis Concilijs fieri ſolitum eſt, apponantur, neque temporis breuitas, *Innocentio* ad diſcordias *Genuenſium* & *Piſanorum* cóponendas properante permiſit, vt maturior eorum decretorũ, *quæ alijs placabilia, alijs onerosa videbantur*, diſcuſſio conciliariter fieri poſſet.

15 Et quantumuis verum eſſet, Concilium *Lateranenſe* aliqua ex illis 70. capitulis, illa nimirum in quibus de tali approbatione mentio fit, ex communi Patrum conſenſu verè approbaſſe, ex hoc tamen capite, inquiunt, potiùs colligi poſſet, Concilium illud non plenè finitum, & abſolutum in ſenſu antedicto fuiſſe, neque cætera decreta, quæ nunc nomine Concilij circumferuntur, in quibus de tali approbatione nulla fit mentio, communibus Patrum ſuffragijs confirmata; & proinde Illuſtriſſimum *Cardinalem Peronium* [m] dum ſcribit, *eos qui ad authoritatem huius decreti*, de quo inter me & Aduerſarios tota lis exiſtit, *infirmandam, aſſerunt, ne quicquam quidem ſiue ad doctrinam, ſiue ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectans, in eo Concilio apertè* (id eſt, communibus Patrum ſuffragijs) *decretum eſſe, commiſeratione potiùs, quàm reſponſione dignos eſſe*, prædicta quę attulimus argumenta, vel non ſatis aduertiſſe aiunt, vel nimis oſcitanter expendiſſe.

[m] En Herangue au Tiers Eſtat. pag. 33.

Atque hæc ſunt præcipua argumenta, quæ nonnulli ad authoritatem maximi huius *Lateranenſis* Concilij infirmandam proponunt.

16 In contrarium tamen ad authoritatem

illius confirmandam plures non contemnendæ rationes à quibuſdam, ſed præſertim ab Illuſtriſſimo *Cardinali Peronio* [n] adduci ſolent. Atque imprimis ita arguunt; *Si nihil planè ad doctrinam & diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectans in eo Concilio ex communi Patrum aſſenſu decretum eſſet, ſequeretur* primò, *poſſe vt falſum impugnari, articulum de Tranſubſtantiatione; articulum de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio; præceptum Confeſſionis annuæ vniuerſis fidelibus, & condemnationem errorum Abbatis* Ioachimi, *vnà cum vniuerſis Doctorum Scholaſticorum iſta referentium ſcriptis, & praxi omnium Iuriſdictionum* Franciæ, *quæ in hæreticis inquirendis ea ſequuti ſunt.*

[n] pag. 33.

17 Sed *Reſpondent* illi, non hinc ſequi, prædictos articulos & decreta, aut praxim *Franciæ*, poſſe tanquam falſa impugnari, non tamen propterea quòd certum ſit, ea in *Lateranenſi* Concilio ex communi Patrum conſenſu ſtabilita fuiſſe, ſed quoniam, cum ab ipſomet Pontifice *Innocentio* ſancita, & poſtea à *Gregorio* nono confirmata, & in corpore Iuris Canonici eius iuſſu repoſita fuerint, tandem communi fidelium acceptatione, ſeu generali Eccleſiæ conſenſu robur acceperint: Idcirco autem quoſdam Doctores Scholaſticos, ſed non omnes, prædicta decreta & condemnationes tanquam Concilij *Lateranenſis* recenſere, quoniam in ipſo Concilio lecta, recitata, & Concilij Patribus, vt ab ipſis confirmarentur, propoſita ſunt, ſed vtrum decreta illa, *quæ alijs placabilia, alijs onerosa videbantur*, communibus Patrum ſuffragijs confirmata fuerint, apertè non conſtat, vnde plurimi Doctores Scho-

laſtici decreta illa de communicando & confitendo ſemel in anno, & condemnationes errorum Abbatis *Ioachimi*, & *Almarici*, non Concilio *Lateranenſi*, ſed vel ipſi *Innocentio*, vel *Gregorij* noni decretalibus aſcribere ſolent.

18 Secundò, inquiunt, *ſequeretur, poſſe vt falſas impugnari* Decretales *à* Gregorio *nono duodecim poſt celebratum* Lateranenſe *Concilium annis collectas, vbi totum hoc decretum, de quo omnis controuerſia exiſtit, ſub nomine & titulo Concilij* Lateranenſis *refertur.*[o]

19 Sed *Reſpondent* illi, neque hoc Decretum, neque aliud quodcunque ex illis 70. capitulis ſeu decretis, ſub nomine Concilij *Lateranenſis*, ſed ſolum ſub nomine *Innocentij* tertij in Concilio à *Gregorio* nono in ſuis Decretalibus relata eſſe, quę verba propriè accepta hoc tantùm ſignificant, decreta illa authoritate *Innocentij* facta in pleno Concilio recitata fuiſſe, atque Patribus Concilij, vt ab ipſis confirmarentur, propoſita, ſed cum *alijs placabilia, alijs onerosa viderentur*, ex iſtis verbis, *Innocentius tertius in Concilio Lateranenſi*, non rectè colligi poteſt, ipſum Concilium ex communi Patrum conſenſu decreta illa confirmaſſe, ſed ſolum ea in Concilio, vt à Patribus confirmarentur, iuſſu Pontificis *Innocentij*, lecta, recitata, & propoſita fuiſſe.

20 Veruntamen *hac formula*, ait *Leſſius*, [p] *paſſim in Iure Canonico habetur*; Innocentius tertius in Concilio generali. Clemens quintus in Concilio Viennenſi. Innocentius quartus in Concilio Lugdunenſi. *Quia quando Pontifex ipſe præſens eſt, & Concilio præſidet, tunc ipſe tanquam caput*

Con-

[o] lib. 5. tit. 7. de hæret. cap. 13. Excommunicamus.

[p] in diſcuſſ. nu. 3. pag. 17.

Concilij loquitur & decernit; ſed quia res antea à Concilio examinata eſt, & probata, etiam Concilium decernere, & loqui cenſetur, etſi honoris cauſa decretum ſub nomine Pontificis *formetur, eo quod vltima approbatio, & confirmatio decreti ad ipſum pertineat. Fruſtra enim adderetur*, ait ille, in Concilio generali, *ſi approbatio Concilij non interueniſſet. Immo fruſtra Concilium generale conuocaretur, ſi non deberet ſe huiuſmodi decretis immiſcere, cum* Pontifice *pręſente omnia pene ſic concipiantur.*

21 Sed *Reſpondent* illi, tametſi hæc loquendi formula, *Alexander, Innocentius, Clemens in Concilio generali* (quæ ab eo tempore quo *Romani Pontifices* authoritatem ſupra *Concilia* generalia ſibi vendicarunt, in Iure Canonico, paſsim habetur) non repugnet huic formulæ, *Concilium generale ſub Alexandro, Innocentio, Clemente*, cum vtraque eundem planè ſenſum habere queat, attamen ex priori formula præcisè, cum æquiuoca ſit, & diuerſimodè intelligi poſſit, non rectè colligi, Concilij Patres communi conſenſu talia decreta, quæ ab ipſis Pontificibus in Concilio facta eſſe referuntur, approbaſſe, ſi pręſertim Doctores Catholici, fideque digni Hiſtorici qui eo tempore vixerunt, affirment, vt quæſtio noſtra ſupponit, decreta illa quæ iuſſu *Pontificis* in Concilio lecta & recitata ſunt, non omnibus Concilij Patribus accepta fuiſſe, at *Matthæus Paris*, vt ſupra vidimus, diſertè aſſerit, vt cæteros taceam, 60. illa, vel 70. *capitula*, quæ in Concilio *Lateranenſi* recitata ſunt, *alijs placabilia, alijs onerosa viſa eſſe, & nihil in tanto negotio geſtum, ſed* Concilium *illud generale in riſum & ſcomma, quo Archiepiſ-*

chiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Decanos, Archi-Diaconos, omneſque ad Concilium accedentes Pontifex artificioſè ludificatus eſt, deſyſſe: & proinde ex hac formula præciſè, *Innocentius tertius in Concilio generali*, qua *Gregorius* nonus *Innocentij* nepos in ſuis *Decretalibus* ſemper vſus eſt, non poſſe concludi, Concilij Patres decretis illis ſubſcripſiſſe, aut verbo, vel ſcripto conſenſum ſuum liberum præbuiſſe.

22 Nec propterea *Gregorius* nonus, tali verborum formula vſus, *tanquam impoſtor & adulterator ſacrorum Canonum Cōcilij Oecumenici* cenſendus eſt, vt *Leſſius* obijcit,[q] ac ſi adulterinos canones in corpus Iuris, tanquam à Concilio *Lateranenſi* editos retuliſſet; Nam verba illa, *Innocentius tertius in Concilio generali*, ſi propriè accipiantur, ſolum ſignificant, decreta illa, vel ab ipſo *Innocentio*, aut eius iuſſu in Concilio facta vel recitata eſſe, atque Prælatis, vt ab ipſis confirmentur propoſita, ſed quòd Prælati talibus decretis ſubſcripſerint, aut conſenſerint, non ex illis verbis, quæ talem conſenſum non denotant, ſed ex alijs argumentis & coniecturis colligere oportet.

23 Neque etiam conſuetum eſt, vt *quando ipſum Concilium loquitur, & decernit, ipſemet Pontifex qui præſens eſt, & Concilio præſidet*, hac forma vtatur, *Nos in Concilio*, ſeu *præſente Concilio* hoc decernimus, ſed *Sacra Synodus hoc decernit*, vel *Nos ſacro approbante Concilio hoc decernimus*. Nihilominus Authores quidam, dum poſtea decreta Concilij referunt, hac formula, *Alexander, Innocentius, Clemens in Concilio Generali* nonnunquam vti ſolent, idque non fruſtra, ſed vel honoris cauſa,

vel

[q] Nu. 3. pag. 14.

vel forſan vt Lectori perſuadeant, *Summum Pontificem Concilio* vere *Oecumenico* ſuperiorem eſſe, et totam *Concilij* infallibilitatem à ſolo *Pontifice* dependere: Sed vtcunque ſit, ex illa verborum formula præciſe, non certò colligi poſſe aiunt, decretum aliquod ex communi Patrum conſenſu ſancitum eſſe. Et fortaſſe *Gregorius* nonus illam formulam ſemper adhibuit, neque vnquam ita locutus eſt, *ex Concilio Generali*, vel *Concilium generale ſub Innocentio tertio*, ſed ſemper hac formula vſus eſt, *Innocentius tertius in Concilio generali*, quia optimè nouit, decreta illa ab *Innocentio* quidem facta, & in *Concilio* etiam recitata, ſed ob repentinum *Pontificis* diſceſſum, & inexpectatam *Concilij* diſſolutionem à Patribus nec probata, nec ſatis examinata, ſed *alijs quidem placabilia*, *alijs* verò *oneroſa viſa eſſe*: & propterea vt plus roboris haberent, ipſum *Gregorium* ſuam etiam authoritatem, atque mandatum adiunxiſſe.

24. *Tertiò*, inquiunt, *ſequeretur*; [r] *poſſe vt falſa impugnari ſcripta* Matthæi Paris *eiuſdem ſeculi Authoris*, *& accerrimi Paparum hoſtis*, *qui ait*, Concilium Lateranenſe *decreta* 60. (*ſed legendum eſt* 70.) *feciſſe*: *Bullam etiam* Clementis V. *in fauorem* Philippi *Pulchri editam*, *qui Lectorem ad decreta* Lateranenſis *Concilij remittit*; *atque etiam Centuriatores*, *qui omnes* 70. *articulos* Lateranenſis *Concilij ſuis Centurijs inſeruerunt*.

25. Sed *Reſpondent* illi primò, id falſò imponi *Matheo Paris*, cum ipſe contrarium potiùs verbis expreſſis aſſerat, vt ſuprà commonſtrauimus: *Deinde*, in illa *Clementis* Bulla ſolùm mentionem fieri cuiuſdam decreti, *quod à Pædeceſſore ſuo in* Latera-

[r] En Harangue pag. 34.

Lateranenſi *Concilio ſancitum eſt*, quod in ſenſu explicato verum eſſe dicunt; quamuis etiam ex verbis illius Bullæ non ſatis conſtare queat, an *Clemens* 5. de Concilio *Lateranenſi* ſub [e] *Alexandro* 3. vel de *Lateranenſi* ſub *Innocentio* 3. ibidem loquatur, cum in vtroque Concilio decretum illud cuius ibi ſit mentio, ſtabilitum fuerit; *Demum Centuriatores* decreta illa 70. non tanquam ab ipſo Concilio *Lateranenſi* communibus Patrum ſuffragijs examinata & probata, ſed ab ipſomet *Innocentio* eiuſue iuſſu facta, & in pleno Concilio lecta ac recitata ſuis Centurijs inſeruiſſe.

26 Denique *ſequeretur*, inquiunt,[f] *poſſe licitè argui falſitatis vnionem Comitatus Tholoſani Coronæ Franciæ, quæ in illius Concilij decreto fundamentum habuit, atque rationes Curiæ Parlamentalis* Ludouico *Regi vndecimo circa extinctionem Pragmaticæ Sanctionis quondam exhibitas, vbi Curia Regem ſuppliciter precatur, vt de electionibus diſponat iuxta Canones Concilij Lateranenſis his verbis.* [t] Concilio Lateranenſi, ait Curia, quod ab *Innocentio* tertio Romæ coactum eſt Anno 1215. vbi Antiſtites 1336. adfuerunt, certa forma eligendi præſcripta erat, additumque eſt, vt negligentibus electoribus poſt tres menſes omne ius & poteſtas prouidendi Eccleſię ad Superiorem Antiſtitem deuolueretur. *Cap. quia propter. Cap. ne pro defectu, de elect.*

[f] En Harangue pag. 34.

[t] Refertur à *Bochell.* lib. 4. decret. Eccleſ. Gall. tit. 21. cap. 11, nu. 33.

27 Sed hinc colligi non poſſe *Reſpondent* illi, decreta illa 70. ab ipſomet *Lateranenſi* Concilio aut facta, aut approbata, ſed ſolum *in Concilio*, vt ſcripſit *Matthæus Paris*, *recitata*, & Patribus, qui tunc aderant, vt ab ipſis confirmarentur, propoſita

fuiſſe: in quo etiam ſenſu verba Concilij *Conſtantienſis* in Bulla Confirmationis Conſtitutionis *Frederici* intelligunt, vbi de hoc *Lateranenſi* Concilio loquens, ait *in Lateranenſi Concilio*, hoc eſt, ab ipſomet *Innocentio* in *Lateranenſi* Concilio, *promiſsum & decretum fuiſſe* &c. Abdicationem verò *Raymundi* Comitis *Tholoſani*, & collationem eiuſdem Comitatus *Simoni* de *Monte forti*, quas quidam Hiſtorici decreto *Lateranenſis* Concilij factas eſſe referunt; de decreto *Concilij*, ſeu potius *Innocentij* in Concilio non quidem *Raymundum* deſtituentis, & *Simonem* inſtituentis, ſed depoſitionem & collationem authoritate *Regis Chriſtianiſſimi* factas tanquam legitimas approbantis, & *Raymundum* hæreſi *Albigenſium*, ob quam depoſitus erat, infectum eſſe declarantis, intelligunt. Quare *Rigordus* illius temporis ſcriptor diſertè aſserit, *Simonem Comitem Montisfortis factum eſſe Comitem Tholoſanum* Innocentio *Papa procurante*, *&* Rege Philippo *concedente propter hæreticam prauitatem Albigenſium*, *& propter apoſtaſiam* Raymundi *Comitis Tholoſani*, quo nomine idem *Simon* [u] ſe beneficiarium *Regis Francorum* profeſsus eſt, *ſeque ei iureiurando fidelitatis ſanctiſſimè obſtrinxit*. Atque in hoc ſenſu interpretantur illos Authores qui ſcribunt, *Simonem de Monte forti* factum eſſe Comitem *Tholoſanum*, & *Raymundū* ob hęreſim abdicatum à *Philippo* Auguſto, & *Innocentio* Papa tertio: nempe à *Philippo* propriè inſtituente, & abdicante, & *Innocentio* procurante, conſulente, approbante, atque *Raymundum* veluti hęreticum, ideoque iure optimo à *Rege Chriſtianiſſimo*, cuius vaſallus erat, depo-

Rigord. de geſtis *Philippi Auguſti* ad annum 1215.

[u] *Paulus Emilius* in Philippo Auguſto.

deponendum declarante.

28 Quapropter ex hoc *Lateranenſis* Concilij decreto, quod Cardinalis *Peronius* vrget, non leue aiunt argumentum ſumi poſſe ad probandum, nullum integrum & authenticum huius Concilij exemplar adhuc extare, ſed illud quod iam prodijt ex Decretalibus *Gregorij* noni collectum eſſe, atque in eam formam, qua nunc habetur, redactum, cum in *Concilio* iam edito nulla prorſus vel huius decreti, de *Raymundo* Comite *Tholoſano* deſtituendo, & *Simone* inſtituendo, vel Excommunicationis *Baronum Angliæ*, & aliorum etiam, quæ in eo Concilio facta eſſe Hiſtorici referunt, mentio habeatur. Si enim verum eſt quod ait *Leſſius*,[x] *& Græcos, & plurimos Epiſcopos Latinos exemplaria huius Concilij ſecum tuliſſe*, quî fit, vt poſt quadringentos iam ferme annos nullum integrum huius *Concilij* exēplar in vlla Bibliotheca reperiatur, quod in lucē prodire queat? vt potius hinc concludi poſſit, neq; *Græcos*, neque *Latinos* aliquod huius *Cōcilij* exemplar ſecum tuliſſe, propterea quod *ſeptuaginta illa capitula quæ alijs placabilia, alijs oneroſa videbātur*, cōmunibus Patrū ſuffragijs approbata non fuerint.

29 *Denique* pro authoritate huius *Lateranenſis* Concilii confirmanda afferri poſſunt Concilium *Conſtantienſe*, ſed præſertim *Tridentinum*. Nam Concilium *Conſtantienſe* decernit,[y] *vt qui eligendus erit in Papam, corde & ore profiteatur, ſe firmiter credere & tenere ſanctam fidem Catholicam ſecundum traditiones Apoſtolorum, generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum, maxime autem Sanctorum Octo Conciliorum vniuerſalium, nec non Lateranenſis, Lugdunenſis, & Vien-*

[x] Nu. 3. p. 15.

[y] Seſſ. 39.

nenſis generalium etiam Conciliorum. Et Concilium *Tridentinum anathema dicit* [z] *illis*, qui aiunt, *ad confeſsionem omnium peccatorum non teneri omnes & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles iuxta magni Concilij* Lateranenſis conſtitutionem ſemel *in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, vt tempore Quadrageſimæ non confiteantur.*

z Seſſ.14.ca.8.

30 Sed ad *Conſtantienſe* Concilium reſpondent *primò*, nomine *Lateranenſis* Concilii non *Lateranenſe* quartum ſub *Innocentio* tertio, ſed *Lateranenſe* tertium ſub *Alexandro* tertio eo loco intelligi, ſicut etiã per *Lugdunenſe* Concilium non *Lugdunenſe* primum centum & quadraginta tantum Epiſcoporum ſub *Innocentio* quarto; ſed *Lugdunenſe* ſecundum ſeptingentorum, vt *Binnio* placet, vel quod verius eſt, quingentorum circiter Epiſcoporum ſub *Gregorio* decimo celebratum, intelligendum eſſe volunt. *Deindè* hinc tantùm colligi inquiunt, primum decretum ſeu capitulum, in quo agitur de fide Catholica, non autem reliqua decreta ad mores pertinentia, *quæ alijs placabilia, alijs oneroſa videbantur*, communibus Patrum ſuffragiis approbata eſſe: Concilium autem *Tridentinum* nihil certi, & de fide formaliter illis verbis in quibus *Lateranenſis* Concilii fit mentio, determinare voluiſſe, ſed obiter tantùm iuxta communem Doctorum opinionem, qui decreta omnia *Lateranenſis* Concilii communi Patrum conſenſu ſancita eſſe arbitrantur, ea verba in Canone illo inſeruiſſe: cum ad ſubſtantiam illius Canonis nihil omnino referat, vtrùm illud annuæ confeſſionis præceptum in *Lateranenſi* Concilio ab ipſomet *Innocentio* quibuſdam tantùm Patribus

aſſentientibus, vel communi omniũ conſenſu impoſitum fuerit.

Bell. lib. 2. de Concil. ca. 12.

Bell. lib. 2. de Concil. ca. 13.

31 Qui igitur prædicta omnia ſedulò expendere, eaque cum ijs, quæ Card. *Bellarminus* tradidit, conferre voluerit, nempe *in Concilijs maximam partem Actorum ad fidem non pertinere, ſed tantùm ipſa nuda decreta, & ea non omnia, ſed tantùm quæ proponuntur tanquã de fide*, atque etiam vſq; *ad hanc diẽ quæſtionem ſupereſſe etiã inter Catholicos, an Papa ſit Concilio ſuperior* necne, *propterea quòd nõnulli dubitent, an Conciliũ* Lateranenſe *vltimũ quod expreſſimè, ſi* (Bello. credendũ eſt) *rẽ definiuit fuerit verè generale*, facillimè inquiunt, perſpiciet, non poſſe ab authoritate huius *Lateranenſis* Concilij ſub *Innocentio* tertio celebrati, firmum aliquod argumentum trahi, ad poteſtatem *Papalem Principes* ſupremos abdicandi tanquam rem *de fide* certam confirmandam, tametſi, res ipſa expreſſimè ab *Innocentio* in eo Concilio definita fuiſſet, quod tamen falſiſſimum eſſe inferiùs oſtendemus, quandoquidem nonnulli ſupradictis rationibus ducti plurimùm dubitant, an omnia illa ſeptuaginta capitula, *quæ alijs placabilia, alijs oneroſa videbantur*, & nominatim *tertium* iſtud de quo tota inter me & Aduerſarios controuerſia exiſtit, non dico in Concilio lecta & recitata, ſed etiam ab ipſo Concilio matura præhabita diſcuſſione, & ex communi Patrum conſenſu, ſeu conciliariter, vt ita dicam, ſtabilita fuerint.

32 Atque hæc ſunt præcipua, quę in vtramque partem pro authoritate celeberrimi huius *Lateranenſis* Concilij infirmanda, & confirmanda à nonnullis proponi ſolent, quæque in gratiam

tiam tantùm Lectoris Catholici, ne infirma fidei ſuæ Catholicæ fundamenta iaciat, præmittenda eſſe duxi. Nam, quod ad memetipſum attinet, ego ſanè Concilium iſtud *Lateranenſe*, & ſingula eius decreta, prout nunc extant, omni qua par eſt veneratione libenter admitto, & proinde non de authoritate, ſed de vero ac genuino huius decreti, quod Aduerſarij adeo vrgent, ſenſu mihi cum *Leonardo Leſſio*, nomine D. *Singletoni* perſonato, in ſequentibus erit ſermo.

SECTIO II.

In qua Decretum Lateranenſis *Concilij, &* Authoris *ad illud reſponſio proponuntur, & quæ à* Leſsio *in contrarium allata ſunt refutantur.*

1 ATque imprimis *Lateranenſis* Concilij decretum, quod Aduerſarij ad nouam ſuam Catholicam *ſcilicet* fidem de poteſtate Papali Principes ſupremos abdicandi confirmãdam pauciſsimis tantùm ab hinc annis vrgere cæperunt, his verbis continetur.

*Moneantur autem & inducantur, & ſi neceſſe fuerit per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſeculares poteſtates, quibuſcunque fungantur officijs, vt ſicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defenſione fidei præſtent publicè iuramentum, quòd de terris ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis, vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt; ita quòd amodo quandocunque quis fuerit in poteſtatem ſiue perpetuam, *. ſiue*

* ſpiritualem

ſiue temporalem aſſumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Si vero Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica fæditate, per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Epiſcopos Excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc Summo Pontifici, vt extunc ipſe Vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis ſine vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, ſaluo iure Domini principalis, dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat; eadem nihilominus lege ſeruata circa eos, qui non habent Dominos principales. Ita Concilium *Lateranenſe.*

2 Iam *Leſſius* verba hæc Concilij *Lateranenſis* duo in ſe decreta complecti aſſerit. [a] *Primum eſt, quo præcipitur Poteſtatibus Secularibus, & (ſi opus ſit) iubetur, vt Cenſuris compellantur, vt omnes hæreticos ab Eccleſia denotatos è ſuis ditionibus pro viribus expellant. Et ſimul ſtatuitur, vt quando aſſumuntur, præſtent iuramentum, ſe hoc pro viribus, & bona fide exequuturos. Atqui an hoc non eſt diſponere de Iuribus temporalibus Principum, præcipere illis & compellere per Cenſuras, vt tot ſubditos, à quibus plurimùm emolumenti temporalis fortaſſe obueniebat, Regno expellant, & iuramento Eccleſiæ ſe obſtringant, ſe id pro viribus facturos? fuit hoc decretum ab omnibus Principibus Chriſtianis receptum, & quatuor penè ſeculis ſeruatum.*

3 *Alterum decretum eſt, quo Dominis tem-*

[a] nu.1.pag. 8.9.

poralibus illud prius exequi negligentibus ſtatuit pœnam Excommunicationis & depoſitionis; nam & vaſallos à fidelitate denunciat abſolutos, & terram eorum exponit Catholicis occupandam: vbi manifeſtè Concilium agnoſcit in Summo Pontifice poteſtatem priuandi Principem (ſiue feudatarius ſit, ſiue principalis) imperio, & transferendi illud in alium, quando in perniciem Eccleſiæ cedit illius adminiſtratio.

[b] pag. 10.

4 *Poſt hoc decretum*, ait *Leſſius*, [b] *Concilium ſubijcit tertium, quo credentibus, receptatoribus, defenſoribus, & fautoribus hæreticorum Excommunicationis pœnam infligit, in qua ſi per annum manſerint, ſatisfacere contemnentes, eis multas pœnas temporales irrogat, nimirum infamiam, inhabilitatem ad officia publica, ad condendum teſtamentum, ad ſucceſſionem hæreditatis, ad ferendam ſententiam in iudicio, ad teſtandum, ad poſtulandum*. &c. *Hæc decreta valde torquent Aduerſarios, præſertim ſecundum; vnde varias adferunt Reſponſiones, quas hic breuiter expendemus.* Hucuſque *Leſſius*.

5 Sed *imprimis* quod attinet ad *primum* illud decretum, in eo nullam planè difficultatem, quæ quenquam meritò torquere queat, reperiri nimis manifeſtum eſt. Neque enim ſemel, aut iterum ſed ſepiſſimè affirmauimus, poteſtatem Eccleſiaſticam, quatenus eſt *directiua*, ad res temporales ex diuina inſtitutione extendi poſſe, atque penes Eccleſiam ſeu Prælatos Eccleſiaſticos, quâ ſpirituali præditi ſunt authoritate, eſſe poteſtatem eleemoſinas, ieiunia, verbera, cæteraque temporalia, in quibus virtus aut vitium reperiri queunt, præcipiendi, aut prohibendi: cum proprium

prium & formale poteſtatis Eccleſiaſticę, vt *directiua* eſt, obiectum ſit bonum, aut malum ſpirituale, id eſt, virtus aut vitium, vt media ſunt ad æternam ſalutem, quæ poteſtatis Eccleſiaſticæ finis eſt, vel conſequendam vel deperdendã: ideoque non mirum, quòd res temporales ſub hac ratione per poteſtatem Eccleſiaſticam præcipi, aut prohiberi poſſint, ſeu, ~~quod idem eſt,~~ poteſtati Eccleſiaſticę vt *directiua* eſt, indirectè, ſeu in ordine ad bonum ſpirituale ſubijciantur. Sed tota difficultas eſt de poteſtate Eccleſiaſtica, vt eſt *coercitiua*, an hæc ſcilicet ex *Chriſti* inſtitutione ad pœnas tantùm ſpirituales, vel etiam temporales, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. non dico præcipiendas (nam has præcipere ad poteſtatem *directiuam*, non *coercitiuam* ſpectat) ſed infligendas extendi poſſit, ſeu, quod idem eſt, vtrùm Eccleſia per ſpiritualem poteſtatem ſibi à *Chriſto* traditam fideles ſubditos ad præcepta ſua adimplenda, atque ad virtutes amplectendas, & vitia aſpernanda pœnis tantùm Eccleſiaſticis, an etiam ciuilibus compellere queat. Atque hic verus, & perſpicuus totius inter me & Aduerſarios controuerſiæ ſtatus eſt, quem tamen ipſi, ne Lector eorum fraudes, ſophiſmata, atque impoſturas ſtatim diſpiciat, diſſimulare, & confuſa verborum caligine obnubilare ſtudent.

6 Atque hinc perſpicuè conſtat, tum apertiſſimum inter poteſtatem *directiuam* & *coercitiuam*, propriosque vtriuſque poteſtatis actus atque obiecta diſcrimen, tum etiam vera & genuina ratio, ob quam res temporales indirectè ſeu in ordine

Vide de hac re infrà part 2. ſec. 9. nu. 22. 23.

dine ad bonum ſpirituale per poteſtatem Eccleſiaſticam vt *directiua* eſt, & res ſpirituales indirectè, ſeu in ordine ad bonũ temporale per poteſtatẽ ciuilem vt *directiua* eſt, pręcipi aut prohiberi queant; nullus tamen ordo, aut reductio vel rerum temporalium ad bonum ſpirituale, vel rerum ſpiritualium ad bonum temporale efficere valeat, vt vel poteſtas ſpiritualis pęnas ciuiles, vel poteſtas ciuilis pęnas ſpirituales ex diuina inſtitutione infligere poſſit. Ratio enim eſt, quia *Chriſtus* Dominus ita proprios vtriuſque poteſtatis, vt *coercitiua* eſt, actus atque obiecta diſtinxit, ſeu potiùs diſtinctos reliquit, vt neque inflictio pęnarum ciuilium poteſtati ſpirituali, neque inflictio pænarum ſpiritualium poteſtati temporali ob quemcunque finem ſiue ſpiritualem ſiue temporalem competeret, ſed *vt Rex armis vteretur ſeculi*, ſeu *corporalem pænã irrogaret, Sacerdos autem gladio ſpirituali accingeretur*, ſeu *ſpiritualem vindictam inferret*. Cum igitur nullus ordo, reſpectus, aut habitudo vel rerum temporalium ad bonum ſpirituale, vel rerum ſpiritualium ad bonum temporale efficere queat, vt vel pænæ ciuiles euadant ſpirituales, vel pænę ſpirituales in ciuiles conuertantur, nullus etiam eiuſmodi ordo, reſpectus, vel habitudo efficiet, vt vel pænę ciuiles per poteſtatem ſpiritualem, vel pęnę ſpirituales per poteſtatem ciuilem, quatenus *coercitiuæ* ſunt, ex diuina inſtitutione infligi poſſint. Sed de poteſtate Eccleſiaſtica & ciuili, vt *directiua* ſunt, longe diſpar ratio eſt; nam & res temporales in ordine ab bonum ſpirituale per poteſtatem Eccleſiaſticam, cui à *Chriſto* boni ſpiritualis conſe-

Petrus Damianus in Epiſt. ad Fermin. & *Gratianus*. 2. q. 7. cap. Nos ſi.

quendi & conſeruandi cura concredita eſt, præcipi, aut prohiberi poſſunt, et res temporales quatenus temporalem Reipublicę pacem, quæ poteſtatis politicę finis et obiectum eſt, iniuſtè impediunt, vel perturbant, veluti *Excommunicatio* aut *Interdictum* manifeſtè iniuſta, ex quibus ſeditiones & tumultus in Republica oriuntur, & illicita Sacramentorum in aqua, pane, oleo, aut Chriſmate venenatis adminiſtratio, per poteſtatem politicam ſeu ciuilem, cui pacis publicę conſequendæ & conſeruandæ cura incumbit, prohiberi pariter queunt.

7 Pręcipere igitur *Poteſtatibus Secularibus* (nam de *Imperatoribus*, *Regibus*, cæteriſque Principibus ſupremis in hoc *Lateranenſis* Concilij decretò non agitur, vt poſtea videbimus) & eos compellere per cenſuras, vt hæreticos, à quibus plurimùm emolumenti temporalis fortaſſe obueniebat, è terris ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis excludant, & Iuramento ſe Eccleſiæ obſtringant, ſe id pro viribus facturos, non eſt de temporalibus eorum iuribus *diſponere*, niſi *Leſſius* de verbis litigare, & *diſponere* cum *præcipere* confundere velit. Poſſe enim de temporalibus *diſponere*, prout à nobis nunc ſumitur, eſt habere poteſtatem temporalia dandi, atque auferendi, & aliquem iure illo, quod in temporalia habet, penitus priuandi, illudque alteri, quod antea tale ius non habuit, conferendi: in quo ſenſu omnino negamus, poſſe ex *Lateranenſi* Concilio ſufficiens aliquod argumentum peti ad probandum, penes Eccleſiam, quatenus ſpirituali prędita eſt authoritate, eſſe poteſtatem de temporalibus *diſponendi*, pęnas tem-

porales infligendi, aut quemuis fidelium iure aliquo temporali priuandi. Atque ita conſtat, quàm indoctè *Leſsius* ex hoc primo *Lateranenſis* Concilij decreto nouam ſuam Catholicam *ſcilicet* fidem, de poteſtate Papali Principes ſupremos abdicandi, pęnas temporales infligendi, aut de rebus temporalibus propriè *diſponendi*, confirmare contendat.

8 Sed in *ſecundo* huius *Concilij* decreto maximè gloriantur Aduerſarij, adeo vt Card. *Bellarminus* in *Tractatu* ſuo contra *Barclaiũ*, poſtquam decretum iſtud (cuius tamen in ſuis Controuerſijs vbi primùm nouam hanc ſuam fidem procudit, & priora ſcripta corrigens contrariæ Catholicorum ſententię *hæreſeôs* notam inuſſit, ne meminit quidem) recitauerat, ita in *Gulielmum Barclaium*, virum verè Catholicum, pium, ac eruditum inſultare non erubeſcat[c]. *Quid hîc* Barclaius *diceret? Si hæc non eſt Eccleſiæ Catholicæ vox, vbi obſecro eam inueniemus? & ſi eſt* (*vt veriſsimè eſt*) *qui eam audire contemnit*, *vt* Barclaius *fecit, an non vt Ethnicus, & Publicanus, & nullo modo Chriſtianus & pius habendus erit? Si non habet Summus Pontifex poteſtatem in terris diſponendi de temporalibus, vſque ad depoſitionem Principum eorum, qui vel ipſi hæretici ſunt, vel hæreticis quoquo modo fauent, cur in editione huius Canonis nullus ex tanto numero reclamauit? cur non vnus quidem ex tot Imperatorum & Regum Oratoribus mutire auſus eſt? Nondum videlicet Paraſiti Principum temporalium exorti fuerant, qui vt Regna temporalia ſtabilire videantur, Regnum æternum ijs quibus adulantur, eripiunt.*

---

[c] Pag. 31.

9 Sed quàm vana, & contumelioſa ſit inuectiua hæc Card. *Bellarmini* Oratio, & quæ Pontificum paraſitis (qui vt eorum quibus adulátur monarchiam ſtabiliant, Eccleſiæ vniuerſalis, & ſupremorum Principum iura contra Chriſti legem violant, & nouam fidem Catholicam in priuato ſuo ſpiritu fundatam, quæ viam ad Ethniciſmum parat in orbem Chriſtianum contra antiquorum Patrum regulas inuexerunt) aptius accommodari poteſt, tum ego in *Præfatione Reſponſionis* meæ *Apologeticæ*, ac alibi, [d] & *Ioannes Barclaius* in ſuis *vindicijs*, dilucide oſtendimus, tum infrà multo clarius Deo volēte cōmōſtrabimus. Neque enim nos Eccleſiæ Catholicæ vocem audire contemnimus, aut iſtud *Lateranenſis* Concilij decretum, in eo ſenſu, quo Concilij Patres & Principum Oratores illud intellexerunt, reijcimus, tametſi, vt ingenuè fatear, vocem Cardinalis *Bellarmini*, aut alterius cuiuſcunque Doctoris, quantumcunque Eccleſiam Catholicam, & Concilia generalia conclamitent, ſi alij contra clament viri docti, pro voce Eccleſiæ Catholicæ aut Conciliorum generalium a Catholicis accipiendam eſſe, nec tutum, nec licitum, nec dignum eſſe iudicemus.

10 Ad hoc igitur *Decretum* loco citato reſpondens affirmaui, [e] nomine *Domini temporalis*, *Domini principalis*, & *principalem Dominum non habentis*, Imperatores, Reges, alioſue principes ſupremos, nequaquam comprehendi, ſed inferiores tantùm Magiſtratus, ac Dominos temporales ex ſupremorum, quibus ſubijciuntur, conſenſu; vt *Conſules*, *Rectores*, *Capitaneos*, *Poteſtates*, *Duces*, *Comites*, *Barones*, cæteroſque, qui territorium ali-

[d] In detectione calumniarum D. *Schulckenij*.

[e] In dicta Præfat. nu.43. & ſeq.

quod, Ciuitatem, Caſtrum, prouinciam a ſupremis Principibus in feudum acceperunt, ratione cuius feudi talium Principum Vaſalli conſtituuntur, tametſi etiam ipſi alios Vaſallos quorum Domini ſunt, reſpectu eiuſdem feudi ſub ſe habeant, & quo magis vel minus a ſupremorum Principum Iuriſdictione exempti ſunt, eo magis vel minùs *principales Domini* dici queant; & propterea non poſſe ex hoc decreto ſufficiens trahi argumentum ad prædictam Summi *Pontificis* in Imperatores, Reges, alioſque principes ſupremos poteſtatem in temporalibus confirmandam.

11 Sed hanc Reſponſionem, vtpote quæ nouam hanc recentiorum quorundam Catholicam fidem in hoc *Lateranenſis* Concilij decreto præcipuè fundatam, *Leſſius* pergrauiter reprehendit, *eamque vanam eſſe manifeſtum fore, ſi verba Concilij expendantur*, affirmat. [f] *Moneantur*, inquit Concilium, *& inducantur, & ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſeculares poteſtates, quibuſcunque fungantur officijs, vt ſicuti reputari cupiunt, & haberi fideles, ita pro defenſione fidei præſtent publicè iuramentum, quòd de terris ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt; ita quòd amodò quandocunq; quis fuerit in poteſtatem ſiue perpetuã* (ita enim in Decretaliũ Codicibus legitur) *ſiue tẽporalẽ aſſumptus, hoc teneatur Capitulũ Iuramento firmare.*

12 *Quis hæc expendens*, ait *Leſſius*, *non iudicet, hîc maximè ſupremos Principes deſignari? Hi enim ſunt propriiſſimè poteſtatis ſecularis, ſeu poteſtate ſeculari præditi. Ipſis enim primario & quaſi per ſe id conuenit: Iudicibus autem, & Magiſtratibus ſubiectis*

[f] Nu. 4. p. 18

iectis ſecundariò & participatione. Atqui in generali locutione nunquam excluditur id, cui primariò ratio illa generalis competit. Sicut cum aliquid tribuitur generatim corporibus lucidis aut calidis non cenſetur exemptus ſol, aut ignis, eo quòd primariò ratio lucidi & calidi illis competat, reliquis ſecundariò tantùm, & illorum participatione. Deinde, quia Regibus & ſupremis Principibus maximè conuenit eſſe fidei defenſores, fidem defendere; ac proinde his imponitur iuramentum de ea re præſtandum, non inferioribus duntaxat Magiſtratibus.

13 *Idem ex eo confirmatur, quòd hæreticorum exterminatio potiſſimum ſpectet ad ſupremos Principes. Illis enim primario incumbit curare bonum Regni, & pernicioſa amoliri. Inferiores autem Magiſtratus nihil in ea re poſſunt abſque ſupremi Principis conſenſu, vel permiſſu. Itaque ſi decretum de inferioribus tantùm loqueretur, maxima ex parte eſſet fruſtratorium; quia nolente ſupremo Principe nihil poſſet fieri, & inferiores Magiſtratus non poterunt idcirco ab Eccleſia puniri, quia iuſtam habebunt excuſationem non parendi. Perſpicuum ergo eſt, iſtud decretum primariò ad ſupremos Principes dirigi, quod etiam apertè inſinuat vltima clauſula, quæ ita ſeruatur in praxi, vt non ſolùm inferiores Poteſtates, ſed etiam ſuprema, etiam ipſi Imperatores iam à multis ſeculis in ſua inauguratione hoc Iuramentum præſtare conſueuerint; vt patet tum ex Rituali Romano, tum ex Clementina,* Romani Principes, *de Iureiurando. Denique ſi de inferioribus tantùm loqueretur, non diceret terram eorum exponendam, vt à Catholicis occupetur, ſed à ſupremo Principe repetendam & vindicandam.*

Non enim regio aliqua ob peccatum Magiſtratus inferioris prædæ exponenda, ſed recurrendum ad ſupremum eius Dominum; Alioquin illi fieret iniuria.

14 *Adde ſi Pontifex poteſt ita ſtatuere de terris, & dominijs Principum inferiorum, cur non etiam ſupremorum, cum ſupremi non minùs ſint oues, & ſubditi Vicarij Chriſti, quàm inferiores? præſertim cum fundamentum illius ſententiæ ſit vniuerſale, nimirum, Quod Pontifici nullum ſit ius in temporalia Laicorum. Quare qui ita reſpondent, videlicet concedendo Pontifici hanc poteſtatem in temporalia bona Principum & Magiſtratuũ inferiorum, euertunt ſuæ ſententiæ fundamentum. Sed multi hoc tempore ita diſputant, vt ſuſque deque ferant quid dicant, modò imperitis aliquid dicere videantur.*

15 Sed vana eſſe hæc omnia, & celeberrimo Theologiæ Profeſſore indigna manifeſtum erit, ſi verba Concilij expendantur, & cum ſummorum Pontificum Bullis atque Imperatorum decretis, & approbatis Iuriſprudentium regulis atque reſponſis conferantur. Sex enim rationes *Leſſius* hîc adducit, ob quas manifeſtum eſſe iudicat, Principes ſupremos in prædicto *Lateranenſis* Concilij decreto includendos eſſe. *Prima* eſt, quia *Principes ſupremi ſunt proprijſſimè poteſtatis ſecularis, ſeu poteſtate ſeculari præditi; illiſque primario, & quaſi per ſe id conueniat, Iudicibus autem, & Magiſtratibus ſecundariò, & participatione.* Secunda; quia *Regibus, & ſupremis Principibus maximè conuenit eſſe fidei defenſores, fidem defendere.* Tertia; quia *hæreticorum exterminatio potiſſimùm ſpectat ad ſupremos Principes.*

Illis enim primariò incumbit curare bonum Regni & pernicioſa amoliri. Itaque ſi decretum de inferioribus tantùm loqueretur, maxima ex parte eſſet fruſtratorium; quia nolente ſupremo Principe nihil poſſet fieri. Quarta: quia *ita ſeruatur in praxi, vt non ſolùm inferiores poteſtates, ſed etiam ſupremæ, etiam ipſi Imperatores iam à multis ſeculis in ſua inauguratione hoc Iuramentum præſtare conſueuerint.* Quinta: quia *ſi de inferioribus loqueretur, non diceret terram eorum exponendam, vt à Catholicis occupetur, ſed à ſupremo Principe repetendam, & vindicandam. Non enim regio aliqua ob peccatum Magiſtratus inferioris prædæ exponenda, ſed recurrendum ad ſupremum illius Dominum: Alioquin illi fieret iniuria.* Sexta: quia *ſi Pontifex ita poteſt ſtatuere de terris & Dominijs Principum inferiorum, cur non etiam ſupremorum, cùm ſupremi non minùs ſint oues Vicarij Chriſti, quàm inferiores?*

16 Sed quàm friuolæ & prorſus ineptæ ſint omnes iſtę *Leſſij* rationes, peritiùs eas inſpicienti, quantumuis primo intuitu nonnullam probabilitatis ſpeciem præ ſe ferant, ſatis perſpicuum erit. Nam quod attinet ad *primam*, obſeruet *Lector*, quàm parum argutè, ſatis tamen aſtutè *Leſſius* verba Concilij immutet. *Principes ſupremi ſunt*, inquit, *propriiſſimè poteſtatis Secularis* in genitiuo, non, ait, ſunt propriiſsimè *poteſtates Seculares* in nominatiuo, vt Concilium loquitur: quæ eius locutio vel falſa vel incongrua eſt, cùm è contrario dicere debuiſſet, poteſtas Secularis eſt propriiſſimè ſupremorum Principum, quibus primariò conuenit, cæteris verò ſecundariò & participatione.

17 Sed mittamus nomina, & rem ipſam expendamus. Eſto, *Principes ſupremi ſint propriſſimè poteſtatis Secularis*, id eſt, vt *Leſsius* ſe explicat, *ſeculari poteſtate præditi*, hinc tamen non ſequitur, Principes ſupremos propriſſimè *Poteſtates ſeculares* appellandos eſſe: Eadem enim ratione concludi poſſet, nomen Magiſtratus, Iudicis, Rectoris, Præfecti, Preſidis, Gubernatoris & ſimilium Principibus ſupremis propriſſimè competere, cum poteſtas gubernandi, præſidendi, regendi, iudicandi & Magiſtratum gerendi Regibus & Principibus ſupremis primariò & quaſi per ſe, inferioribus autem Magiſtratibus, Iudicibus, Rectoribus, Præfectis, Præſidibus & Gubernatoribus ſecundario & participatione conueniat. *Magiſtratus* enim, ait Feſtus, *eſt qui in poteſtate aliqua conſtitutus eſt*, & *Magiſtratus hanc vim eſſe*, ait Cicero, *vt præſit præſcribatque recta & vtilia*, &c. Vnde *Gloſſa* in leg. *Qui accuſare* ff. de accuſat. *Magiſtratus*, inquit, *dicitur, quia magis inſtat vtilitati publicæ*; at quibus, obſecro, magis primariò ac principaliter competit, eſſe in dignitate conſtitutum, preeſſe, & preſcribere recta & vtilia, atque inſtare vtilitati publicæ, quam Imperatoribus, Regibus, aliiſque Principibus ſupremis? Quare, vt ait *Gloſſa*, *quadruplices ſunt Magiſtratus, ſcilicet Princeps, qui eſt primus, Illuſtres, Spectabiles, & Clariſsimi.* Similiter, cui magis primariò conuenit poteſtate iudicandi, regendi, præſidendi, & gubernandi preditum eſſe, quam Regibus, Principibuſque ſupremis?

Cicero lib. 3. de Leg.

In leg. præcipimus cod. de appellat.

18 Friuola igitur, & fallax eſt hec ratio, Poteſtas Secularis, poteſtas regendi, iudicandi, præ-

ſidendi, & gubernandi proprijſſimè & primario conuenit Regibus, & Principibus ſupremis; ergo Reges & Principes ſupremi proprijſſimè Poteſtates, Rectores, Iudices, Præſides, & Gubernatores appellantur: Quibus enim nominibus res, aut perſonæ propriè nuncupentur, non tam ex naturis rerum, aut prima nominis impoſitione, quàm ex communi hominum vſu & acceptione iudicandum eſt. Veluti Tyrannus apud veteres in bonam partem dicebatur, pro Domino, Rege ſeu Monarcha, qui plenam in ſubditos habebat poteſtatem, poſtea tamen Tyranni nomen ad illos ſolùm reſtrictum eſt, qui per inſolentiam Imperij viribus abutebantur, & vi & quadam animi libidine, non iure & legibus æquis dominabantur. Dicimus itaque, nomen Poteſtatis Secularis, Iudicis, Rectoris, Præfecti, Præſidis, Gubernatoris, et huiuſmodi ex communi hominum acceptione Magiſtratus tantùm inferiores, & non Principes ſupremos denotare, tametſi ipſa poteſtas Secularis, poteſtas iudicandi, regendi, præſidendi, atq; gubernandi Principibus tãtùm ſupremis primariò & quaſi per ſe, cæteris autẽ inferioribus Magiſtratibus ſecundariò et participatione conueniat.

19 Et certè mirum eſt, quòd vel Doctor Theologus, vel alius quiſpiam, qui linguam Latinam, Gallicam, aut Italicam calleat, aut in Iure Ciuili, & Canonico mediocriter verſatus ſit, imaginari queat, nomen *Poteſtatis Secularis*, vti perſonam ſignificat, ſupremis Principibus proprijſſimè conuenire. Vide conſtitutionem *Frederici* ſecundi, & *leg.* fideiuſſor F. ff. de pignoribus. *leg.* Quicunque *Cod.* de exequutoribus, & *Bullas Innocentij*

nocentij quarti, *Alexandri* quarti, *Clementis* quarti, in quibus nomen *Poteſtatis* inferiores tantùm Magiſtratus deſignat. Atque hoc ipſum etiam verba illa Concilij [*quibuſcunque fungantur officijs*, *& quandocunque quis fuerit in Poteſtatem ſiue perpetuam*, *ſiue temporalem aſſumptus*] ſatis indicant. *Officium* enim *miniſterium* & *ſubiectionem* includit, vt notat *Gloſſa* in leg. *Legatis* ff. de *Legatis*, & *Officiales propriè Miniſtri Magiſtratuum vocantur.* Neque Reges vlli aut Principes ſupremi præter *Imperatorem Romanorum*, & *Regem Poloniæ*, qui electione & ſuffragijs Principum ad Regni ſolium euehuntur, ad Regnum propriè dicuntur aſſumi, ſed iure hæreditatis & ſucceſſionis, non electione aut aſſumptione Reges fiunt, neque vlli omnino Reges vnquam in temporalem, ſed ſemper in perpetuam poteſtatem aſſumuntur, tametſi nomen *poteſtatis* hic non pro perſona (vti paulo antè in eodem decreto acceptum erat, & reuera accipi debet) ſed pro ipſa dignitate ſeu authoritate ſumeremus.

20 Concedimus itaque, nunquam in generali locutione excludi id, cui primariò ratio illa generalis competit, ſed negamus, nomina illa, *Poteſtates Seculares*, & *qui officijs funguntur*, *& in poteſtatem ſiue perpetuam ſiue temporalem aſſumuntur*, eſſe nomina generalia, quæ ſupremis Principibus, & inferioribus Magiſtratibus communia ſunt, ſed inferiores tantùm Magiſtratus, vtpote quæ in ſui ratione miniſterium & ſubiectionem, ſicut etiam nomen magiſtratus, Iudicis, Rectoris, Præſidis, Præfecti, & Gubernatoris, ex communi hominum acceptione continent, deſignare, neque Impera-

peratores, ac Reges; alioſque Principes abſolutos, niſi aliquid aliud, veluti *ſupremus*, aut quid æquiualens adijciatur, denotare. Atque hęc de prima ratione ſatis dicta ſint.

21 Ad *Secundum* Reſpondeo, Ineptam eſſe illius conſequentiam. Nam tametſi *Regibus*, & *Principibus ſupremis minimè competat eſſe fidei defenſores, fidem defendere* authoritate propria, legibus, imperio, *eſſe tamen fidei defenſores, fidem defendere* authoritate delegata, & ſanctiſſimas Principum leges contra hæreticos latas exequendo, inferioribus duntaxat Magiſtratibus, & Regum Miniſtris, quorum curæ legum exequutio concredita eſt, maximè conuenit: Et his duntaxat in hoc decreto imponitur iuramentum ea de re præſtandum, non autem Imperatoribus et Regibus, quorum authoritate atque imperio ſacratiſſimæ de exterminandis hæreticis leges longè ante Concilium iſtud *Lateranenſe* ſancitę fuerant, tametſi in ijs exequendis Principum Miniſtri, nempe Poteſtates, Cõſules, Rectores, Capitanei, Iudices, Præfecti, Duces, Marchiones, Comites, alijque inferiores Magiſtratus, ac Domini temporales nimiùm negligentes eſſent, ad quorum negligentiam coercendam, Concilium *Lateranenſe* ex ſupremorum Principum conſenſu decretum ſupradictum condidit.

22 Atque eodem modo *tertia ratio* refellitur. Nam tametſi *hæreticorum exterminatio potiſſimùm ſpectet ad ſupremos Principes, quibus primariò incumbit curare bonum Regni, & pernicioſa amoliri*, legibus, imperio, et authoritate, & *inferiores Magiſtratus nihil in ea re poſſunt abſque ſupremi Principis*

conſenſu vel permiſſu: hæreticorum tamen exterminatio maximè ſpectat ad inferiores Magiſtratus, tanquam Miniſtros, quibus potiſſimum incumbit curare bonum Regni, & pernicioſa amoliri ſalubria Principum decreta exequendo. Neque enim Principes ſupremi per ſemetipſos, ſed per ſuos Miniſtros malefactores è Regno eiiciunt, aut aliis corporalibus pœnis afficiunt, & incaſſum leges optimæ Principum authoritate ſanciuntur, niſi inferiorum Magiſtratuum miniſterio executioni mandentur: Et fere tam neceſſarii ſunt in Republica optimè gubernata optimi Miniſtri, ſeu Magiſtratus, quàm optimi Principes, quantumuis hi illos authoritate, atque Imperii maieſtate longiſſimè antecedant.

23 Cum igitur decretum iſtud, quantum ad pœnas temporales attinet, non permiſſu tantùm, ſed etiam conſenſu & authoritate ſupremorum Principum ſtabilitum fuerit, nulla ex parte fruſtratorium cenſeri debet, ſi de inferioribus tantùm Magiſtratibus loquatur, cum finis iſtius decreti tantùm ſit, vt leges ſupremorum Principum conſenſu, atque authoritate contra hæreticos latæ inferiorum Magiſtratuum miniſterio executioni mandentur; quæ leges ſanè fruſtratoriæ eſſent, ſi incuria Miniſtrorum eas tranſgredi quiuis impunè poſſet. Et propterea niſi *Leſſius* demonſtrare queat, Principes ſupremos huic *Lateranenſis* Concilij decreto nequaquam conſenſiſſe, nunquam manifeſtum faciet, vti inaniter iactat, *fruſtratorium eſſe hoc decretum*, niſi illud ad Principes ſupremos primariò dirigatur.

24 Ad *quartam* Reſpondeo, ex eo quòd *Imperator*

rator Romanus, cæterique *Principes Chriſtiani* in ſua inauguratione, ſe fidem Catholicam, & iuſtitiam publicam in ſuis Regnis iuxta leges a Prædeceſſoribus ſuis latas conſeruaturos iureiurando promittere conſueuerint, non rectè concludi poſſe, idcirco decretum iſtud *Lateranenſis* Concilij, quod de ſecularibus poteſtatibus, & qui officijs funguntur, agit, ad ſupremos Principes pertinere, cum Iuramentum iſtud, quo Principes Chriſtiani ſe obſtringunt, non *Lateranenſis* Concilij decreto, ſed anteriori conſuetudine nixum fuerit, vt patet de *Othone* primo Imperatore *diſt.* 73. *cap. Tibi Domino*, & de *Philippo* primo, & alijs ante eum *Francorum* Regibus apud *Papyrium Maſſonium* lib. 3. in fine: & ſimilis Iuramenti a Regibus Angliæ præſtandi exemplar in antiquiſſimo Codice in charta Pergamena conſcripto exaratum vidi: vt hinc potius colligi poſſit, in hoc decreto inferiores tantùm Magiſtratus, nempe Conſules, Rectores, Poteſtates, alioſque Principum Miniſtros, quibuſcunque officijs fungantur, aut nominibus appellentur, & non Imperatores, Reges, & Principes ſupremos comprehendi.

Vide Codicem tit. de hæreticis.

25 Cum enim Principes Chriſtiani per ſanctiſſimas leges exterminationi hæreticorum religioſè admodum proſpexiſſent, & quòd hæretici e ciuitatibus, prouincijs, aut Regnis actu non expellerentur, non Principum aut legum vitio, ſed incuriȩ Miniſtrorum, quibus leges exequendi cura potiſſimùm incumbit, tribuendum ſit, idcirco ad hanc Miniſtrorum negligentiam reprimendam, viſum eſt *Lateranenſis* Concilij Patribus, & Principum Oratoribus, vt quandocunque quis in Poteſtatem,

id eſt, Magiſtratum perpetuum, ſiue temporalem aſſumeretur, publicè Iuramentum præſtaret, quòd de terris ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos bona fide pro viribus exterminare ſtuderet. Atque hic planus & genuinus huius decreti ſenſus eſt, ille autem, quem Aduerſarij fingunt, contortus, extraneus, atque à verbis, & mente Concilij, & communi hominum intelligentiâ planè alienus. Et nihilominus, quod ad praxim attinet, difficile admodum *Leſſius* comprobabit, decretum iſtud *Lateranenſis* Concilii, (nempe, vt vniuerſæ poteſtates, ſiue Magiſtratus, & Officiales, quibuſcunque fungantur Officiis, iureiurando promittant, ſe vniuerſos hæreticos de terris ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis pro viribus exterminaturos) vel vnquam, vel vſquam niſi in Romanæ Eccleſiæ territoriis, aut forſan per Italiam & Imperium in praxi obſeruatum eſſe.

26 Simile huic *Lateranenſi* de hæreticis extirpandis decretum ad inferiores tantùm Magiſtratus, ac Dominos temporales ſpectans edidit *Lucius* tertius in Canone *Ad abolendam* extra de hæreticis, ad cuius inſtar *Innocentius* tertius, vti veriſimile eſt, prædictum ſuum decretum in *Lateranenſi* Concilio publicandum curauit. *Statuimus inſuper*, ait *Lucius* Papa tertius (qui Anno Domini 1185 triginta nempe annis ante *Lateranenſe* Concilium è vita diſceſſit) *vt Comites, Barones, Rectores, & Conſules ciuitatum & aliorum locorum iuxta commonitionem Epiſcoporum præſtito corporaliter Iuramento promittant, quòd fideliter & efficaciter cum ab eis fuerint requiſiti, Eccleſiam contra hæreticos, & eorum complices, adiuuabunt bona fide iuxta officium & poſſe*

& poſſeſſionum. Si verò id obſeruare noluerint, honore quem obtinent, ſpolientur, & ad alios nullatenus aſſumantur, eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipſorum interdicto Eccleſiæ ſupponendis, &c.

27 Iam cuiuis perſpicuum eſt, in iſto canone *Ad abolendam*, inferiores tantùm Dominos, ac Magiſtratus, et non Imperatores, Reges, Principeſque ſupremos comprehendi, Et nihilominus *Leſſius* ſuis rationibus manifeſtum *ſcilicet* facere, hîc maximè ſupremos Principes deſignari. Hi enim ſunt propriiſſimè Rectores & Conſules, ſeu quibus Rempublicam regere, & publico ſubditorum bono conſulere potiſſimùm incumbit. Ipſis enim primariò, et quaſi per ſe id conuenit, Iudicibus autem, Rectoribus, Conſulibus, & Magiſtratibus ſubiectis ſecundariò et participatione. Atqui in generali locutione nunquam excluditur id, cui primariò ratio illa generalis competit &c. *Deinde*, quia Regibus & ſupremis Principibus maximè conuenit eſſe fidei defenſores, fidem defendere, Eccleſiam contra hæreticos adiuuare, ac proinde his imponitur iuramentum ea de re præſtandum, non inferioribus duntaxat Magiſtratibus.

28 Idem ex eo confirmatur, quòd hereticos exterminare, & Eccleſiam contra eos adiuvare, potiſſimùm ſpectet ad ſupremos Principes. Illis enim primariò incumbit curare bonum Regni, & pernicioſa amoliri. Inferiores autem Magiſtratus nihil ea in re poſſunt abſque ſupremi Principis conſenſu vel permiſſu. Itaque ſi decretum de inferioribus tantùm loqueretur, maxima ex

parte eſſet fruſtratorium; quia nolente ſupremo Principe nihil poſſet fieri, & inferiores Magiſtratus non poterunt idcirco ab Eccleſia puniri, quia iuſtam habebunt excuſationem non parendi. Perſpicuum ergo eſt, iſtud decretum ad ſupremos Principes dirigi: quod etiam apertè inſinuat hęc clauſula, quæ ita ſeruatur in praxi, vt non ſolum inferiores Poteſtates, ſed etiam ſupremæ, etiam ipſi Imperatores iam à multis ſeculis in ſua inauguratione hoc Iuramentum pręſtare conſueuerint, vt patet tum ex Rituali Romano, tum ex Clementina, *Romani Principes*, de Iureiurando.

Iudicet iam Lector, quam pulchra ſint hæc *Leſſij* argumenta ad nouam ſuam Catholicam, *ſcilicet* fidem, de poteſtate Papali Principes ſupremos abdicandi, ex hoc *Lateranenſis* Concilij decreto corroborandam.

29 Ad *quintam rationem* Reſpondetur, eam quoque nihilo cęteris meliorem eſſe. Nam & decretum iſtud de inferioribus tantùm Dominis loquitur, & nihilominus abſque vlla iniuria Principi ſupremo exponit terras eorum inferiorum Dominorum Catholicis occupandas, & conſequenter ab ipſomet Principe ſupremo, ſi illi placitum fuerit, repetendas atque vindicandas; tum quia, in materia fauorabili (qualis eſt, reſpectu ipſorum Catholicorum, licentia data Catholicis hæreticorum terras occupandi) *Principes ſupremos* nomine *Catholicorum* venire omnes norunt: tum quia, exceptio illa, *ſaluo iure Domini principalis*, ſatis indicat, à fortiori ſalua eſſe debere iura Principis ſupremi, neque aliquam iniuriam illi eſſe irrogandam: tum denique quia, decretum iſtud

non tantùm voluntate & conſenſu Principum ſupremorum, verùm etiam eorum authoritate ſancitum eſſe contendimus, & proinde nullam illis fieri iniuriam exiſtimandũ eſt, dum licentiã concedunt Catholicis terras hæreticorum occupandi, ſaluo iure *Domini principalis*, & conſequenter *Domini ſupremi*, ſeu *principaliſſimi*: Sicut etiam Imperator *Fredericus* abſque vlla ſibi iniuria illata idem omnino decreuit, & terram Domini temporalis, qui eam ab hęretica prauitate purgare neglexerit, ipſis ſimiliter Catholicis occupandam expoſuit: Verba Decreti ſunt hęc.

30 *Statuimus etiam hoc Edicto in perpetuum valituro, vt Poteſtates, Conſules, ſeu Rectores quibuſcunque fungantur officijs pro defenſione fidei præſtent publicè Iuramentum, quòd de terris ſua Iuriſdictioni ſubiectis vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt, ita quòd amodo quandocunque quis in Poteſtatem ſiue perpetuam ſiue temporalem fuerit aſſumptus hoc teneatur capitulum Iuramento firmare, alioquin nec pro Poteſtatibus, nec pro Conſulibus habeantur, & eorum ſententias irritas extunc decernimus, & inanes. Si vero Dominus temporalis requiſitus, & admonitus ab Eccleſia terram ſuã purgare neglexerit ab hæretica prauitate, poſt annum à tempore admonitionis elapſum terrã illius ipſis exponimus Catholicis occupandã, qui eam exterminatis hæreticis abſq; vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, ſaluo iure Domini principalis, dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat, eadem nihilominus lege ſeruata contra eos, qui non habent Dominos principales.* Iam an

forſan *Leſſio* placebit ita ratiocinari. Si decretum hoc de inferioribus tantum loqueretur, non diceret terram eorum exponendam, vt à Catholicis occupetur, ſed à ſupremo Principe repetendam, & vindicandam. Non enim regio aliqua ob peccatum Magiſtratus inferioris prædæ exponenda: ſed recurrendum ad ſupremum eius Dominum: Alioquin illi fieret iniuria. Et nihilominus certum eſt, in hoc Imperatoris decreto, quâ pænale eſt, neque ipſum Imperatorem, neque alios Principes ſupremos, ſed inferiores tantùm Dominos, Magiſtratus ſeu Poteſtates comprehendi.

31 Dicimus itaque pari modo, prædictum *Lateranenſis* Concilij decretum, quatenus pœnas temporales infligit, ex Imperatoris, *aliorumque* Principum ſupremorum voluntate, conſenſu, atque authoritate factum eſſe, & propterea nullam illis inde iniuriam irrogari, cum iuxta vetus prouerbium, *ſcienti & volenti nulla fiat iniuria*, leg. 1. ff. de iniurijs, atque etiam eiuſdem prorſus conditionis, officij, & dignitatis perſonas nomine Poteſtatum Secularium, Dominorum temporalium, & principalium, & principales Dominos non habentium in *Lateranenſis* Concilij decreto deſignari, quæ ijſdem nominibus in Imperatoris Edicto denotantur; cum hoc tantùm diſcrimine, quòd Imperatoris Edictum ſolùm ad perſonas Imperio ſubiectas pertinere poſſit, at Concilij decretum, cum in generali totius Chriſtiani Orbis quaſi *Parliamento*, & non ſolius Imperatoris, ſed cæterorum etiam Principum voluntate atque authoritate ſtabilitum fuerit, vniuerſas planè Poteſtates, Conſules, Re-

ctores, quibuſcunque officijs fungantur, aut nominibus nuncupentur, nec non omnes omnino Dominos temporales, qui Principibus ſupremis ſubditi ſunt, ſub generalibus illis nominibus comprehendere nullum prorſum inconueniens eſſe poteſt.

32 Atque hinc etiam patet Reſponſio ad *ſextam*, & vltimam *Leſsij rationem*: perſpicuum enim eſt, non poſſe Pontificem, quâ Pontifex eſt, ex noſtra ſententia, de vllis omnino temporalibus diſponere, & proinde neque de terris & Dominijs Principum inferiorum abſque ſupremorum conſenſu, cum neque ſupremi neque inferiores Domini ſint oues & ſubditi Vicarij *Christi* in temporalibus, ſed ſolùm in ſpiritualibus; in temporalibus enim ſoli principes ſupremi *Dei Optimi Maximi Regis Regum, & Domini dominantium Vicarij ſunt in terris.* Falſum igitur eſt, quod *Leſsius* hîc Lectori ſuo perſuadere tentat, nos ita reſpondere, vt concedamus Pontifici hanc poteſtatem in temporalia bona Principum & Magiſtratuum inferiorum, & negemus eam in temporalia bona Principum ſupremorum, atque ita ſententiæ noſtræ fundamenta euertamus: Negamus enim Pontifici omnem omnino poteſtatem ex inſtitutione diuina de vllis temporalibus tam inferiorum, quàm ſupremorum Dominorum diſponendi. Sed hanc fabulam idcirco *Leſsius* confinxit, vt me apertiſſimæ ignorantiæ tanquàm manifeſta repugnantia aſſerentem apud imperitos, ſibique nimis credulos argueret, & licentiùs verba illa abſque rubore aliquo effutiret, *Multi hoc tempore ita diſputant,*

Anaſtaſ. Papa in epiſt. ad *Anaſtaſ.* Auguſtum.

vt ſuſque deque ferant quid dicant, modo imperiti aliquid dicere videantur, quæ tamen ipſimet veriſſimè conueniant, qui in re grauiſſima Lectori fucum facit, Aduerſario falſa imponit, parumque curat quid reſpondeat, modo imperitis aliquid reſpondere videatur.

SECTIO III.

In qua duæ rationes ab Authore *ad dictam eius* Reſponſionem *confirmandam allatæ, propo-nuntur, & quæ* Leſsius *ad eas infirmanda obycit, refelluntur*.

1 QVòd inferiores tantùm Domini, & non Principes ſupremi in *Lateranenſis* Concilij Decreto, quâ pænale eſt, nomine *Poteſtatu ſecularium, Dominorum temporalium, Principalium*, aut *Dominos principales non habentium* deſignentur, duabus rationibus, quæ nunc examinendæ ſunt, in dicta *Præfatione Apologetica*[a] commonſtrauimus.
,, *Prima erat*, quoniam Impera-
,, tor *Fredericus* cuius Legati eidem Concilio *La-*
,, *teranenſi* intererant, quinto poſt Concilium cele-
,, bratum elapſo anno eandem Conſtitutionem to-
,, tidem planè verbis, mutatis tantùm pænis ſpiri-
,, tualibus in temporales ediderit, atqui veriſimile
,, non eſt, Imperatorem ſuo Edicto ſeipſum, qui le-
,, gibus ſolutus eſt, & multo minus alios Reges ſibi
,, non ſubiectos comprehendere voluiſſe, aut etiam
,, ſi voluerit, potuiſſe.

2 Sed ad hanc rationem Reſpondet *Leſſius*,[b] *Imperatorem ita illud decretum tranſtuliſſe in ſuam* Con-

[a] Nu.43.

[b] Nu.7.pag. 24.

Conſtitutionem, vt manifeſtè illud reſtringat ad poteſtates temporales ſubiectas Imperio, vt patet initio Conſtitutionis ex his verbis [per totum noſtrum Imperium publicandas] *Concilium autem non reſtringit, ſed generatim loquitur, quia omnes Principes Chriſtiani, etſi non ſint ſubiecti Imperio, ſunt tamen ſubiecti Eccleſiæ & Summo Pontifici.*

3 Nihilominùs rationem hanc à me allatam optimam eſſe ſatis manifeſtum eſt. Quantumuis enim Imperator Edictum ſuum ad Poteſtates ſeculares ſubiectas Imperio non reſtrinxiſſet, ſed abſque vlla reſtrictione nominibus illis generalibus *Poteſtatum ſecularium, Dominorum temporalium, principalium, & principales Dominos non habentium* vſus fuiſſet, attamen perſpicuum eſt, nomina illa generalia neque ſeipſum, neq; alios Principes ſupremos, ob rationem illam quam aſſignaui, nempe quia ipſemet legibus ſolutus eſt, & alij Principes ſupremi illi non ſubduntur, vel comprehendiſſe, vel comprehendere potuiſſe. Quid enim clarius eſſe poteſt, quàm quòd verba legum ſecundùm poteſtatem Principis qui ea condit, reſtringenda ſint, & quòd nullius Principis leges temporales alios, quàm qui ſibi in temporalibus ſubditi ſunt, obligare queant, ſicut neque vllius Epiſcopi leges Eccleſiaſticæ alios, quàm qui ſibi in Eccleſiaſticis, ſeu ſpiritualibus ſubiecti ſunt, vim obligandi habent?

4 Propter eandem igitur ipſiſſimam rationem, ob quam verba illa generalia, *Poteſtates ſeculares, Domini temporales, &c.* in Imperatoris Edicto neque ſeipſum, nec alios Principes ſupremos, tametſi nulla prorſus reſtrictio, aut limitatio ab Imperatore adhibita fuiſſet, comprehendere

poterant, nos etiam probabile admodum eſſe aſſerimus, neque Imperatorem, neque alios Principes ſupremos iiſdem nominibus generalibus, quæ in *Lateranenſis* Concilij decreto habentur, vel deſignatos fuiſſe, vel deſignari potuiſſe. Quoniam enim *poteſtas Eccleſiaſtica*, vt plærique Doctores cum *Almaino* aſſerunt, *nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione diuina infligere, immo nec incarcerare poteſt, ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extenditur, vtputa Excommunicationem, reliquæ autem pœnæ quibus vtitur, ex iure pure poſitiuo ſeu* vt loquitur *Gerſon*, *ex conceſſione Principum ſunt*, hinc neceſſario conſequitur, vt inflictio pænarum temporalium, ob quamcunque cauſam, finem, aut prætextum infligantur, ſit res mere temporalis, & quandocunque pænæ temporales infligendæ decernuntur, decretum illud ex ſola ſupremorum Principum, in quibus tota poteſtas ciuilis tanquam in capite reſidet, totam vim obligandi habeat, & proinde neque in *Lateranenſis* Concilii decreto, neque in aliis Conſtitutionibus quibuſcunque, in quibus pænæ temporales infliguntur, ipſimet Principes ſupremi vllis verbis generalibus comprehendi poſſint.

Almainus lib. de dominio natur. ciu. & Eccl. in probat concluſ. 2.

Gerſon de poteſt. Eccleſ. conſid. 4.

5 Quod autem ait *Leſſius*, *omnes Principes Chriſtianos, etſi non ſint ſubiecti Imperio, eſſe tamen ſubiectos Eccleſiæ, & Summo Pontifici.* Verum eſt in ſpiritualibus, ſed non in temporalibus; In temporalibus enim neque Imperio neque Eccleſiæ, aut Summo Pontifici ſubiecti ſunt, cum ipſimet ſint ſupremi, a Deo ſecundi, ſolo Deo minores, ipſi ſoli peccent, & ab ipſo ſolo, iuxta communem *Sanctorum Patrum* doctrinam, pænis temporalibus

coercencoerceri queant. Niſi igitur Aduerſarij priùs demonſtrent, quod ſanè nunquam poterunt, eſſe rem *certam* & *de fide*, ita vt contrarium à nullo Catholico licitè defendi queat, poſſe Eccleſiam, quâ ſpirituali fungitur poteſtate, pœnas ciuiles, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. infligere, & Summum Pontificem non ſolùm in ſpiritualibus, verùm etiam in temporalibus Principibus ſupremis ſuperiorem eſſe, clariſſimum eſt, eos fruſtra laborare, & verba incaſſum profundere, dum ad hanc ſuam fidem certò comprobandam, vel *Lateranenſis* Concilij decretum, vel alium quemuis Canonem, in quo inflictio pœnarum temporalium verbis tantùm generalibus decernitur, producunt, nam adhuc quæſtio principalis manet indeciſa, per quam nempe autoritatem, ciuilem an ſpiritualem, decretum illud vim obligandi habeat, & Reſponſio illa, quæ *Almaino*, & *pleriſque Doctoribus* placet, ſemper in promptu erit, non poſſe Eccleſiam per poteſtatem ſuam Eccleſiaſticam vllam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. infligere, & proinde decretum illud *Lateranenſis* Concilij, quod ad pœnas temporales attinet, à ciuili ſupremorum Principum poteſtate totam obligandi vim accipere; ex quo etiam conſequens eſt, vt verba illa generalia, *Dominus temporalis*, *Dominus Principalis*, quod ad eaſdem pœnas ſpectat, inferiores tantùm Dominos, & non Principes ſupremos, qui à poteſtate ciuili, ſaltem vt *coercitiua* eſt, liberi ſunt, deſignare queant.

6 Neque ita reſpondere, eſt, vti Logici loquuntur, *principium petere*, ſeu quod probandum

c in Apologia in diſputat. Theologica, & in confutat. Thó. Fitzherb

eſt, vti probatum, aut conceſſum ſupponere, quod apud ipſos vitium reputatur. Nam (præterquàm quod alibi tam c per principia intrinſeca, quàm extrinſeca, authoritatem nempe plurimorum Doctorum, ſatis ſuperque commonſtrauimus, poteſtatem Eccleſiaſticam ex *Chriſti* inſtitutione ad pœnas temporales infligendas non extendi, idemque alibi fuſius, ſi quid fortaſſe deſit, aduerſus omnes Aduerſariorum cauillationes, Deo volente, confirmabimus) *Petere principium* non reſpondentis, qui abſque culpa Reſponſiones ſuas doctrinæ, quam tuetur, accommodare poteſt, ſed argumentantis vitium eſt, dum illud, quod in quęſtione eſt, vti notum aut conceſſum ſupponit, idque pro ratione ſuę aſſertionis aſſignat, quod probandum illi eſſet. Ego autem Reſpondentis potiſſimum, vt ſæpius admonui, & non argumentantis in me munus ſuſcepi, & reſpondendo, non argumentando maniſeſtum facere decreui, non poſſe, etiam iuxta Aduerſariorum principia, ſufficienter demonſtrari, aut Scripturarum teſtimonio, aut Apoſtolorum traditione, aut Eccleſiæ definitione, aut Sanctorum Patrũ authoritate, aut vllis rationibus Theologicis, Summum Pontificem vllam prorſus ex *Chriſti* inſtitutione habere authoritatem ſiue directè ſiue indirectè, ſiue abſolutè ſiue reſpectiuè ad bonum ſpirituale pœnas ciuiles, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. infligendi, aut Principes ſupremos ſuis dominijs temporalibus diſpoliandi. Caueant igitur Aduerſarij, ne dum nouam ſuam hac de re Catholicam *ſcilicet* fidem demonſtrare prætendant, in vitium iſtud, quod *Petitio principij* dicitur, vltro impingant, & quod ab illis probandum eſt, atque à nobis negatum, vti notum vel conceſſum accipiant. Atque hæc de *prima ratione* ſatis; Nunc *ſecundam* *expendamus*.

7 *Secunda ratio*, cui prædicta noſtra ad *Lateranenſis* Concilij decretum Reſponſio innixa eſt,
hæc erat: [d] quia in legibus pœnalibus *Principes* [d] nu.44.
„ Seculares, videlicet *Supremi*, generalibus *Do-*
„ *minorum*, *Magiſtratuum*, & *Iudicum tem-*
„ *poralium* nominibus, iuxta regulas Iuriſpru-
„ dentium, nequaquam ſignificantur, ſicut ne-
„ que *Abbas* nomine Monachi, neque *Epiſcopus*
„ nomine Sacerdotis, neque *Summus Pontifex*
„ nomine Epiſcopi, quod ad pœnas attinet, intel-
„ ligi ſolent, cum iuxta regulas Iuris in ſexto *In*
„ *pœnis benignior pars eligenda ſit*, & *odia reſtringi*,
„ *fauores ampliari conueniat*. Quod ſi *Concilium*
„ ſuo illo decreto *Principes* Seculares comprehen-
„ dere voluiſſet æquè facilè potuiſſet *Principes* Se-
„ culares proprijs *Principum* nominibus, atque
„ generalibus *Dominorum principalium*, aut *Do-*
„ *minos principales* non habentium nuncupare, ſeu
„ præſertim idem *Concilium* in alijs Decretis pecu-
„ liaria *Principum* nomina vſurpauerit.

8 Nunc ad hanc rationem *Leſſius* ita reſpondet. [e] *Quod ad nomen Magiſtratus vel Iudicis attinet, ea communiter ſic vſurpantur; vt inferiores poteſtates denotent; ac proinde mirum non eſt, ſi in odioſis non comprehendantur illis ſupremi Principes. Secus tamen eſt de nomine Domini temporalis, & Poteſtatis ſecularis. Per hæc enim vulgò maximè intelliguntur ſupremi Principes, quibus id primariò competit. Neque vllum eſt Ius, aut priuilegium commu-*

[e] nu.8.pag.25

ne, quo Principes ſupremi cenſeantur in huiuſmodi locutionibus generalibus excepti. Vnde etiam in Bulla Cœnæ comprehenduntur terminis generaliſsimis, vt patet. § Excommunicamus omnes illos, qui per ſe, vel per alium ſeu alios directè vel indirectè, &c. de facto occupant, &c. *Idem multis alijs exemplis oſtendi poteſt.*

9 *Quod de Pontifice Summo adfertur, eum in pœnis non comprehendi nomine Epiſcopi, ad rem non facit. Id enim non eſt ex priuilegio, ſed ex natura rei, quia nemo in ſeipſum habet poteſtatem coactiuam. Similiter neque Imperator, neque Rex ſua lege, qua parte pœnalis eſt, teneri poteſt.*

De Epiſcopo generatim falſum eſt, eum non comprehendi nomine Sacerdotis. Id enim ſolùm locum habet, quando agitur de pœna Suſpenſionis vel Interdicti, quia ſic expreſſo Iure ſancitum, cap. Quia periculoſum, de ſententia Excommunicat. in 6. *Secus quando eſt Excommunicatio, vt ibidem Gloſſa notat: In pœnis benignior pars eligenda, ſed non contra verborum proprietatem, & tenorem totius Legis.* Ita *Leſſius.*

10 Sed hæc omnia friuola ſunt, & ad rationem noſtram infirmandam planè inepta. Atque *imprimis, Principes* ſupremi, ſi rationẽ, quam *Leſſius* antea aſſignauit, & hîc iterum inſinuat, attendamus, æquè *Magiſtratus ac Iudicis* nomine, atque *Domini temporalis*, vel *Poteſtatis ſecularis*, comprehendi debent. Quis enim magis propriè ac primario debet populo præeſſe, recta & vtilia præſcribere, atque inſtare vtilitati publicæ, quæ eſt ratio *Magiſtratus*, quam *Princeps* ſupremus? & cui magis propriè & primariò conuenit pote-

ſtas iudicandi, ſeu ius dicendi, & cauſas litigantium cognoſcendi atque terminandi, quæ eſt ratio *Iudicis*, quàm *Principi* ſupremo? Non tamen hinc rectè concludi poteſt, ipſa *Magiſtratuum*, & *Iudicum* nomina, vt antea diximus, & hîc etiam *Leſsius* concedit, proprijſſimè, ſi communem loquendi vſum ſpectemus, deſignare. Atque idem de nomine *Domini temporalis*, & *Poteſtatis Secularis* dicendum eſt. Atque de nomine *Domini temporalis* (nam de *Poteſtate Seculari* antea diximus) iſtud adeo manifeſtum eſt, vt quicunque *Imperatorem*, *Regem*, aut alium quemuis *Principem ſupremum* alloquens titulum duntaxat veſtræ *Dominationis* temporalis illi tribueret, ſicut qui Summum *Pontificem* compellans eum tantùm titulo *Dominationis*, aut *Paternitatis Reuerendiſſimæ*, & non *Sanctiſſimæ* inſigniret, & qui *Epiſcopo* ſcribens, eum *Patrem*, aut *Dominum* duntaxat *Reuerendum*, & non *Reuerendiſſimum* nuncuparet, vir procul dubio inurbanus, & in communi vita, & vulgari hominum conſuetudine rudis meritò ab omnibus iudicaretur. *Imperatores* enim et *Reges*, ſunt quidem *Poteſtates Seculares*, *Domini temporales*, *Magiſtratus*, ac *Iudices*, ſed *ſupremi*, ſicut etiam *Epiſcopi* ſunt *Iudices*, ac *Domini* ſpirituales, ſed *Reuerendiſſimi*, & *Pontifex Romanus*, Dominus, Pater, & Iudex in ſpiritualibus, ſed *ſanctiſsimus*, *ſummus*, ac *ſupremus*, ſeu *Maximus* ab omnibus nuncupatur.

11 Caueat itaque Lector veritatis perdiſcendæ cupidus, ne rationibus ſophiſticis, & verbis fallacibus in errorem pertrahatur. Nam tametſi cura reipublicæ, poteſtas iudicandi ſeu

ius dicendi, poteſtas dominandi, & de rebus quibuſcunque Secularibus diſponendi *Principibus ſupremis* proprijſſimè & primariò conueniant, non tamen iſta nomina, *Magiſtratus*, *Iudex*, *Dominus*, aut *Poteſtas temporalis* ſeu Secularis, niſi adiectivum (*Supremus*) vel aliud æquiualens addatur, *Principibus ſupremis*, ſed inferiores tantùm Dominos ac Magiſtratus, iuxta communem loquendi vſum, proprijſſimè, vt *proprium* à *communi* diſtinguitur, deſignant: quantumuis vt *proprium* improprio, metaphorico, ſeu abuſiuo imponitur, non *metaphoricè*, ſed *propriè* Principibus etiam ſupremis, ſi præſertim aliquod ſupremæ dignitatis Epitheton adijciatur, conueniant: vnde Imperatores, Reges, alijque Principes abſoluti, ſupremi omnium Magiſtratus, Iudices, Domini, ac Poteſtates temporales proprijſſimè dici poſſunt.

12 Quod igitur ait *Leſsius* in fine, *In pœnis benigniorem partem eſſe eligendam, ſed non contra verborum proprietatem, & tenorem totius legis*, veriſſimum eſt, ſi *proprium* in hoc ſecundo ſenſu, vt ab *improprio* differt, accipiamus. Nam verba legum, vt alias [f] obſeruauimus, à *proprio* ad *metaphoricum* ſenſum trahenda non ſunt, niſi verborum *proprietas* aliquam iniuſtitiam, vel ſimilem abſurditatem induceret. Quando tamen verba legis plura habent ſignificata *propria*, non metaphorica, *in pœnis benigniorem partem eligendam eſſe*, Iuriſconſulti omnes, iuxta regulam Iuris approbatam & in lege naturali fundatam, vnanimi conſenſu aſſeuerant. Quòd verò finis, intentio, & tenor decreti *Lateranenſis* Concilij, quod ad pœnas temporales attinet, eò tendat, vt inferio-

---

[f] In diſputat. Theolog. cap. 1, ſec. 3.

res tantùm Magiſtratus ac Dominos, & non Principes ſupremos cōplectatur, ſuperiùs declarauimus.

13 *Secundò*, tametſi etiam verum ſit, *Principes*, ſicut & *Epiſcopos*, *Abbates*, & *Sacerdotes* in decretis Eccleſiaſticis, quæ pœnas ſpirituales infligunt, verbis generalibus, quæ nullius gradus, conditionis, ſtatus, officij, honoris, aut dignitatis titulum deſignant, niſi ſpeciali aliquo priuilegio exempti fuerint, comprehendi, vnde & in *Bulla Cœnæ*, & in Canone, *Omnis vtriuſque ſexus*, & in Canone, *Si quis ſuadente Diabolo*, & in multis ſimilibus decretis eos verbis generaliſſimis includi certiſſimum eſt, neque iſtud negare mihi vnquam in mentem venit: Dixi [*niſi priuilegio aliquo exempti fuerint*] nam *Epiſcopi* per decretum *Innocentij* quarti in canone, *Quia periculoſum*, à quacunque Interdicti, & Suſpenſionis ſententia excipiuntur, niſi in ea de *Epiſcopis* expreſſa mentio habeatur: Veruntamen, tum ipſi Iuri Canonico, tum regulis vtriuſque Iuris à me ſuperiùs relatis, tum probabili Iuriſprudentium doctrinæ conſentaneum eſſe, ſicut antea reſpondi, nunc etiam affirmo, neque *Summum Pontificem* nomine Epiſcoporum (etiamſi probabilem Doctorum *Pariſienſium*, qui eum decretis Conciliorum generalium ſubijciunt, ſententiam ſequeremur) neque *Epiſcopos* nomine Sacerdotum, neque Sacerdotes nomine Clericorum, neque *Abbates* nomine Monachorum, neque *Reges*, & *Principes ſupremos* nomine Dominorum temporalium, aut principalium, aut alijs quibuſuis nominibus generalibus, quæ inferioris notæ, ſtatus, conditionis, officij, honoris, vel dignitatis titulos deſignant, in

materia odioſa, aut in ſacris Canonibus, quâ pœnales ſunt, comprehendendos eſſe.

14 Atque inprimis, quod attinet ad *Ius Canonicum*, habemus Conſtitutionem *Innocentij* tertii in canone, *Sedes Apoſtolica*, de reſcriptis, vbi Pontifex decernit, vt *quando in commiſsionibus ſuis*, (& idem etiam ſuis decretis pariter accommodari poteſt) *minores & viliores perſonæ ſolummodò deſignantur, maiores & digniores ſuos ſub generali clauſula non intelligatur includi.* Vbi *Gloſſa* ibidem, *Reſpondeo*, ait, *maiores & digniores vocat hîc notabiles perſonas, quæ ſub clauſula generali comprehendi non poſſunt*, ff. de Iniurijs, *Item apud* Labeonem, §. *hoc Edicto*. Et eadem *Gloſſa* exponens verbum illud, *digniores*; *Quandoque*, inquit, *Poteſtates ſeculares dicuntur habere dignitatem* 23. q. 5. Adminiſtratores; *quandoque enim Decurionatus dicitur dignitas* ff. Ad leg. Cor. de ſica. leg. pen. Quare per *Poteſtates ſeculares* inferiores tantùm *Magiſtratus* intelligit, non *Principes* ſupremos, quos certum eſt ſemper habere dignitatem.

15 Satis autem conſtat, in *Lateranenſis* Concilij decreto minores & viliores perſonas, quàm ſint *Imperatores, Reges*, & *Principes ſupremi*, ſolummodò deſignari. Nam, vt taceam nomen *Poteſtatis ſecularis*, & *eorum qui officijs funguntur*, ſeu qui *Officiales* ſunt, tres Dominorum gradus ibi diſtinguntur, nempe Dominorum temporalium, *Si vero Dominus temporalis* &c. Dominorum principalium, *ſaluo iure Domini principalis*, & principales Dominos non habentium, *eadem nihilominus lege ſeruata circa eos qui non habent Dominos principales*. Igitur clarum eſt, *Dominum temporalem* eſſe

minorem, & viliorem *Domino principali*, & *Dominum Principalem* eſſe minorem & viliorem eo, qui non habet *Dominum principalem*, & conſequenter *Reges* & *Dominos ſupremos* ſeu *principaliſſimos* eſſe his omnibus maiores & digniores, adeo vt ex ipſiſmet Concilij verbis euidenter contra *Leſsium* colligi poſſe videatur, nomine *Domini temporalis*, aut *principalis*, *Reges* ac *Principes ſupremos* nequaquam comprehendi, alioquin enim fruſtra verba illa adderentur, *Eadem nihilominus lege ſeruata circa eos qui non habent Dominos principales*, ſi vel iſti, vel *Principes ſupremi* in priori decreto aduerſus *Dominos temporales*, & *principales* lato includerentur.

16 Quod autem attinet ad *Regulas Iuris* ſuperiùs a me allatas, nempe *in pœnis benignior pars eſt eligenda*, & *odia reſtringi*, *fauores conuenit ampliari*, quomodo intelligendæ ſint, & inſtituto optimè adaptentur, ex Doctoribus, quos ſtatim referam, clariſſimè apparebit.

Atque vt a *Panormitano* Iuris Canonici *Lucerna* ordiamur. *Nota*, inquit ipſe, *quòd in materia ſtricta, ſeu odioſa, verba non capiuntur ita largè ſicut poſſunt capi ex proprio & lato ſignificato verborum*. Et in cap. vltimum de *Simonia* ait, *Innocentium hîc ſentire, quòd in diſpoſitione odioſa appellatione monachorum non venit Abbas, idemque ſentire Ioannem Andream poſt Archidiachonum, tametſi* Ioannes Andreas *contrarium antea ſenſerit*. Et paulo poſt, *Breuiter*, inquit, *concordando diſtinguerem, quòd in materia odioſa nunquam appellatione monachorum venit Abbas. Pro hoc allego textum in ſimili in cap.* Statutum, de elect. lib. 6. *adiuncto cap.* licet canon

Panormitanus in cap. *Sedes Apoſtolica*, de Reſcriptis.

eodem tit. & libro. *Vbi habetur, quòd appellatione Eccleſie parochialis in materia odioſa non venit Eccleſia parochialis collegiata, quia habet qualitatem Collegij vltra Parochiam; ita in ſimili licet Abbas ſit etiam monachus, tamen habet qualitatem ſuperioritatis ſuper monachum, & ideo in materia odioſa non debet comprehendi. Et idem in Rectore ſcholarium; & facit hoc dictum regulariter ad ſtatutum, quod punit Scholarem deferentem arma, vel aliud facientem, vt non comprehendat eorum Rectorem, licet ſit Scholaris.* Et idem de *Sacerdote* reſpectu Clerici, & de *Epiſcopo* reſpectu Sacerdotis, & de *Rege* ſeu *Domino ſupremo* & *principaliſsimo* reſpectu *Domini tẽporalis, principalis, & principalem Dominũ* non habentis propter eandẽ planè rationẽ conſequenter affirmare debet.

Felinus in cap. vlt. de Simonia.

17 Similia habet *Felinus* in cap. vltimum *de Simonia*. §. prima Concluſio. *Appellatione monachorum*, ait ille, in *materia fauorabili veniunt Abbates*, ita textus hîc, in cap. *ex ore* de priuilegijs &c. *Fallit hec concluſio in materia odioſa*: Et ad hoc citat *Innocentium, Panormitanum & alios*. Atque in verbis immediatè præcedentibus ex diuerſis iuribus hanc regulam generalem, cui *prima* eius *concluſio* innixa eſt, præmittit. *Quoties ſpecies aliquid addit generi, nunquam*, *ſcilicet* in materia odioſa, *appellatione generis venit ſpecies*; quæ regula eadem eſt, quod ad rem ipſam attinet, quam inferiùs in *tertia concluſione* his verbis ſubiungit: *In materia odioſa ſub ſimplici non comprehenditur mixtum, ita omnes Doctores hîc, ſecus in materia fauorabili.* Ex qua doctrina euidenter colligitur, in materia odioſa non venire etiam *Sacerdotem* nomine Clerici, neque *Epiſcopum* nomine *Sacerdotis* ſeu Præsbyteri,

neque *Imperatorem* aut *Regem* nomine Domini temporalis, principalis, aut principalem Dominum non habentis, cum notum ſit, *Clericum* eſſe veluti genus ad *Clericum* Sacerdotem & non Sacerdotem, & *Presbyterum* eſſe veluti genus ad *Epiſcopum* & ſimplicem Præsbyterum, & *Dominum temporalem, principalem*, & qui *principalem Dominum* non habet, ad Dominum temporalem ſupremum ſeu principaliſſimum, & non ſupremum.

18 *Sacerdotis nomine*, ait *Bartholomæus Fumus* in ſua aurea armilla, *verbo* Sacerdos nu. 2. *in materia fauorabili non tantùm Presbyteri veniunt, ſed etiam Diaconi & Subdiaconi.* arg. cap. 1. 15. q.5. *ſed in materia odioſa tantùm Præsbyteri*, & proinde nec etiam Epiſcopi, *argument*. cap. *ſi quiſque, de cohabitat. Cleric. & mulierum.* vbi *Panormitanus hoc notat*. Et in verbo, *Clericus* nu 2. *Clericorum*, inquit, *nomine in materia fauorabili intelliguntur omnes in aliqua Clericali dignitate poſiti, ſed in materia odioſa nomine Clerici non veniunt Epiſcopi, Canonici, nec alij in dignitate conſtituti, nec Monachi, nec Religioſi exempti. facit cap.* quam periculoſum *de ſententia Excommunicationis* lib. 6. & Panormitanus *in cap.* bonæ memoriæ, *lib.* 1. *de poſtulat Prælat.* Et in verbo, *Abbas* nu. 11. *Abbas*, ait Armilla, *non venit appellatione monachorũ in materia odioſa, licet bene in materia fauorabili ſecundùm Doctores* in cap. fin. *de Simonia.*

Armilla Aurea verbo, *Sacerdos* verbo. *Clericus* & verbo *Abbas.*

19 Et *Gregorius Sayrus* exponens canonem, *vt periculoſa*, Ne Clerici, vel Monachi in ſexto, vbi excommunicantur omnes Religioſi, qui accedunt ad quæuis ſtudia literarum niſi conceſſa priùs licentia a ſuo Prælato cum conſilio maioris partis

Sayrus tom. 1. *Theſauri*. lib. 3. cap. 23. nu. 22.

ſui conuentus, *ait, Abbatem vadentem ad Scholas ſine licentia ſui Superioris, & conuentus non incidere in hanc pœnam ex* Archidiacono, & Geminiano, & Angelo, & Antonino, & Nauarro, *vbi ſupra, quia eſt conſtitutio pœnalis, & ideo reſtringenda potiùs quàm amplianda.* Et pari ratione tenentur etiam aſſerere, neque nomine *Clerici* in materia odioſa, ſeu pœnali venire *Sacerdotem*, neque nomine *Sacerdotis Epiſcopum*, neque nomine *Domini temporalis*, aut *principalis Regem*, aut *Dominum ſupremum, & principaliſſimum.* Neque enim *Rex*, aut *Dominus ſupremus*, & *principaliſſimus* minùs propriè eſt Dominus temporalis, aut principalis, neq; *Epiſcopus* minùs propriè eſt Sacerdos, neque *Sacerdos* minùs propriè eſt Clericus, quàm *Abbas* eſt propriè Monachus.

20 Denique, vt alios quamplurimos omittam, *Andreas Duuallius* Doctor Sorbonicus, & in Academia Pariſienſi Regius Theologiæ Profeſſor, & qui Summi Pontificis Monarchiæ tam temporali in Reges, & Principes ſupremos, quàm ſpirituali in totam Chriſti Eccleſiam, ſeu Concilium generale legitimè congregatum, præter antiquum illius Academiæ morem plurimùm, ne dicam nimiùm, fauet, *Notum eſt*, ait, *nomine clericorum in materia odioſa non venire Epiſcopos, nec interdum nomine Monachorum in eadem materia Religioſos, neque ſimiliter nomine Dominorum Reges propter dignitatis Regiæ ſublimitatem, & maieſtatem. Dicam ampliùs nomine Regum in materia odioſa non venire fortè Regem Galliæ propter ſingulares, quibus cæteris Regibus præcellit, prærogatiuas. Eſt enim Chriſtianiſſimus, Pontificem in Sedem ſuam ſæpius*

Andreas Duual. In diſputat. de ſuprema Rom. Pont. in Eccleſiam poteſtate. part. 2. q 4 pag. 264.

ſæpius reſtituit, &c. Et Nihilominus *Leonardus Leſsius* Societatis Ieſu Doctor eximius, & in Academia Louanienſi Sacræ Theologiæ Profeſſor celeberrimus affirmare non dubitat, & tanquam firmiſſimum fidei ſuæ Catholicæ fundamentum ponit, Imperatores, Reges, & Principes ſupremos, tametſi Chriſtianiſſimi, Catholici, & fidei defenſores nuncupentur, in *Lateranenſis* Concilij decreto, quod maximè odioſum & pœnale eſt, nomine Domini tẽporalis omnino includendos eſſe.

21 Ex his igitur manifeſtum eſt, vtramque rationem, [ob quam] affirmaui, in *Lateranenſis* Concilij decreto inferiores tantùm Dominos temporales ex ſupremorum conſenſu nomine *Dominorum temporalium*, *principalium*, & *principales Dominos* non habentium deſignari, firmam, ſtabilem, & inconcuſſam ſubſiſtere, & nec minimę quidem improbabilitatis argui meritò poſſe: tum quia verba legum vltra poteſtatem Legiſlatoris extendi non debent, ob quam cauſam Imperator neque ſeipſum, neque alios ſibi non ſubditos in ſuo Edicto includere poterat; At poteſtas Eccleſiaſtica, vti *pleriſque Doctoribus* placet, nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere poteſt; & Princeps ſupremus legibus ciuilibus, ſaltem quâ pœnales, ſeu coercitiuæ ſunt, ſolutus eſt, quæ erat *prima ratio*; Tum etiam, quæ *eſt ſecunda*, quoniam in materia odioſa & pœnali *Principes ſupremi* nomine *Dominorum temporalium*, aut alijs quibuſcunque nominibus generalibus, quæ alicuius ſtatus, conditionis, officij, aut dignitatis titulos deſignant, & inferioribus

tribus perſonis conueniunt, iuxta communem *Iuriſperitorum* doctrinam comprehendi non debent.

22 Quare, quod *Leſsius* ait de *Epiſcopo, generatim falſum eſſe eum non comprehendi nomine Sacerdotis in materia odioſa & pœnali. Id enim ſolum locum habere quando agitur de pœna ſuſpenſionis, & Interdicti, quia ſit expreſſo Iure ſancitum*, cap. Quia periculoſum, de *ſententia Excommunicationis in ſexto. Secus quando eſt Excommunicatio, vt ibidem Gloſſa notat*; ſi intelligat id falſum eſſe ex communi omnium Doctorum ſententia, hoc falſiſſimum eſſe iam clariſſimè demonſtraui: Sin autem ex propria ſuiipſius, aut quorundam forſan aliorum mente id falſum eſſe velit, de hoc vtpote ad rem noſtram parum, aut nihil pertinente nunc non contendam. Non enim ſufficit illi, qui rem aliquam de fide certam eſſe demonſtrare prætendit, Aduerſariorum Reſponſa falſa eſſe ex proprio ſuimet, aut aliorum quorundam ſenſu commonſtrare, ſed oportet etiam, vt ea ex communi omnium Doctorum conſenſu falſa & abſurda eſſe, & à nemine abſque hæreſeôs, erroris, aut ſaltem temeritatis nota ſuſtentari poſſe manifeſtum faciat.

23 Ille autem Canon, *Quia periculoſum*, noſtræ ſententiæ, vt antea diximus, nequaquam aduerſatur, quin potiùs *Doctor* iſte *canonem* iſtum, & *Gloſſam* contra noſtram ſententiam adducens manifeſta vel fraudis, vel imperitiæ indicia oſtendit. Non enim *Canon* iſte ſpeciale ius conſtituit, in eo quòd *Epiſcopum* à nomine *Sacerdotis* in pœna Suſpenſionis, & Interdicti excludat, cum

antea per decretum *Innocentij* tertij, & approbatas vtriuſque Iuris regulas, & communem Iuriſperitorum doctrinam, *Epiſcopus* in omni materia odioſa, & pęnali, à nomine *Sacerdotis*, & quocunque alio generali nomine, quod inferioris notę perſonas deſignat ſufficienter excluſus ſit, ſed in eo, quòd *Canon* iſte *Epiſcopum* à quocunque nomine quantumuis generali, & nullum ſpecialem alicuius dignitatis aut officij titulum deſignante in pæna Suſpenſionis & Interdicti excludendum eſſe declaret. Sed *Leſſius* diſcrimen inter nomina generalia, quæ alicuius dignitatis aut officij titulum deſignant, & quæ nullum talem titulum denotant, vel non aduertit, vel fraudulenter diſſimulat.

24 Neque *Gloſſa* in illum *Canonem* affirmat, *Epiſcopum* comprehendi nomine *Sacerdotis*, vt *Leſſius* comminiſcitur, ſed *Gloſſa* ſolùm aſſerit, *Epiſcopum* in nullo canone, qui pęnam Suſpenſionis, aut Interdicti infligit, comprehendi, niſi in illo *canone* expreſſa de *Epiſcopis* mentio habeatur; *Secus in Excommunicatione*, ait *Gloſſa* illa ſecunda; id eſt, tametſi verba generaliſſima ſint, neque vllius officij, aut dignitatis titulum deſignent, tamen quando agitur de pæna Suſpenſionis vel Interdicti, *Epiſcopi* non comprehenduntur, ſed vt hanc pænam incurrant, oportet vt *Epiſcopi* nominatim, & non per clauſulam tantùm generalem exprimantur. *Secus*, ait Gloſſa, *de Excommunicatione*, quia de Excommunicatione in eo Canone nulla fit mentio. Et nihilominus *Gloſſa prima* (quam *Leſſius* diſſimulat) *Canonem* iſtum etiam de pæna Excõmunicationis intelligendũ eſſe affirmat.

25 Vana igitur eſt vtraque ratio, quam *Leſſius* hîc adducit, ob quam *Lateranenſe* Concilium *Reges* ac *Principes ſupremos* proprijs nominibus, & titulis ſupremę ſuæ *Maieſtati* debitis in hoc decreto non compellauerit, ſi eos in illo comprehendere voluerit. *Prima* eſt, *quia ſatis erat generali nomine comprehendere omnes & ſupremos & non ſupremos, præſertim cum illud nomen primario & proprijſſimè ſupremis conueniret.* Sed falſum eſt, vt iam docuimus, nomine *Poteſtatis Secularis*, *Domini temporalis*, aut *Principalis*, ſicut etiam nomine *Magiſtratus*, *Iudicis*, *Præfecti*, *Rectoris*, *Gubernatoris*, & ſimilium, *Reges* ac *Principes* ſupremos in materia odioſa ſufficienter deſignari, aut ea nomina *Regibus* ac *Principibus* ſupremis, niſi honorabilius aliquod *Epitheton*, veluti *ſupremus*, aut quid æquiualens illis adijciatur, ſed inferioribus tantùm Magiſtratibus, ac Dominis iuxta communem loquendi morem proprijſſimè conuenire, tametſi ipſa poteſtas Secularis, poteſtas dominandi, & Rempublicam iudicandi, regendi, & gubernandi *Principibus ſupremis* primariò, inferioribus autem Magiſtratibus ne Dominis ſecundariò duntaxat, & participatione conueniat.

26 *Secunda ratio* eſt, *quia mitius id erat minuſque offenſiuum*, quaſi verò vel Concilij Patres decretum pęnale contra *Principes ſupremos*, ipſis, eorumque Oratoribus inuitis, aut nihil tale cogitantibus, ſuffurari vellent, vel *Principes Chriſtiani*, qui Eccleſię Protectores à Deo conſtituti ſunt, ægrè ferrent, & vel mimimam offenſiunculam acciperent, ſi in decretis Eccleſiaſticis, quæ ad hæreſes extirpandas, & Eccleſiam in fidei puritate

conſeruandam neceſſarię ſunt, proprijs *Principum* nominibus ſe comprehendi cernerent, dummodo Eccleſiam talia decreta condendi indubitatam habere authoritatem illis ſufficienter conſtaret, quin potiùs *Reges* , & *Principes ſupremi* , qui ob ſummi Imperij maieſtatem, à *Deo* ſecundi ſunt, & ſolo *Deo* minores, indignè ferrent, ſi quis eos nominare intendens, inferioribus tantùm notæ titulis, & qui inferioribus Magiſtratibus ac Dominis proprijſſimè conueniunt, veluti veſtrę *Dominationis temporalis, magnifica, Illuſtris, Principalis* aut eiuſmodi, de ſuprema ſua ſuper cęteros omnes Dominos temporales excellentia diminuere irreuerenter pręſumeret.

27 Non igitur *Lateranenſis* Concilij Patres ea de cauſa *Principes* ſupremos in illo decreto proprijs *Principum* nominibus non expreſſerunt, *quia mitius id erat , & minùs offenſiuum* , vt *Leſſius* comminiſcitur, ſed quoniam inferiores tantùm Magiſtratus ac Dominos, ex ſupremorum conſenſu in eo decreto comprehendere illis inſtitutum erat, propter vtramque rationem à me ſuperiùs allatam, & contra ineptas iſtius *Doctoris* cauillationes ſufficienter propugnatam. Neque enim Patres illos, aut *Principum* Oratores, qui ibi aderant, latere poterat, *Magnam fuiſſe ſemper inter Imperatores, Regeſque ex vna parte, & ex altera parte inter Romanos Pontifices controuerſiam, an in certis cauſis ſit ius & poteſtas Summo Pōtifici priuandi Reges Regno ſuo*, vt *Ioannes Azorius* Ieſuita verbis expreſſis aſſerit. Nam & hanc litem videbant propria experiẽtia pauciſſimis antè annis inter ipſummet *Innocentium* tertium, atque Imperatores Ro-

Ioan. Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 5. q. 8.

Vide *Nauclerum* generat. 41. ad *annum* 1212.

manos *Philippum*, & *Othonem* acerrimè agitatam, qui, tametſi ab eodem *Innocentio* depoſiti, ſeu Imperio priuati eſſent, tamen ab eius ſententia veluti iniuſta, & abſque authoritate ſufficienti contra eos lata prouocabant, & non *Summo Pontifici*, ſed *Principibus* tantùm Germaniæ poteſtatem *Reges* eorum inſtituendi, aut abdicandi concedebant. Et propterea nemini dubium eſſe poteſt, quin *Principum* Oratores non tantum mutire, ſed vehementer etiam reclamare nequaquam formidaſſent, ſi ſemel imaginati fuiſſent, *Concilij Patres* illo ſuo decreto *Principes ſupremos* comprehendere voluiſſe, eoſque temporali *Epiſcoporum* correctioni ſubijcere abſque maturiori examine, cum tanta de ea re tunc controuerſia eſſet, in animo habuiſſe.

28 Quin etiam ipſemet Imperator *Fridericus*, qui hoc ipſum decretum in ſua Conſtitutione pene ad verbum tranſcripſit, quantumuis poſtea ab *Innocentio* quarto depoſitus eſſet, attamen non ſolùm tali ſententiæ non acquieuit, verum etiam ad Sereniſſimum *Francorum* Regem ſcribens ita ait, *Etſi Romanus Pontifex plenariam habeat in ſpiritualibus poteſtatem, vt peccatores quoſlibet poſſit abſoluere, & ligare, nunquam tamen legitur, vt Papa diuina aut humana lege concedente poſſit transferre pro libito Imperium, aut de Regibus & Principibus in Regnorum priuatione temporaliter iudicare.* Atque idem aſſerit, & copioſè ſuis literis confirmat *Ludouicus* Imperator à *Ioanne* 22. depoſitus: quod profectò neque Imperatores illi tam confidenter aſſerere auſi fuiſſent, ſi controuerſiam iſtam à *Lateranenſis* Concilij Patribus publico decreto

Vide *Nauclerum* generat. 42. ad *annum*. 1246.

Vide *Nauclerum* generat. 45. ad annum. 1338.

creto determinatam fuiſſe Catholici illius temporis exiſtimaſſent, neque Theologi illi, qui tempore præſertim *Ludouici* prædicti in fauorem poteſtatis Pontificiæ Principes abdicandi libros ediderunt, & quæcunque poterant argumenta ad eam confirmandam congeſſerunt, vt *Durandus*, *Bertrandus*, *Aluarus Pelagius* & alij, authoritatē celeberrimi huius *Lateranenſis* Concilij vrgere neglexiſſent, ſi illud in eo ſenſu extraneo, quo nunc dierum à quibuſdam concipitur, intellexiſſent, nec procul dubio *Bonifacij* 8. Extrauagantem, *Vnam ſanctam*, in quo nihil de ſubiectione gladij temporalis ad ſpiritualem, quoad *vim coercentem* decernitur, tam expreſſo, vt Aduerſarij iam vanè gloriantur, *Lateranenſis* Concilij maximi, atque celeberrimi decreto antetuliſſent.

SECTIO IIII.

Quinam nomine Domini Temporalis, Principalis, *&* Principalem *Dominum non habētis, intelligendi ſint, declaratur, & quæ à* Leſsio *in contrarium allata ſunt, refelluntur.*

1 EX iam dictis ſatis perſpicuum eſt, horum nominum appellatione inferiores tantùm *Magiſtratus*, & *Dominos* in pręfato *Lateranenſis* Concilij decreto, & non *Principes ſupremos* venire. Nunc declarandum reſtat, quęnam perſonæ his nominibus in *Canone* illo ſpeciatim deſignentur. Ad quam quęſtionem diſſoluendam duas in *Præfatione* citata *Reſponſiones* adhibui. [a] *Prima* erat,

[a] Nu. 45.

eiuſdem planè ſtatus, conditionis, officij, honoris, ac dignitatis perſonas in *Canone* illo nomine *Dominorum temporalium, principalium*, & *principales Dominos* non habentium ſignificari, quę in *Imperatoris* Edicto iiſdem nominibus diſignantur. Dicant igitur Aduerſarij, quæ & quales perſonæ ſint illę, quæ in *Imperatoris* Edicto nominibus illis denotentur, & eadem *Reſponſio*, modò ſolida ſit, quam huic quæſito adhibebunt, illorum difficultati, ſeruato illo diſcrimine, quod ſuprà quoad extenſionem inter *Imperatoris* Edictum, & *Lateranenſis* Concilij decretum aſſignauimus, pleniſſimè ſatisfaciet.

2 *Secunda Reſponſio* erat, per *Dominos principales*, & qui non habent ſuper ſe *Dominos principales* tam à *Concilio*, quàm ab *Imperatore* intelligi, non *Imperatores, Reges*, alioſque *Principes ſupremos*, ſed eos *tantùm dominos*, qui terras aliquas, Prouincias, aut forſan etiam Regna a *ſupremis Principibus* in feudum Regale, vel quaſi Regale acceperunt, ratione cuius feudi talium *Principum* Vaſalli conſtituuntur, tametſi etiam ipſi alios Vaſallos, quorum *Domini* temporales ſunt, reſpectu eiuſdem feudi ſub ſe habeant, & quo magis vel minùs à *ſupremorum Principum* Iuriſdictione exempti ſunt, eò magis vel minùs *Principales Domini* dici poſſunt.

3 Quapropter, ſi in *Imperatoris* Edicto per *Dominos temporales*, & *Principales*, & qui non habent *Dominos principales*, intelligere velimus non ſolùm eos, qui *dominium* habent, vt dici ſolet, *proprietatis*, alicuius oppidi, ciuitatis, prouinciæ, aut Regni, veluti *Barones, Comites, Marchiones, Duces,*

Rex Bohemiæ, qui ſubiectus dicitur Imperio, & alij bonorum immobilium abundantia affluentes, tametſi nullo honoris titulo inſigniti fuerint, verùm etiam eos, qui Imperium & Magiſtratum in Republica gerunt, & dominationem, quam Theologi *Iuriſdictionis dominium* appellant, in alios ſub *Principe* habent, veluti *Poteſtates*, *Conſules*, *Rectores*, *Gubernatores* ciuitatum, & *Præſides* prouinciarum, aut forſan etiam Regnorum, qui Magiſtratus à Iuriſprudentibus diuiduntur [b] in *maiores*, *minores* & *medios*, & dici ſolent *Illuſtres*, *Spectabiles*, & *Clariſsimi*, conſequenter etiam aſſerere debemus, vtroſque in *Concilij* decreto ijſdem nominibus deſignari. Quare *Dominus temporalis* dicitur reſpectu Vaſallorum, ſeu ſubditorum, quibus dominatur; *Dominus principalis* eſt ille, qui *Dominos temporales* ſibi ſubditos habet: Qui vero ſub ſe *habent Dominos principales*, & ſoli *Principi ſupremo* ſubijciuntur, vt *Proreges*, & Prouinciarum *Præſides*, & qui quoad *dominium proprietatis* terras aliquas, ciuitatem, aut caſtrum à ſolo *Principe ſupremo* immediatè tenent, ita ſunt *Domini principales*, vt ſolum *Principem ſupremum*, ſeu *Dominum principaliſsimum*, & nullum alium *Dominum principalem* Superiorem recognoſcant.

4 Iam aduerſus hanc *ſecundam Reſponſionem* *Leſſius* multa dicit, ſed nihil planè probat, nam quid aduerſus primam obiecit, ſuperiùs declarauimus. *Nunc videamus*, ait ille, [c] *quid obijciant. Primùm ambigunt, quis ſignetur nomine Domini principalis, & contendunt eo nomine non comprehendi Principes ſupremos, ſed eos qui ab his habent aliqua in feudum regale, vel quaſi regale, & illud alteri in feu-*

[b] Vide *Gregorium Tholoſ.* in Syntagmat. Iuris lib. 47. cap. 12. & *Gloſſam.* in leg. Præcipimus Cod. de Appellat.

[c] Nu.6. p.21.

dum tradiderunt. Mira expoſitio; Quaſi verò ſupremi Principes non tam propriè dicantur Domini Principales reſpectu eorum, qui immediatè ab ipſis aliquid acceperunt in feudum, quàm eorum feudatarij reſpectu ſuorum ſubfeudatariorum.

5 Sed tam facilè reſponderi poteſt, O mira refutatio. Quaſi verò *Sacerdos* non ſit tam propriè Clericus, *Epiſcopus* tam propriè Sacerdos, & [b] *Abbas* tam propriè Monachus, quàm *Rex* aut *Dominus ſupremus*, ſit *Dominus temporalis*, aut *principalis*; & nihilominus iuxta communem Doctorum ſententiam, vt iam ſuprà oſtendimus, in materia odioſa appellatione *Clerici* non venit Sacerdos, neque appellatione *Sacerdotis* Epiſcopus, neque appellatione *monachi* Abbas, & proinde nec appellatione *Domini temporalis*, aut *principalis* Rex, aut Dominus ſupremus, & principaliſſimus: *Immo nomine Regum in materia odioſa non venit fortè* (ait [c] *Andreas Duuallius*) *Rex Galliæ propter ſingulares quibus cæteris Regibus præcellit, prærogatiuas.* In quo autem ſenſu *Reges*, & *Principes ſupremi* ſint propriè *Domini temporales* & *principales*, & propriè non ſint *Domini principales*, ſed *principaliſſimi*, & Dominorum temporalium *ſupremi*, & quomodò in legibus pænalibus, quod ad pænas ciuiles attinet, *Principes ſupremi* nullis nominibus generalibus, tametſi nullius dignitatis, officij, aut præeminentiæ titulum deſignent, comprehendantur, quia nimirum in temporalibus ſoli Deo ſunt ſubditi, ſuiſq; legibus, ſaltē quoad *vim coercentem*, ſunt ſoluti, & prælati Eccleſiaſtici, vt *pleriſque Doctoribus* placet, nullam pænam ciuilem ex inſtitutione diuina infligere poſſunt, iam ſatis ſuperque declarauimus.

6 *Deinde*

[b] Vide Gregorium Tholoſanum in Syntagmate Iuris lib. [illegible] cap. 12. & *Gloſſam* in leg. Principes. Cod. de appellat.

[c] Nu. ſp. 22.

6 *Deinde hac expoſitio*, ait *Leſſius*, [d] *reſtringit decretum ad ſolos feudatarios, & ſubfeudatarios ſine vlla ratione, & reddit illud magna ex parte inutile.* Sed hæc iam ſatis confutata ſunt; Duas enim rationes optimas antea aſſignaui, ob quas decretum iſtud ad inferiores tantùm Magiſtratus, & Dominos temporales reſtringi debeat. Nec propterea decretum iſtud redditur vlla ex parte fruſtratorium aut inutile, cum finis illius, vti diximus, potiſſimùm ſit, vt ſacratiſſimæ leges authoritate & conſenſu *Principum ſupremorum* aduerſùs hæreticos latæ meliùs obſeruentur, & maiori cum diligentia exequutioni mandentur, atque vt inferiores Magiſtratus, & *Principum* Miniſtri, qui legum exequutores ſunt, ad officium ſuum diligentiùs contra hæreticos exequendum tum ſpiritualibus tum temporalibus pænis compellerentur. Sicùt neque *Imperatoris* Edictum idcirco inutile eſſe *Leſsius* affirmabit, quia inferiores tantùm Magiſtratus ac Dominos temporales, & non ſeipſum, ſaltem quoad pænas ſibi impoſitas, comprehendit.

7 *Denique, ſi feudatarius ſupremi Principis priuandus fuerit*, ait Leſſius, *nonne id fieri debet ſaluo Principis Iure? Cur ergo hic non vocatur Dominus principalis? Falluntur itaque in re clariſſima: Dominus enim principalis dicitur quilibet Princeps, cui Iure feudali alius Princeps eſt obſtrictus. Hic enim habet Dominium directum in terram, quam alter eius beneficio poſſidet, eoque nomine ei debetur homagium (certi officij ſponſio, & iuſiurandum) & alter dicitur eius Vaſallus & Cliens.*

8 Et ego à *Leſſio* itidem quæro; Si feudatarius *Imperatoris* per eius Edictum priuandus fuerit,

nonne id fieri debet ſaluo *Imperatoris* Iure? Cur ergo *Imperator* non vocatur ibi Dominus principalis? Fallitur itaque *Leſſius* in re clariſſima. Dominus enim principalis dicitur quilibet *Princeps* etiam *ſupremus* in materia fauorabili, at in materia odioſa *Imperatores*, *Reges*, & *Principes abſoluti* non vocantur *Domini principales*, ſed *principaliſſimi*, ac *ſupremi*, ſicut neq; etiam in materia odioſa *Abbas* vocatur Monachus, neque *Sacerdos* Clericus, neq; *Epiſcopus* Sacerdos, ſed cum honoris additamento, *magnus*, *maximus*, *ſupremus*, aut *Summus*.

Deinde, quis dubitat ius Principis ſupremi ſaluum eſſe debere? Si enim ius inferioris Domini, tametſi principalis, ſaluum eſſe debeat, à fortiori ius *Principis ſupremi*, ſeu *Domini principaliſſimi* ſaluum eſſe oportet.

9 *Præterea*, non eſt inconueniens, vt diximus, *Principem ſupremum*, ſeu *principaliſsimum* appellatione *Domini temporalis*, aut *principalis* venire in materia fauorabili, & tamen in materia odioſa iiſdem nominibus nequaquam deſignari, ſicut etiam *Abbas* nomine Monachi, *Sacerdos* nomine Clerici, & *Epiſcopus* appellatione Præſbyteri in materia fauorabili veniunt, ſed non in odioſa; Cum igitur verba illa [*ſaluo iure Domini principalis*] in fauorem tendant, illis *Principes ſupremos* comprehendi nullum omnino incommodum eſt, tametſi eodem planè nomine in materia odioſa & pœnali eos denotari, communi Doctorum ſententiæ diſſentaneum eſſe iam antea commonſtrauimus.

10 *At conſtat*, ait *Leſsius*, *Imperatorem*, & *alios Principes Chriſtianos multos habere Principes*

hoc iure ſibi obſtrictos ratione variarum Prouinciarum vel oppidorum, vel arcium, quæ illorum beneficio poſsidentur. Et ſæpe ijdem qui ſunt ſupremi Principes ratione vnius, vel plurium Regnorum, quæ ipſi ſupremo iure obtinent, ſunt Vaſalli, & Clientes ratione alicuius Regni, Prouinciæ, vel Oppidi, quod ſimul tenent iure feudali. Itaque quando Concilium dicit, terram exponendam, ſaluo Iure Domini principalis, manifeſtum eſt, hîc comprehendi omnes Principes etiam ſupremos, quibus Iure feudali illa terra obnoxia. Non enim ita exponenda ob delictum Vaſalli, vt Dominus principalis detrimentum accipiat. Addit Concilium, Dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum nec aliquod impedimentum opponat. *Vbi apertè inſinuat, etiam Dominum principalem (quicunque ille ſit) punitum iri amiſſo iure Dominij directi, ſi Vaſallum ſuum in poſſeſsione tueri voluerit: ac proinde Summum Pontificem eo euentu poſſe Dominum principalem iure directi Dominij priuare. Poſtremo addit,* Eadem nihilominùs lege ſeruata circa eos, qui non habent Dominos principales. *Quibus verbis rurſus comprehendit omnes ſupremos Principes, qui non beneficiario, & feudali, ſed propriò iure poſsident, & vult eorum terras eodem modo exponi occupandas (ſi hæreticos exterminare noluerint) quo terras eorum, qui feuda occupant.*

11 Sed hæc omnia friuola eſſe, & nihil obſtare ijs, quæ iam diximus, ex dictis ſatis manifeſtum eſt. Nam *imprimis*, ex iam dictis ſatis conſtat, tametſi Epiſcopus *propriè*, vt *proprium* à metaphorico ſeu *improprio* diſtinguitur, ſit *Sacerdos*, & *Sacerdos* propriè ſit Clericus, & *Abbas* ſit

propriè monachus, *Epiſcopum* tamen nomine Sacerdotis, aut *Sacerdotem* nomine Clerici, aut *Abbatem* nomine monachi non in materia odioſa, ſed in fauorabili duntaxat comprehendi. Et ob eandem rationem, tametſi *Rex*, & *Princeps ſupremus*, ſeu *principaliſſimus* ſit propriè Dominus temporalis, & principalis, *vt proprium* ab *improprio* diſtinguitur (cum ſpecies naturam ſui generis, vt homo animal in ſe contineat, & gradus ſuperlatiuus ſuum poſitiuum, vt Dominus *principaliſſimus principalem* ſupponat) ſatis tamen conſtat, *Dominum ſupremum*, ſeu *principaliſſimum* nomine *Domini temporalis*, aut *principalis* in materia tantùm fauorabili, ſed non in odioſa deſignari; quoniam vt rectè obſeruauit *Felinus, quoties ſpecies aliquid addit generi, nunquam in materia odioſa appellatione generis venit ſpecies*, neque *in materia odioſa ſub ſimplici vnquam comprehenditur mixtum*, quo fundamento nixus, communem Iuriſprudentium ſententiam ſequutus affirmauit, appellatione *monachorum* in materia fauorabili venire *Abbates*, ſecus in materia odioſa.

12 *Deinde*, de hac re in preſenti non contendam, an *Reges*, & *Principes ſupremi*, quatenus Vaſalli ſunt, & ſubditi alijs *Principibus*, quorum beneficio regnum aliquod, Prouinciam, Ciuitatem, vel Caſtrum iure feudali poſſident, in iſto *Lateranenſis* Concilij decreto, vel in *Imperatoris* Edicto, ſi alioquin eius Vaſalli ſint, quod ad pœnas temporales attinet, nominibus *Dominorum temporalium, principalium*, & præſertim *principales Dominos* non habentium comprehendendi ſint, cum hæc quæſtio ad poteſtatem *Summi Pontificis*

Principes *ſupremos* abdicandi confirmandam parum, aut nihil iuuet, ſed hoc ſolùm nunc contendo, *Reges*, & *Principes ſupremos*, quâ *ſupremi* in temporalibus ſunt, & alijs *Principibus* in iiſdem non ſubditi, in his decretis, quatenus pœnalia ſunt, generalibus *Dominorum temporalium, principalium*, aut *principales Dominos* non habentium nominibus neque deſignatos eſſe, neque deſignari potuiſſe, ob rationes à me ſuperiùs allatas, & plurimorum Doctorum authoritate ſufficienter confirmatas.

13 *Denique*, ſicut nullum omnino incommodum eſt, quòd *Imperator* in illa clauſula ſui Edicti, *ſaluo Iure Domini principalis*, vel ex vi verborum, cum materia fauorabilis non odioſa ſit, vel ſaltem per conſequentiam, ſeu potiori ratione, vti diximus, includatur, & nihilominus in ſequentibus clauſulis, nempe, *Dummodo ipſe* Dominus principalis *ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, neque aliquod aliud impedimentum apponat*, & *Eadem nihilominus lege ſeruata contra eos qui non habent Dominos principales*, cum materia ſit odioſa & pœnalis; nequaquam comprehendatur; ita etiam nullum planè inconueniens eſſe, iuxta communem Iuriſperitorum doctrinam, manifeſtum eſt, quòd in *Lateranenſis* Concilij decreto, *Reges* & *Principes ſupremi* illis verbis [*ſaluo Iure Domini principalis*] vel ex vi verborum, vel per conſequentiam & potiori ratione, cum materia fauorabilis & non odioſa ſit, comprehendantur, & nihilominus quòd ſequentibus verbis, [*dummodo ſuper hoc ipſe Dominus* principalis *nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum apponat, & ea-*

dem nihilominus lege ſeruata circa eos qui non habent Dominos principales] cum materiam odioſam & pœnalem contineant, & præſertim pœnam ciuilem, quam poteſtas Eccleſiaſtica, vt *pleriſque Doctoribus* placet, ex diuina inſtitutione infligere nequit, infligendam decernant, nullatenus deſignentur.

14 Deſinat igitur *Leſsius* Lectori fucum facere, & quod vel falſum vel valde incertum, & apud Doctores Catholicos controuerſum eſt, vt manifeſtum ſupponere. Niſi enim ex alio capite, quàm ex hoc *Lateranenſis* Concilii decreto, quod tamen nec *propriè* decretum eſt, nec tanquam de fide proponitur, vt infrà oſtendemus, demonſtrare ſe poſſe confidat, quod vtique nunquam poterit, abſurdas eſſe ſententias, quę *pleriſque Doctoribus* placent, nempe, in materia odioſa nomine generis nunquam venire ſpeciem, quotieſcunque ſpecies aliquid addit generi, & Prælatos Eccleſiaſticos nullam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione diuina infligere poſſe, ingenuè fateatur, non eſſe abſurdum aſſerere, *Reges*, & *Principes ſupremos* in nullo planè decreto, quod pænas temporales infligit, quibuſcunque nominibus generalibus comprehendi quidem poſſe, atque eum in re manifeſta turpiter allucinatum eſſe. Neque ſatis erit *Leſsio* ad reſponſionem hanc noſtram euertendam, & nouam ſuam Catholicam *ſcilicet* fidem corroborandam, plurimorum Doctorum ſententias proferre, qui disertè aſſerunt, vel *Abbates*, *Presbyteros*, *Epiſcopos*, & *Principes ſupremos* generalibus *monachorum*, *Clericorum*, *Sacerdotum*, & *Dominorum temporalium*, aut *principalium*

etiam in materia odioſa deſignari, vel Prælatos Eccleſiaſticos pænas temporales ex inſtitutione diuina infligere poſſe, niſi etiam contrariam Doctorum ſententiam ratione aliqua, vel authoritate irrefragabili omnino abſurdam & improbabilem eſſe demonſtret. Quam ſanè admonitionem ſæpiùs à me inculcatam ſi Aduerſarij attentis auribus accepiſſent, fortaſſe non ita inaniter oleum, operamque perdidiſſent, atq; imbecillitatem cauſæ ſuæ, & manifeſta vel fraudis vel imperitiæ indicia prodidiſſent, neque fidem falſam, & fictitiam tanquam veram & Catholicam, nec argumenta vix probabilia, tanquam firmiſſima fidei Catholicæ fundamenta, idque in ſummam *Principum ſupremorum* iniuriam ſub fucato boni ſpiritualis colore tam periculoſè venditaſſent.

SECTIO V.

In qua prima Authoris *Reſponſio ad obiectionem quandam à ſe propoſitam defenditur, & quæ* Leſsius *contra eam obijcit, diluuntur.*

1 TAmetſi ex iam dictis adeo clarè & perſpicuè, vt vidiſtis, appareat, *Principes ſupremos* in *Lateranenſis* Concilij decreto quà pęnale eſt, generalibus illis nominibus inferioris notæ titulos deſignantibus, iuxta communiſſimam Doctorum ſententiam, nequaquam comprehendi, neque etiam, iuxta doctrinam, quæ *plæriſque Doctoribus* placet, comprehendi potuiſſe, vt aliquid

quid vlterius addere ſuperuacaneum eſſe videatur, vt tamen rem totam magis dilucidam faciamus, cætera, quæ *Leſſius* in hac ſua *Diſcuſsione* aduerſus quædam, quæ quaſi obiter, & abſque neceſsitate aliqua à me dicta ſunt, obijcit, ſigillatim diſcutiemus. Poſtquam igitur *inferiores* tantùm *Dominos temporales*, & non *Principes ſupremos* in iſto *Concilij* decreto, quâ pænale eſt, comprehendi declaraueram, talem obiectionem à quibuſdam, qui verba *Concilij* haud rectè intelligunt, plurimi factam his verbis propoſui[a].

a Nu.46.

> 2 *Obijciunt ſecundò*. Eſto, *Reges* & *Principes ſupremi* in illo *Concilij* decreto per ſe & primariò non includantur, ſecundariò tamen, & ex conſequenti eos comprehendi, aut ſaltem comprehendi potuiſſe manifeſtum eſſe videtur. Nam ſi *Pontifex* poteſtatem habeat aliorum *Principum* ſubditos dominijs temporalibus abſque ſuorum *Principum* conſenſu ob crimen hęreſeôs ſpoliandi, non videtur ſufficiens ratio aſsignari poſſe, quare etiam ipſoſmet *Principes ſupremos*, ſi eadem cauſa occurrat dominijs ſuis temporalibus priuare non poterit.

3 Huic autem obiectioni, quæ falsò ſupponit, *Summum Pontificem* habere poteſtatem aliorum *Principum* ſubditos dominijs temporalibus abſque ſuorum *Principum* conſenſu ſpoliandi, hanc Reſponſionem eo loco his verbis adhibui[b].

b Nu.47.

> Ad hanc obiectionem varias *Reſponſiones* in mea *Apologia* breuiter indicaui[c], quas hîc ad verbum referre neceſſarium eſſe duco. *Prima erat*, tam *Pontifices*, quàm *Concilia* ſæpe multa ſtatuere, quorum ordinatio potiùs ad poteſtatem politicam, quàm

c Nu.454.

quàm ad Eccleſiaſticam ſpectat, ex expreſſo vel ”
tacito *Principum* conſenſu, qui per ſeipſos, aut ”
per ſuos Legatos præſentes adſunt, vel ex præ- ”
ſumpta, aut ſaltem ſperata Principum rati habi- ”
tione. *Et hoc dicunt Expoſitores Iuris Canonici*, ait ”
Ioannes Pariſienſis. *Quærit enim* Hoſtienſis, ”
Extra de hæreticis, cap. Ad abolendam, *vbi man-* ”
dat Dominus Papa hæreticorum confiſcari bona, ”
Quid ad Papam de temporalibus? Et reſpondet cum ”
Domino ſuo Innocentio, *quòd re vera nihil ad eum,* ”
ſed hoc fecit de aſſenſu Imperatoris, qui tunc Paduæ ”
præſens conſenſit. ”

4 Nunc videamus, quàm fraudulenter pariter ac indoctè *Leſſius*, pace eius dixerim, hanc meam Reſponſionem impugnare contendat. *Facilè viderunt Aduerſarij*, ait ille[d], *ſupradictam ſolutionem non ſubſiſtere, ideoque tandem concedunt, etiam ſupremos Principes hîc comprehendi potuiſſe. Quia ſi Summus Pontifex ex ſententia Concilij poteſt ſubditos Principum Dominijs temporalibus abſque ipſorum Principum conſenſu ob crimen hæreſis ſpoliare, cur non etiam ſupremos Principes? Itaque eo poſito hanc eſſe mentem Concilij, adhibent tres vel quatuor ſolutiones.* Prima eſt, tam *Pontificem*, quàm *Concilia* ſępe multa ſtatuere &c.

5 Sed falſum et fraudulentum eſt, quod *Leſſius* hîc nimis impudenter affirmat. Nuſquam etenim ego conceſſi, *Principes ſupremos* in hoc *Lateranenſis* Concilij decreto, quatenus pænam temporalem, vt eſt Prouinciarum aut Ciuitatum depopulatio, & Vaſallorum à temporali fidelitate abſolutio, infligendam decernit, comprehendi potuiſſe; aut *Summum Pontificem* ex ſententia

Concilij

[d] Nu. 9. pag. 27.

Concilij poſſe ſubditos *Principum* Dominijs temporalibus abſque ipſorum *Principum* conſenſu ob crimen hæreſis ſpoliare. Sed hæc conſtans, & ſtabilis ſemper hîc & vbique mea ſententia eſt, Pręlatos Eccleſiaſticos nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum (multo minùs Regnorum) priuatio, *&c.* ex diuina inſtitutione infligere poſſe, & *Principes ſupremos*, quorum duntaxat authoritate pœnæ ciuiles infliguntur, ſuis legibus, quod attinet ad vim coercentem, omnino ſolutos eſſe.

6 Obſeruet itaque Lector craſſiſſimam *Leſsij* fraudem, qui perſpiciens, me illud, quod mihi falſo impoſuit, per modum quidem obijcientis, ſed non aſſerentis dixiſſe, obiectionem prædictam, in qua quidem illud aſſerui, meam eſſe aſſertionem Lectori imperito perſuadere ſtudet. Sed verba illa mea, *Obijciunt ſecundò, eſto Reges, & Principes ſupremi*, &c. me non ex propria, ſed ex Aduerſariorum ſententia ibi locutum eſſe, hancque nimis palpabilem impoſturam Doctore Catholico pariter ac Religioſo indignam eſſe apertiſſimè oſtendunt, adeo vt ipſiuſmet verba, *Sed multi hoc tempore ita diſputant, vt ſuſque deque ferant quid dicant, modo imperitis aliquid dicere videantur*, de nullo alio meliùs quàm de ſeipſo verificari ipſemet ſatis manifeſtè demonſtret.

7 *Deinde*, prædictam meam Reſponſionem ita *Leſsius* impugnat. *Sed hac ſolutio*, ait ille, [e] *facilè refutatur, tanquam quæ aſſumit, quod manifeſtè falſum eſt. Nunquam enim Pontifex, aut Concilium facit aliquod decretum pertinens ad totam Eccleſiam, niſi ex propria authoritate; tum quia non facit talia decre-*

[e] pag.28.

decreta niſi in ordine ad bonum ſpirituale &c.

8 Sed *imprimis* perſpicuè conſtat, me in hac ſolutione non aſſumere quod manifeſte falſum eſt, vti *Leſſius* falſiſſimè affirmat. Cùm enim *plærique Doctores*, quorum ſententiam manifeſtè falſam eſſe ipſe nunquam conuincet, aſſerant, *poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione diuina infligere poſſe, immo nec incarcerare, ſed ad ſolam pænam ſpiritualem extendi, vtputa Excommunicationem, reliquas autem pænas, quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo*, ſeu, vt loquitur *Gerſon*, *ex conceſſione Principum eſſe*, hinc conſequens eſt, vt quando *Pontifex*, aut *Concilium* pænam aliquam temporalem infligit, decretum illud non ex *propria*, id eſt, propriè Eccleſiaſtica, & ſpirituali & authoritate ſibi ex *Christi* inſtitutione debita, ſed vel ex ciuili poteſtate, qua Prælati Eccleſiaſtici ex iure purè poſitiuo, & *Principum* conceſſione pollent, vel ex *Principum* conſenſu, aut ratihabitione vim obligandi habeat.

9 *Deinde* obſeruet Lector, quàm doloſè *Leſſius* verba illa [*pertinens ad totam Eccleſiam*] de induſtria in ſua Reſponſione addiderit, vt ita me manifeſtæ falſitatis faciliùs, & cum maiori veritatis colore inſimularet; ac ſi ego in mea ſolutione affirmaſſem, tam *Pontifices* quàm *Concilia* ſæpe multa ſtatuere *ad totam Eccleſiam pertinentia* & non *propria* authoritate, cum tamen clarum ſit verba illa [*ad totam Eccleſiam pertinentia*] non à me dicta, ſed ex ſuo cerebro conficta eſſe.

10 Si igitur per *totam Eccleſiam* intelligat,

omnes & ſingulos Chriſti fideles, tam Clericos, quàm Laicos, tam Principes, quàm ſubditos, quacunque dignitate ſiue ſpirituali, ſiue temporali præditi ſunt, nunquam mihi in cogitationē venit aſſerere, *Concilia generalia* (nam de *Summo Pontifice*, qui ex doctiſſimorum ſententia etiam in generalibus tam fidei quàm morum decretis, atque ad totam Eccleſiam pertinentibus errare poteſt, iam non diſputo) aliqua ſtatuere ad *totam Eccleſiam pertinentia*, & non ex *propria* authorithoritate. Etenim quotieſcunque Prælati Eccleſiaſtici, ſiue in generali, ſiue in Prouinciali Concilio congregati, aliquid ſtatuunt, & non ex *propria* illa, quæ iure diuinò præditi ſunt authoritate, ſed ex ciuili illa, ſeu temporali poteſtate, quam Ius purè poſitiuum, & *Principes supremi* illis conceſſerunt (quæque in aliquo ſenſu *propria* eorum poteſtas, Eccleſiaſtica, ſacra, & ſpiritualis, vt optimè declarauit *Gerſon*, dici poteſt, ſicut Eccleſiaſticorum bona, *propria* ipſorum bona, Eccleſiaſtica, ſacra, & ſpiritualia dici ſolent) decretum illud, quâ pęnale eſt, non ad *totam Eccleſiam*, ſed ad inferiores tantùm Dominos, Magiſtratus, & ſubditos, ex ſupremorum conſenſu, & non ad *Principes ſupremos*, qui legibus authoritate ciuili ſancitis, ſaltem quoad vim *coactiuam* ſoluti ſunt, iuxta ſententiam, quæ *Plerisque Doctoribus* placet, pertinere confidenter affirmo.

11 Si verò per *totam Eccleſiam* ſolùm intelligat vniuerſos Chriſti fideles, qui Principibus Chriſtianis temporaliter ſubditi ſunt, nullum inconueniens eſſe aio, quòd tam *Concilia* quàm *Pontifices*

tifices aliquid temporale ſtatuant, & non ex *propria*, id eſt, ſpirituali poteſtate ſibi iure diuino debita, ſed ex authoritate ſibi à Chriſtianis *Pincipibus* vel expreſſe, vel tacitè communicata; ſicut etiam nullum planè incommodum eſt, vel quod *Lucius* 3. in Can. *Ad abolendam* generale decretum contra hæreticos ad totum Imperium ſpectans ex aſſenſu, & authoritate *Imperatoris* iuxta ſententiam quorundam Canoniſtarum, quos *Innocentius*, *Hoſtienſis*, & *Ioannes Andreas* referunt, ediderit, vel quòd Concilia Prouincialia, vt plura *Toletana* de quibuſdam temporalibus ad Regnum *Hiſpaniæ* pertinentibus ex aſſenſu & authoritate *Regis Hiſpaniarum* diſpoſuerint. Neque rationes, quas *Leſsius* ad ſolutionem meam vt manifeſtè falſam euincendam adducit, vllius planè momenti ſunt.

12 *Tum quia nec Pontifex nec Concilium*, ait ille, *facit talia decreta niſi in ordine ob bonum ſpirituale, hoc autem modo Eccleſia iure diuino, non Principum delegatione poteſtatem habet etiam de temporalibus ſtatuendi, vt omnes Doctores docent.*

13 Sed præterquam quod *Leſſius* in hac ratione principium petat; et accipiat, vt conceſſum quod in quęſtione eſt, cum tota inter me, & Aduerſarios controuerſia ſit, an Pręlati Eccleſiaſtici poſſint iure diuino de temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale *ſtatuere*, ſeu *diſponere* (vt *ſtatuere* ſeu *diſponere* ab *imponere*, & *infligere* ab *imperare* diſtinguuntur) illud etiam aſſumit, quod manifeſtè falſum eſt, nempe *omnes Doctores docere*, Eccleſiam iure diuino, non *Principum* delegatione poteſtatem habere de temporalibus in ordine

ad bonum ſpirituale ſtatuendi, ſeu diſponendi, vel quod in idem recidit, pœnas ciuiles infligendi: quandoquidem *plerique Doctores* exiſtimant, vt *Almainus* refert, *poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere poſſe, ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extendi*; & *de hac re certant Scholaſtici, & adhuc ſub Iudice lis eſt*; ait Trithemius, *an Papa poſſit Imperatorem deponere*; & *magna fuit ſemper*, ait Azorius (vt alios Authores alibi à me relatos nunc taceam) *Inter Imperatores Regeſque ex vna parte, & ex altera parte inter Romanos Pontifices controuerſia, an certis in cauſis ſit ius, & poteſtas Summo Pontifici priuandi Reges Regno ſuo.* Neque ordo ad bonum ſpiritale pœnas ciuiles in ſpirituales tranſmutat, aut actus, officia, & obiecta poteſtatis Eccleſiaſticæ, & ciuilis confundit, atque non ſolùm ipſemet *Summus Pontifex*, quâ *Princeps* temporalis eſt, verùm etiam reliqui *Principes Chriſtiani* ex Chriſti lege tota ſua poteſtate ciuili, ſeu gladio temporali in ordine ad bonum ſpiritale, ſeu æternam ſui ſuorumque ſubditorum ſalutem, vti debent: Et Prælati etiam Eccleſiaſtici per decreta pœnaſque Eccleſiaſticas temporali Reipublicę bono, quotieſcunque pax publica, & temporalis ciuium tranquillitas id neceſſariò poſtulauerit, conſulere obligantur.

Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad an. 1106.
Azor.tom.2. lib.12.cap.5. quæſt.8.

14 *Tum quia*, ait *Leſſius*, *alioquin à ſingulis Principibus Orbis Chriſtiani facultatem petere deberet: Tum quia alioquin decreta illa poſſent tutò contemni, donec conſtaret de Principum conſenſu, & delegatione. Delegato enim potes non parere, donec*

nec ſufficienter probet ſuam delegationem, cap. cum in iure, De officio, & poteſtate delegati. *Tum quia in huiuſmodi decretis, & ſententijs licitum eſſet appellare ab Eccleſia ad Principes Seculares, quia licitum appellare à delegato ad delegantem, vt patet ex multis Iuribus, eſtque per ſe manifeſtum: Quæ omnia abſurda ſunt, & aliena ab vſu tot ſeculis in Orbe Chriſtiano recepto.*

15 Sed hęc omnia eidem falſo principio innituntur. Nihil enim horum abſurdum eſt, niſi *Leſsius* demonſtrare queat, quod ſanè nunquam poterit, abſurdam eſſe ſententiam à *plæriſque Doctoribus* approbatam, & in Regno *Franciæ* Chriſtianiſſimo per plurima ſecula vſu receptam, quæ aſſerit poteſtatem Eccleſiaſticam ex Chriſti inſtitutione non poſſe de temporalibus diſponere, pœnas ciuiles, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. infligere, aut Principes Chriſtianos principatu priuare, ſed pœnas omnes ciuiles quibus Eccleſia vtitur, ex iurè purè poſitiuo & conceſſione *Principum* eſſe, & proinde non obſtantibus quibuſcunque monitionibus Excommunicationibus, vel Interdictis, quæ à Papa ferri poſſunt, ſubditos tamen ad obedientiam pro temporalibus debitam *Regibus* præſtandam teneri, neque in ea per *Papam* diſpenſari, aut abſolui poſſe.

16 Cum igitur prędicta ſententia, quæ *plæriſque Doctoribus* placet, atque in Regno *Franciæ* per tot ſecula vſu recepta eſt, ſiue extrinſeca illius principia, & authoritatem aſſerentium, ſiue intrinſeca, & rationes, quibus innititur, reſpiciamus, abſurda non ſit, neque etiam abſurdum erit,

quin potius ea poſita neceſſariò aſſerendum, quod ſi Pręlati Eccleſiaſtici in vnum congregati aliquid temporale ad vniuerſos fideles *Chriſtianis Principibus* ſubiectos ſpectans de nouo ſtatuere, aut pœnas temporales illis infligendas decernere velint, à ſingulis *Principibus* Orbis Chriſtiani, qui in temporalibus ſupremi ſunt, & Eccleſiæ Paſtoribus ſolùm in rebus ſpiritualibus ſubiecti, facultatem petant, atq; vt decretum illud vniuerſos *Principũ* ſubditos vim obligandi habeat, à ſingulis *Principibus* authoritatem accipiant.

17 Neque proinde abſurdum eſt, quod *Principum* ſubditi, qui Eccleſię, ſeu Prælatis Eccleſiaſticis in temporalibus non ſubijciuntur, Eccleſię decretis quæ temporalia ſtatuunt, obedire non ſtatim teneantur, donec conſtet, *Principes* ſuos ſupremos, quos ſolos in temporalibus Superiores recognoſcant, ſuo conſenſu atque authoritate decreta illa confirmaſſe. Atque ob eandem rationem licitum eſt in huiuſmodi decretis, & ſententijs quę temporalia ſtatuunt, & pœnas temporales infligunt, à Prælatis Eccleſiaſticis appellare ad *Principes Seculares*, vtpote in temporalibus ſupremos, & à quibus Pręlati Eccleſiaſtici totam ſuam authoritatem temporalem, & pœnas temporales infligendi poteſtatem accipiunt, quamdiu non conſtat, talia decreta authoritate & conſenſu *Principum* approbata eſſe. Quapropter nihil horum abſurdum eſt, vt *Leſsius* nimis abſurdè aſſerit, aut ab vſu in Orbe Chriſtiano, & præſertim Chriſtianiſſimo Franciæ Regno tot ſeculis recepto alienum, vt cuilibet, qui Codicem libertatum Eccleſiæ Gallicanę à [d] *Petro Pithao, vi-*

ro,

[f] in verbo *Petrus Pithaus.*

ro, vt ait, *Poſſeuinus*, [f] *verè erudito, & antiquitatis ſedulo perquiſitore* collectum, & authoritate Senatus Pariſienſis anno 1594. editum vel curſim perleget, clariſſimè apparebit.

18 *Vnde quod addunt*, ait *Leſsius*, [g] *Eccleſiam aliquando condere decreta ex præſumpta, vel ſperata Principum ratihabitione, merè fictitium eſt, nec vllo exemplo probare poteſt. Etſi enim Eccleſia interdum requirat opem Principum ad exequutionem, & ea ſpe aliqua decreta condat, nunquam tamen mendicat ab illis Iuriſdictionem, qua talia decreta condat. Hæc enim multum diſtinguuntur, etſi Aduerſarij ea libenter confunderent.*

[g] Pag. 29.

19 Sed nullatenus fictitium eſt, quin potiùs iuxta ſententiam, quæ *plæriſque Doctoribus* placet, veritati maximè conſentaneum, quòd, cum Prælati Eccleſiaſtici nullam habeant iure diuino Iuriſdictionem temporalem, aut poteſtatem de temporalibus diſponendi, & pœnas ciuiles infligendi, ſed ſolùm ex conſenſu, & conceſſione *Principum*, ſi talia decreta ſancire velint, neceſſe ſit, vt à *Principibus* poteſtatem, & Iuriſdictionem, qua ea condant, emendicent. Ex quo etiam conſequens eſt, talia decreta, in quibus expreſſus *Principum* conſenſus non habetur, non habere vim obligandi, niſi ex præſumpta, vel ſperata *Principum* rati habitione. Neque enim talia decreta ex conſenſu *Oratorum*, aut Miniſtrorum *Principum*, qui vel in *Concilijs* generalibus, vel Prouincialibus præſentes adſunt, niſi *Principum* ſuorum inſtructiones ſequantur, ſufficiens robur, firmitatem, ac vim ſubditos talium *Principum* obligandi habere poſſunt.

20 Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, iſtud *Lateranenſis* Concilij decretum (ita enim nunc illud appellabimus) in quo pœnæ temporales *Dominis temporalibus*, & *Principalibus* infligendæ decernuntur (& idem de ſimilibus decretis tam generalium, quàm Prouincialium Synodorum cum proportione dicendum eſt) nullam omnino vim obligandi habere, niſi vel expreſſus *Principum* conſenſus antea interuenerit, vel eorum approbatio, & ratihabitio poſtea ſequuta fuerit. Vide inter cætera Concilia, *Toletana* omnia antiqua præter primum, in quibus de conſenſu *Principis*, cuius iuſſu congregata erant, eiuſque ratihabitione nonnunquam etiam publicis ſuis literis confirmata, ſatis conſtat, atque etiam Concilium *Turonenſe*, *Cabilonenſe*, *Moguntiacum* ſub *Carolo Magno*, *Moguntinum* ſub *Leone* quarto, vt alia taceam, in quibus *Concilij* Patres, *Principis* conſenſum, ratihabitionem, & confirmationem petunt.

21. Scio etiam Iuriſdictionem ab exequutione plurimum diſtingui, neque eos confundere cupio: ſed Aduerſarij poteſtatis Eccleſiaſticæ & ciuilis actus, officia, atque obiecta, & quaſcunque ferme difficultates, quæ inter me, & illos verſantur, ne Lector, quem in tenebris ambulare deſiderant, verum controuerſiæ ſtatum clarè atque diſtinctè intelligat, libenter confundunt. Itaque *Reges* & *Principes ſupremi* non ſunt Miniſtri ſeu Officiales Paſtorum ſpiritualium, eorumque decreta pœnas temporales infligentia, non proprio, ſed authoritate tantùm Eccleſiaſtica freti, exequuntur, eo modo quo inferio-

res Magiſtratus ſunt *ſupremorum Principum* Officiales, ac Miniſtri, & non *propria*, ſed *Principum* tantùm authoritate fulti, eorum leges quę pœnas ciuiles infligendas decernunt exequutioni mandare poſſunt. In qualibet etenim lege propriè dicta, tã Eccleſiaſtica, quàm ciuili, duo diſtinguere oportet. *Primum* eſt, *præceptum* Superioris, ex quo reſultat obligatio in ſubdito adimplendi id quod lege præcipitur, quam Theologi *vim directiuam* ſeu *præceptiuam* vocant, & in hoc lex Eccleſiaſtica non ſemper à ciuili diſtinguitur, cum eadem planè actio, veluti furtum, homicidium, periurium, &c. quam lex Eccleſiaſtica vetat, à *Principe Chriſtiano* in ordine etiam ad eundem finem, nempe bonum ſpirituale, & æternam ſubditorum ſalutem prohiberi poteſt & debet. *Secundum* eſt pœna, quæ tale præceptum violanti infligenda decernitur, quæque a Theologis *vis coercitiua*, ſeu *punitiua* dici ſolet, atque in hac ſemper poteſtatem propriè Eccleſiaſticam à ciuili diſtinctam eſſe iuxta ſententiam, quæ *plæriſque Doctoribus* placet, omnino contendimus.

22 Quando igitur Paſtores Eccleſiæ decreta ſiue ad fidem, ſiue ad diſciplinam ſpectantia condunt, & brachij Secularis ſiue poteſtatis ciuilis auxilium ad ea exequenda à *ſupremis Principibus* petunt, non tribuunt ipſis *Principibus*, aut eorum Officialibus ac Miniſtris vllam planè poteſtatem, aut Iuriſdictionem eos, qui decreta illa infringunt, pænis temporalibus caſtigandi, ſicut *Principes* ipſi ſuis Officialibus & Miniſtris talem poteſtatem atque iuriſdictionem concedunt eos, qui leges ſuas tranſgrediuntur, pænis ciuilibus coercendi. Sed

ideo *Principum Secularium* opem ad decreta illa ſeu præcepta faciliùs exequenda expoſcunt, vt quæ ipſi authoritate Eccleſiaſtica, præceptis nempe, & pænis Eccleſiaſticis decreuerunt, *Principes* etiam temporales authoritate ciuili ipſis *propria*, & non à Paſtoribus Eccleſiaſticis delegata, præceptis nempe, & pænis ciuilibus eadem ſancire velint. Quare Patres Concilij *Maguntini* rogant à *Carolo Magno*, vt capitula ab illis ſancita *eius authoritate firmentur, ſi tamen pietas illius ita dignum eſſe iudicauerit*: & Patres etiam alterius Concilij *Maguntini* petunt ab Imperatore *Lothario*, vt decreta ad illum transmiſſa *eius authoritate firmentur*. Adeo vt mirum ſit, qua fronte viri eruditi ſcriptis publicis tam confidenter veluti rem certiſſimam affirmare audeant, *Principes Seculares* eſſe *Miniſtros* tantùm Paſtorum ſpiritualium, & *authoritate* ab ipſis *delegata*, & non ſua *propria* ac *ciuili* decreta Eccleſiaſtica pænas temporales inſligentia exequi ſolitos eſſe.

Vide hæc Concilia apud *Binnium*.

23 Nunc quid *Leſſius* ad *Ioannem Pariſienſem*, & *Hoſtienſem* a me citatos reſpondeat, audiamus. *Citant*, inquit,[h] Ioannem Pariſienſem, *forte ex aere, quia locum non notant*. Sed niſi *Leſſius* vel aere nimis caliginoſo, vel oculis parum attentis locum illum inſpexiſſet, vidiſſet vtique citatum in margine numerum 454. meæ *Apologiæ*, ad quem locum Lectorem remiſi, vbi caput decimum Tractatus *Ioannis Pariſienſis* de Poteſtate Regia & Papali notatum in quo verba illa habentur, reperire potuiſſet.

[h] nu. 11. p. 29.

24 *Verùm parum intereſt*, ait *Leſſius*, *quid ille dicat, quia plurimas alias citationes & Hiſtorias falſas*

ſas profert, & erroribus ſcatet, vtpote Schiſmaticus. Sed optimè quidem feciſſet *Leſſius*, ſi vnam ſaltem vel alteram ex plurimis illis citationibus, & Hiſtorijs falſis, atque erroribus, quibus ſcatere ait *Pariſienſem*, in medium protuliſſet, vt ita in reliquis aliquam illi fidem adhiberemus. Verùm frequens hic eſt calumniatorum mos, Aduerſarijs, quos rationibus vincere non valent, verbis generalibus falſa, & ficta crimina imponere, vt ita facilius apud Lectorem fidem illis detrahant. Sed cum ſuſpicio inimicitiarum, vt ait Cicero, fidem, & authoritatem deroget in teſtimonio dicendo, parum refert, quid *Leſſius* non ea charitate, qua decet Doctorem Catholicum & Religioſum, qui charitate religioſa alijs prælucere debet, contra *Pariſienſem* virum pariter Religioſum, atque doctiſſimum dicat, niſi melius probet, quod dicit. Et tametſi *Leſſius*, Card. *Bellarminum* D. *Schulckenij* perſona indutum ſequutus, dicat, *Ioannem Pariſienſem erroribus ſcatere, & in cap. 14. ſui Tractatus de poteſtate Regia & Papali multos admiſcere errores*, (ſunt verba D. Schulckenij)[i] *& alios eius errores ab Eccleſia damnatos eſſe in Extrauaganti communi, Vas electionis, & proinde non eſſe magnam habendam rationem quicquid dicat*; ego tamen in toto illo Tractatu, quem accuratè legi, & relegi, nullam planè propoſitionem, quæ verè erronea dicenda ſit, vt error ab hæreſi a Theologis diſtingui ſolet, inuenire poſſum, quantumuis Doctores iſti ex nouæ ſuæ fidei Catholicæ *ſcilicet* officina, nouos etiam errores atque hæreſes circa abſolutam, præſertim *Summi Pontificis* in temporalibus & ſpiritualibus Monarchiam procudere, eoſque viris verè Catholicis

De Inuentione.

---

[i] Ad num. 201. pag. 394. 395.

licis non abſque graui ignominiæ nota imponere non pertimeſcant.

25 Neque etiam certum eſt, vt alias contra D. *Schulckenium* annotaui, [k] *Ioannem iſtum Pariſienſem fuiſſe Ioannem* illum de *Poliaco*, cuius errores in Extrauaganti illa cōmuni condemnati ſunt. Sed eſto, non ſit ille *Ioannes* a noſtro diuerſus, illa tamē eius errorum condemnatio fidem illi, quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat, detrahere non debet, quin potius validum ex hoc ipſo capite argumentum ad noſtram doctrinam confirmandam deduci poteſt. Nam (præterquam quòd prædicta condemnatio nullum planè vel ſanctitati, vel eruditioni illius *Ioannis* de *Poliaco* præiudicium afferre debeat, quandoquidem eam, quàm primùm condemnata eſt, confeſtim retractare, & contrariam publicè prædicare paratiſſimus eſſet, atque etiam plurimi viri eruditi eo tempore, vt *Henricus* de *Gandauo*, *Durandus* a S. *Porciano*, jmo & tota *Pariſienſis Schola*, vt teſtatur *Ioannes Maior*, eandem doctrinam a *Pontifice* tunc condemnatum antea propugnauerint) ſi *Papa*, & *Cardinales* pro certo exiſtimaſſent, erroneum eſſe aſſerere, non eſſe in *Summo Pontifice* poteſtatem *Principes* hæreticos per ſententiam depriuationis abdicandi, aut Vaſallos à iuramento fidelitatis verè abſoluendi, & totam Cenſuram Eccleſiaſticam eſſe ſpiritualem, & Iudicem Eccleſiaſticum non debere homines in Deum reducere, & à peccato retrahere; niſi ſecundùm viam à Deo ſibi datam, quæ eſt ſeparando à Sacramentis, & participatione fidelium, neque poſſe Iudicem Eccleſiaſticum ratione delicti *imponere*, id eſt infligere pœnam corporalem,

vel

[k] In Confut. *Thomæ Fitzherberti* part. 1. cap. 3. nu. 7. 9.

Henricus quod. 2. q. 26. & quodl. 10. q. 1. *Durand.* in 4. diſt. 17. q. 2. *Maior* in 4. diſt. 17. q. 6.

vel pecuniariam, ſicut facit Iudex Secularis, ſed ſolum ſi ille velit eam acceptare: Si enim non vult eam acceptare, compellet eum Iudex Eccleſiaſticus, per Excommunicationem, vel aliam pœnam ſpiritualem, quæ eſt vltima quam poteſt inferre, & plura ſimilia, quæ *Ioannes Pariſienſis* in dicto Tractatu affirmat, ſi, inquam, prædictas aſſertiones *Papa* & *Cardinales* erroneas eſſe tunc temporis iudicaſſent, proculdubio ad eas etiam retractandas, cum prætenſæ *Summi Pontificis*, in temporalibus monarchiæ tam manifeſtè repugnent, eundem *Ioannem* coegiſſent.

26 Quod vero addit *Leſſius*, Ioannem Pariſienſem *fuiſſe Schiſmaticum*, apertiſſima calumnia eſt, atque è proprio ſuo cerebro nimis impudenter, ac religioſè abſque vllo prorſus fundamento conficta. Idem etiam Schiſmatis crimen Card. *Baronius*, & *Bellarminus Sigeberto*, monacho Gemblanenſi, viro ſanè pio ac erudito quondam habito, atque *morum probitate, & ſcientiæ multiplicitate laudabili, & ſapientibus ſui temporis grato &c.* [k] vt fidem illi detrahant, falſò, & per iniuriam, vt alibi [l] contra eos obſeruaui imponunt. *Schiſmatici propriè dicuntur*, ait S. *Thomas*, *qui propria ſponte, & intentione ſe ab vnitate Eccleſiæ ſeparant, & qui ſubeſſe renuunt Summo Pontifici, & membris Eccleſiæ ei ſubiectis communicare recuſant. Nolle enim pertinaciter obedire Summo Pontifici non eſt Schiſma*, ait *Caietanus* eo loco, *ſed nolle ſubeſſe illi vt capiti totius Eccleſiæ eſt Schiſma; ſicut non credere eſt hæreſis. Nam aduerte diligenter*, ait idem *Caietanus* ad ſecundum, *quòd recuſare præceptum, vel iudiciũ Papæ contingit tripliciter*; Primò *ex parte rei iudicatæ, ſeu*

præcepta:

[k] *Author* libri de geſtis *Abbatum G[illegible]blacenſum.*

[l] In confutat. *Tho. Fitzherberti* part. 1. ca. 6. nu. 20. & ſeq.

S. *Thom.* ſecunda ſecundæ q. 19. ar. 2.

præcepta: Secundò, *ex parte perſonæ iudicantis*. Tertio, *ex parte officij ipſius Iudicis. Si quis enim etiam pertinaciter contemnat ſententiam Papæ, quia ſcilicet non vult exequi quæ mandauit, puta abſtinere à tali bello, reſtituere talem ſtatum &c. licet grauiſsimè erret, non tamen eſt ex hoc Schiſmaticus. Contingit namque & ſæpe nolle exequi præcepta Superioris, retenta tamen recognitione ipſius in Superiorem. Si quis verò perſonam Papæ ſuſpectam rationabiliter habet, & propterea non ſolùm præſentiam eius, ſed etiam immediatum iudicium recuſat, paratus ad non ſuſpectos Iudices ab eodem ſuſcipiendos, nec ſchiſmatis, nec alterius vitij crimen incurrit. Naturale namque eſt curare nociua, & cauere à periculis. Poteſtque perſona Papæ tyrannicè gubernare, & tanto faciliùs, quantò potentior eſt, & neminem in terris timet vltorem. Cum quis autem Papæ præceptum, vel iudicium ex parte ſui officij recuſat, non recognoſcens eum vt Superiorem, quamuis hoc credat, tunc præcipuè ſchiſmaticus eſt. Et iuxta hunc ſenſum intelligenda ſunt verba literæ huius, & ſimilium. Inobedientia enim, quantumcunque pertinax, non conſtituit ſchiſma, niſi ſit rebellio ad officium Papæ, vel Eccleſiæ, ita vt renuat illi ſubeſſe, illum recognoſcere vt Superiorem &c.* Hactenus *Caietanus*.

27 Proferat igitur *Leſſius* vel vnum *Authorem*, qui aſſerat, *Ioannem* iſtum *Pariſienſem* Schiſmaticum fuiſſe, & rebellem in aliquo contra officium *Papæ*, aut Eccleſiæ, ita vt renuerit illi ſubeſſe, illumque vt Superiorem recognoſcere, aut etiam in aliquo fuiſſe *Papæ* pertinaciter in obe-

dientem, vel plurimùm erubeſcat, ſe tam egregium calumniatorem egiſſe, qui viri Catholici, Religioſi, atque etiam Doctoris celeberrimi, & in cælo, vti credibile eſt, æterna quiete fruentis famam, bonamque nominis exiſtimationem tam enormiter lacerare, & quantum in ſe eſt, eum in profundum inferni barathrum vnà cum ſchiſmaticis & hæreticis detrudere non veretur, atque pro certo intelliget, ſe ſimileſque detractores, qui nec viuis nec mortuis parcunt, ſed quoſcunque, qui eorum opinionibus tanquam oraculis non applaudunt, per ſummam vim opprimere, licet ſub colore pietatis, non pertimeſcunt, exactiſſimam in tremendo iudicij die rationem redituros, & quantacunque nunc potentia præpolleant, niſi pænitentiam egerint; & famam iniuſtè ablatam reſtituerint, potentes potenter tormenta perpeſſuros eſſe.

28 *Si tamen*, ait *Leſſius*, *illius* Pariſienſis *ſententia placet, fateantur Aduerſarij*, Summum *Pontificem* poſſe *Principem* Secularem propter crimina contra Eccleſiam excommunicare; & ſi ſit hereticus, ac contemptor Eccleſiæ cenſuræ, poſſe populo præcipere ſub pæna Excommunicationis vt non obediat: vnde fieret, vt populus eum deponeret, & Papa etiam, ſed per accidens. *Idem repetit infrà. Hoc docet in terminis iſte* Ioannes Pariſienſis, *cap.* 14. *ſui Tractatus de poteſtate Regia & Papali. Et inſinuat rurſus cap.* 16. *vbi dicit*, Papam poſſe declarare, ſi *Princeps* ſit hæreticus, eius vaſallum non teneri eum ſequi, & poſſe ſubditos liberare ab obligatione iuratoria, qua *Principi* ſunt obſtricti, modo cauſa ſit rationabilis

&

& euidens. *Quæ planè euertunt fundamenta Aduerſariorum.*

29 Sed apertè fallitur *Leſsius*, vel Lectorem fallere nimis fraudulenter contendit. Neque enim hæc vllatenus noſtræ ſententiæ fundamenta euertunt, quin potiùs ea plurimùm confirmant. Noſtra enim ſententia eſt, poteſtatem Eccleſiaſticam duplicem eſſe, vnam *directiuam* ſeu præceptiuam, & alteram *coercitiuam* ſeu punitiuam, atque Prælatos Eccleſiaſticos per poteſtatem ſuam *directiuam* habere ex *Chriſti* inſtitutione authoritatem quæcunque etiam temporalia, quę ex lege Dei aut naturę ad æternam ſalutem neceſſaria ſunt, præcipiendi, & quæ legi diuinæ, aut naturali aduerſantur, prohibendi: ſed per poteſtatem ſuam *coercitiuam* non poſſe eos, iuxta ſententiam, quæ *pleriſque Doctoribus* placet, vllam pęnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ſed pænas tantum ſpirituales ex inſtitutione diuina infligere, de rebus temporalibus diſponere, aut *Principes* temporales per ſententiam depriuationis deponere, id eſt, iure ſuo temporali priuare. Hæc eſt ſententia noſtra de poteſtate Eccleſiaſtica. De poteſtate autem ciuili, ad quæ ſe extendat & in quibus reſideat, an ſcilicet in *Principe* duntaxat, vel in aliquo caſu etiam in *Republica*, ſeu populo ſubiecto; diſſerere non eſt mihi inſtitutum, cum, vt ſępiùs diximus, ad quæſtionem hanc de poteſtate Summi *Pontificis* (quam duntaxat examinandam ſuſcepimus) pænas temporales infligendi explicandam parum, aut nihil conducat.

30 Iam in ijs quę ad ſpiritualem Summi

Pontificis pœnas temporales inſligendi, & *Principes* temporales dominijs ſuis temporalibus priuandi poteſtatem ſpectant, quantum præſenti inter me & Aduerſarios controuerſiæ ſufficit, *Ioannes Pariſienſis* meæ ſententiæ nequaquam aduerſatur. Ait enim, [m] *poſſe Papam ius diuinum declarare, cum ſit vniuerſalis informator fidei & morum, & in bonis exterioribus Laicorum non habere dominium, immo nec in illis eſſe diſpenſatorem, niſi forte in vltima Eccleſiæ neceſſitate, in qua etiam non eſt diſpenſator, ſed iuris declarator. Nam quia in caſu ſumma neceſſitatis fidei & morum omnia bona fidelium ſunt communicanda, & Calices Eccleſiarum, Papa quia eſt caput non ſolùm Clericorum, ſed generaliter omnium fidelium, vt fideles ſunt, tanquam generalis informator fidei, & morum in caſu ſummæ neceſſitati fidei, & morum habet bona fidelium diſpenſare, & exponenda decernere, prout expedit neceſſitati communi, quæ alias ſubuerteretur propter irruptionem Paganorum, aut aliud eiuſmodi, & huius Papæ ordinatio non eſt niſi Iuris declaratio. Et poſſet etiam rebelles & contradictores compellere per Cenſuram Ecclſiaſticam*, quæ ex ſententia *Pariſienſis*, vt ſupra vidimus, *eſt vltima, quam Iudex Eccleſiaſticus inferre poteſt, qui non habet homines in Deum reducere, & à peccato retrahere, niſi ſecundum viam à Deo ſibi datam, quæ eſt ſeparando à Sacramentis, & participatione fidelium.* Similiter à *Iuramento fidelitatis* poteſt *Papa* ſecundum *Pariſienſem* nonnunquam abſoluere, vt habetur 15. q.6. Alius. *ſed illud*, ait ipſe, *magis fuit declaratio Iuris, quod, ſcilicet, Iuramentum in tali caſu non ligabat, quàm abſolutio à iuramento fidelitatis.* Vide eum

[m] in eodem tract. cap. 7.

ibi cap 16. hoc latius tractantem. Quare ex ſententia *Pariſienſis*, quam fuſiùs explicat *Almainus*, [n] non poteſt *Papa Principes* hæreticos per ſententiam deponere, id eſt, aliquo ſuo Iure Regali, quod antea habebant, priuare, ſed ſolùm depoſitos, ſeu priuatos, aut per Rempublicam deponendos, ſeu priuandos eſſe declarare.

[n] de poteſt. Eccleſ. & Laica q. 2. cap. 8.

31 Atque hinc conſtat, *Ioannem Pariſienſem*, quod attinet ad quæſtionem principalem, nimirum de poteſtate Eccleſiaſtica, ne latum quidem vnquam à mea ſententia diſcedere; Ait enim poſſe *Papam* per poteſtatem Eccleſiaſticam, vt eſt *directiua*, declarare ius diuinum, & nonnunquam temporalia præcipere, atque iubere fidelibus, vt legem Dei obſeruent, & de ſuis temporalibus diſponant, & bona ſua communicent, quotieſcunque neceſſitas fidei, aut morum id poſtulauerit; ſed per poteſtatem Eccleſiaſticam, vt eſt *coercitiua*, non poſſe eos cōpellere, niſi ſeparando eos à Sacramētis & participatione fidelium, & infligendo Cenſuram Eccleſiaſticam, quæ eſt vltima, quam Iudex Eccleſiaſticus inferre poteſt.

32 In hoc tamen *Pariſienſis* à nobis diſcedit, quòd ipſe non ſolùm de poteſtate Eccleſiaſtica ſeu ſpirituali, prout in Summo *Pontifice*, atque in *Eccleſia* exiſtit, ſed de poteſtate etiam ciuili, ſeu temporali, prout in *Principe*, & in *Republica* reſidet, diſſerere gratum habeat; atque exiſtimat, poſſe *Rempublicam*, ſeu totum populum *Regem* ſuum hæreticum & incorrigibilem per ſententiam deponere, id eſt, regnandi iure ſeu poteſtate Regali priuare, & conſequenter aliquando etiam teneri; & proinde poſſe Summum *Pontificem*

cem. præcipere populo, ſeu Reipublicæ, & ſi opus eſt per Cenſuras Eccleſiaſticas compellere, vt illum deponat, atque ita *Papa* eum deponit *per accidens*, quia aliquid facit in populo, vnde ille Seculari honore priuatur, & deponitur à populo, quia nimirum per poteſtatem Eccleſiaſticam vt *directiua* eſt, declarat ius diuinum, nempe Rempub. in tali caſu eſſe abſolutam à iuramento fidelitatis, & præcipit illi, vt ſeruet ius diuinum, quo tenetur in tali caſu neceſſitatis fidei ad talem *Principem* doponendum, & per eandem poteſtatem vt *coercitiua* eſt, cenſuris tantùm Eccleſiaſticis Rempublicam compellat, vt legi diuinæ, eiuſque declarationi & directioni obediat. Atque hoc ſolum eſt, quod in cap. 14. affirmat, & ſimiliter in cap. 16. docet, poſſe *Papam* declarare, non teneri Vaſallos ſequi *Principem* hæreticum, & ſubditos talis *Principis* abſolutos eſſe à Iuramento fidelitatis, *ſed hæc eſt magis declaratio Iuris*, ait ille, *quia ſcilicet Iuramentum in tali caſu non ligat, quàm abſolutio à Iuramento fidelitatis.*

33 Veruntamen ego de poteſtate *Reipublicæ* ciuilis in *Principem* ſuum ſupremum, cum quæſtio ſit periculoſa, & populo effrenato, atque ad rebelliones præcipiti facilè ad tumultus, & ſeditiones in Republica concitandas viam muniens, neque ad controuerſiam, quæ inter me, & Aduerſarios eſt, explicandam neceſſaria, agere non intendo, ſed ſolùm an Prælatis Eccleſiaſticis pœnas temporales infligendi, & *Principes* ſupremos abdicandi poteſtas competat, diſcutere mihi eſt inſtitutum. Ex quo perſpicuum eſt, doctrinam *Ioannis Pariſienſis*, quod attinet ad poteſtatem Ec-

cleſiaſticam, fundamenta meæ ſententiæ non euertere, ſed ſtabilire. Nam ſi quis ſemel ſupponat, poſſe *Rempublicam*, & aliquando etiam teneri *Principem* ſuum hæreticum, atque incorrigibilem deponere, conſequenter etiam aſſerere tenetur, poſſe Summum *Pontificem* illi præcipere, & per Cenſuras Eccleſiaſticas compellere, vt legem Dei adimpleat, & debitum ſuum officium exequatur. Sed *Leſſius* D. *Sculckenium* imitatus Lectorum oculis, ne verum controuerſiæ ſtatum clarè diſpicere valeant, caliginem offundere ſtudens, has duas quæſtiones de poteſtate *Eccleſiæ* & *Reipublicæ* politicè, atq; etiã de poteſtate Eccleſiaſtica quatenus *directiua*, & *coercitiua* eſt reſpectu temporalium, artificioſe confundit: ſicut etiam Illuſtriſſimum *Cardinalem Peronium* eas callidè permiſcere, vt Iuramentum illud fidelitatis Chriſtianiſſimo *Francorum* Regi in publicis Comitijs propoſitum facilius impugnet, inferiùs [o] oſtendemus. Atque hæc de *Ioanne Pariſienſi* dicta ſufficiant.

[o] part. 3. ſec. vlt.

34 Nunc *quod ad Hoſtienſem attinet*, ait *Leſſius*, [p] *Ego nihil tale apud ipſum inuenio. Immo ipſe in cap.* Ad abolendam *de hæreticis non ſcripſit, vt Aduerſarius indicat, ſicut nec in alios textus.* Sed mirum non eſt, quòd *aliquando bonus dormitet* Homerus, quandoquidem *Leonardus Leſſius*, vir tam immenſæ, vt vulgò creditur, lectionis, vtpote Scriptor huius temporis celeberrimus, atque in Academia *Louanienſi* publicus per multos iam annos S. Theologiæ Profeſſor, ſcriptis tam publicis tametſi ſub alterius Doctoris nomine perſonatus, tam confidenter abſque vlteriori inquiſitione

[p] nu. 12. pag. 30.

ne affirmare auſus ſit, *Immo* Hoſtienſis *in cap. Ad* abolendam, *tit. de Hæreticis non ſcripſit, vt Aduerſarius iudicat, ſicut nec in alios textus*; cum vix aliquis liber ſit in Scholis apud *Summiſtas* præſertim, & *Canoniſtas*, eoſque Theologos, qui de temporali dominio *Chriſti* Domini, atque Summi *Pontificis* tractant, tam tritus, celebratus, atque ab ijſdem tam frequenter citatus, atque eſt *Lectura* Hoſtienſis *ſuper Decretales.* Vnde ſi *Leſſius*, vel aliquem ex Authoribus, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis tractant, vt *Trithemium, Poſſeuinum, Bellarminum*, vel aliquē ex illis *Doctoribus*, quos ipſemet paulo inferius citat, nempe vel *Panormitanum*, vel *Ioannem Andream*, vel *Silueſtrum*, vel *Couarruuiam* ijſdemmet in locis quos ipſe refert, perlegiſſet, vel aliquem Bibliopolam interrogaſſet, an *Hoſtienſis* in libros *Decretalium* ſcripſiſſet, ignorare non poterat, *Hoſtienſem* in Canonem, *Ad abolendam* de hæreticis, & in alios textus *Decretalium*, commentarios edidiſſe, adeo vt egomet ſanè tam craſſam *Leſſij*, Scriptoris alioquin celeberrimi ignorantiam, vel ſtupendam nimis negligentiam ſatis demirari, & abſque rubore recenſere vix poſſim.

35 *Verùm tantùm abeſt*, ait *Leſſius*, *vt* Hoſtienſis *ſentiat, Papam non poſſe diſponere de temporalibus abſque Principum conſenſu, vt expreſſè contrarium doceat, & tradat noſtram ſententiam. Nam lib. 5. Rubr. de Hæreticis § Qua pœna* nu. 11. *ita ſcribit*: Nota quòd Domini temporales non ſolùm propter ſuam hæreſim, ſed etiam aliorum, quod cum poſſint admoniti exterminare, negligunt, excommunicari poſſunt, & terræ ipſorum

exponi Catholicis occupandæ, cap. *Excommunicamus* §. *Si verò Dominus temporalis.* Idem ſi *Princeps* negligens inueniretur circa regimen, & iuſtitiam faciendam 17. q. 4. *Si quis deinceps, &c.* Vnde *Zacharias* Papa depoſuit *Childericum* Regem Francorum, &c. *Eandem doctrinam tradit num. 4. vbi etiam probat, Eccleſiam ratione peccati habere Iuriſdictionem puniendi in temporalibus; & vult decreto* Concilij *etiam ſupremos Principes comprehendi. Idem planè ſenſiſſe* Innocentium *oſtendit clarè ipſe* Innocentius *in* Concilio Lugdunẽſi, *cum depoſuit Imperatorem* Fredericum *Secundum, vt patet cap.* Apoſtolicæ *de ſententia, & re iudicata.*

36 Sed quænam fuerit vel *Hoſtienſis*, vel *Innocentij* ſententia de poteſtate Summi *Pontificis* in temporalibus, non magni intereſt. Scio enim eos, præſertim *Hoſtienſem* acerrimè tueri directum Summi *Pontificis* in temporalibus dominium, *quod Gloſſatores Iuris*, ait *Victoria*, *dederunt Papæ, cum ipſi eſſent pauperes rebus & doctrina*, & quod *merum commentum eſſe aſſerit in adulationem & aſſentationem Pontificum*: Sed ſufficit mihi, eos hanc quoque *Reſponſionem* inter cæteras, quam vt improbabilem non reiiciunt, recenſere; quòd nimirum *Canon* ille *Ad abolendam*, quantum ad pœnas temporales ſpectat, ex Imperatoris conſenſu obligandi vim habuerit; vt hinc ſatis perſpicuum ſit, veriſſimum eſſe quod nos reſpondimus, *Expoſitores Iuris Canonici in ea eſſe ſententia*, vt ex *Hoſtienſi atque Innocentio* conſtat, *quod Pontifices, & eadem de Concilijs ratio eſt, quędam aliquando ſtatuant, quorum ordinatio potiùs ad poteſtatem politicam, quàm*

Victoria in Relect. de poteſt. Eccleſ. non longè à principio.

ad Eccleſiaſticam ſpectat, ex expreſſo vel tacito Principum conſenſu, qui per ſeipſos, vel per ſuos Legatos præſentes adſunt, vel ex præſumpta, vel ſaltem ſperata Principum ratihabitione.

37 *Hoſtienſis* enim explicans verba illa Canonis, *Ad abolendam*, de hæreticis, *Statuimus inſuper, vt Comites, Barones, Rectores, & Conſules ciuitatum, & aliorum locorum iuxta commonitionem Epiſcoporum præſtito corporaliter iuramento promittant, quòd fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerint requiſiti, Eccleſiam contra hæreticos, & eorum complices adiuuabunt bona fide iuxta officium & poſſe ſuum. Si vero id obſeruare noluerint, honore, quem obtinent, ſpolientur* &c. Varias adhibet *Reſponſiones*, quomodo decretum iſtud valorem, ſeu robur, ac firmitatem, & vim obligandi habuerit. *Prima* eſt, *non potuiſſe Papam hoc ſtatuiſſe Laicis, niſi ratione immanitatis criminis.* *Secunda* eſt, *alios dicere quòd ideo valuit, quia Imperator* præſens fuit, *ſiue conſenſit ſecundum Dominum noſtrum*, ſcilicet *Innocentium*. Neque *Hoſtienſis* hanc Reſponſionem *ſecundam* vt improbabilem impugnat, quantumuis alia ſibi magis arrideat. Et ipſemet *Innocentius* verba illa huius canonis, *Vt Comites* &c. exponens ſimiliter reſpondet. *Nota*, inquit, *Papam poſſe ſtatuere de Laicis, ſed hoc eſt propter crimen, ſicut ſupra de Iudæis*, Ita. *Alij dicunt, ideo hoc ſtatutum valere, quia Princeps præſens fuit.* *Ioannes* etiam *Andreas* in verbum, *Comites*, ſimile prorſus reſponſum affert: *Nota*, inquit, *quòd Papa ſtatuit de Laicis, ſed hoc eſt propter crimen, ſic ſupra de* Iudæis, *Ita quorundam. Alij dicunt, ideo hæc ſtatuta valuiſſe, quia Princeps conſenſit, & præſens fuit.*

38 Ex his igitur *Hoſtienſis*, *Innocentij*, atque *Ioannes Andreæ* reſponſionibus perſpicuè conſtat, Canonem *Ad abolendam*, quantum ad pænas temporales Laicis infligendas attinet, iuxta *Canoniſtarum* ſententiam ex *Imperatoris* conſenſu ſuum valorem, ac firmitatem, ſeu totam obligandi vim & robur habuiſſe. Atque idem de ſimilibus decretis, in quibus pænæ temporales à *Pontificibus*, aut *Concilijs* infligendæ decernuntur, cum proportione debita reſpondere tenentur.

q 13.pag. 31.

39 *Addo*, ait *Leſsius*, [q] *Etiamſi ea, quæ hic adferuntur, vera eſſent, tamen nihil facerent ad propoſitum, niſi Aduerſarij dicant, Imperatores & Reges dediſſe Eccleſiæ poteſtatem & Iuriſdictionem ipſos excommunicandi, & priuandi ſuis dominijs, ſi id mererentur. Sed, ſi nemo in ſeipſum Iuriſdictionem coactiuã habet, quomodo eam poteſt dare alteri* &c. *Ex quibus apparet refutationem noſtram ſolidam aſſe.* [r]

r Pag.33.

40 Sed mirum profectò eſt, vel adeo inſcientem eſſe *Doctorem* iſtum, vt verba mea non intelligat, vel adeo fraudulentum, vt ea in contrarium planè ſenſum, quàm a me prolata ſint, detorquere velit: quaſi vero hæc *prima* mea ad præfatam obiectionem *Reſponſio*, nempe, quòd decreta Eccleſiaſtica quando pænas temporales infligunt, ex *Principum* temporalium conſenſu, ac ratihabitione obligandi vim habere, nihil faceret ad propoſitum, aut ex ea ſequeretur, *Imperatores* & *Reges* dediſſe *Eccleſiæ* poteſtatem ipſos excommunicandi, & priuandi ſuis dominijs, ſi id mererentur; cum ex prædicta mea Reſponſione hoc ſolum colligi poſſit, decretum *Lateranenſis* Concilij & ſimilia decreta quæ pænas temporales infligunt, ex *Principum* ſu-

premorum conſenſu, & non ex poteſtate ſpirituali prælatis Eccleſiæ iure diuino communicata totam ſuam obligandi vim habere, & conſequenter inferiores tantùm Dominos ex ſupremorum conſenſu, & non ipſoſmet *Principes* ſupremos nominibus *Dominorum temporalium principalium*, aut ſimilium in eiuſmodi decretis comprehendi; quandoquidem nemo in ſeipſum, vt *Leſsius* rectè aſſerit, poteſtatem coactiuam habeat, & iuxta ſententiam, quæ *pleriſque Doctoribus* placet, poteſtas Eccleſiaſtica nullam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione diuina, ſed ex conſenſu tantum, & conceſſione *Principum* infligere queat: Nam quod attinet ad pænas ſpirituales, vtputa Excommunicationem, *Principes* ſupremos nominibus generalibus *Dominorum temporalium, principalium*, & ſimilium in Eccleſiaſticis decretis nequaquam comprehendi, non ex conſenſu *Principum*, cũ talibus pænis ſubiecti ſint, ſed ex *Regulis* vtriuſque Iuris, ex priuilegijs *Pontificum*, atque ex communi *Iuriſprudentium* ſententia ſuperiùs comprobauimus. Ex quibus apparet hanc meam *Reſponſionem* ſolidiſſimã eſſe, & refutationem *Leſsij* infirmiſſimam.

SECTIO.

SECTIO VI.

In qua ſecunda Authoris *Reſponſio ad præfatam obiectionem à ſe propoſitam confirmatur, & quæ* Leſsius *in contrarium obÿcit refelluntur.*

1 P*Rimum* & *principale reſponſum*, quod prædictæ obiectioni adhibuimus, ſolidiſsimum eſſe iam comprobauimus, nunc quàm firma etiam ſit *ſecunda reſponſio*, quæ *primam* vti *principalem* ſupponit, quæque his verbis continetur, diſcutiemus.

> Aliam expoſitionem adhibet *Gloſſa* in cap. *Hadrianus*, diſt. 63. vbi Papa *præcipit eorum confiſcari bona, qui eius decretum violant*, & in cap. *Delatori* 5. q. 6. vbi ſtatuit *Delatoribus linguam capulandam, aut conuictis caput amputandum eſſe*. Reſpondet enim *Gloſſa, hîc docere Eccleſiam quid facere debeat Iudex Secularis*. Quæ eius Reſponſio ad ſimilia decreta, in quibus ſacri Canones pænas temporales infligunt accommodari poteſt. Huic etiam Reſponſioni fauent verba *Silueſtri*,[a] qui ſic ait; *Sentit* Ioannes Andreas *poſt* Hoſtienſem, *quòd Epiſcopus non poſſit imponere pænam pecuniariam Laico ſibi temporaliter non ſubiecto, ſed eam debet facere infligi per Iudicem Secularem*.

Hæc erat *ſecunda* mea *Reſponſio*, nunc quàm friuolis rationibus *Leſsius* eam refellere conetur, expendamus.

2 *Poſſem hîc Reſpondere*, ait *ille*,[b] *fictitium eſſe illum Canonem*, Adrianus, *vt fuſè à* Baronio *&* Gretzero

[a] In *Summa* verbo pæna. nu. 9.

[b] Nu. 14. p. 34. *Baron.* tom. 9. ad annum 774.

Gretzer. Ap
pro Baro

Gretzero *demonſtratum, ac proinde vanum quod illi ſuperſtruitur.*

Et ego etiam reſpondere poſſem, ſi de hac re quæſtionem inſtituere neceſſarium eſſet, neque à *Baronio*, neque à *Gretzero* demonſtratum, canonem illum, *Hadrianus*, qui iam per quingentos ferme annos in corpore *Iuris Canonici* eſt collocatus, & a nemine, quod ſcio, ante infælix hoc ſeculum in controuerſiam vocatus, fictitium eſſe. Et tametſi & Canon, *Hadrianus*, & canon etiam, *Delatori*, fictitij eſſent, attamen *Gloſſas* illorûm canonum fictitias eſſe *Leſsius* affirmare non audet, (quantumuis gloſſam *Hoſtienſis* in canonem *Ad abolendam*, fictitiam eſſe inſcitè admodum, vt ſuprà vidimus, aſſerere auſus fuerit) At ego neque canonem *Hadrianus*, neque canonem *Delatori*, ſed *Gloſſas*, ſeu *Gloſſatores* horum canonum in confirmationem meæ *Reſponſionis* produxi.

3 *Verum vt genuinus ſit canon ille*, Hadrianus, ait *Leſsius*, *Gloſſa nobis non aduerſatur, immo expreſſè ibi probat noſtram ſententiam his verbis*: Hic Eccleſia publicat bona Laicorum, & quandoque deponit Laicos à dignitatibus.

Sed neque iſta reſponſio *Gloſſatoris*, neque hæc *Leſſij* Replicatio noſtram Reſponſionem euertunt, aut infirmiorem reddunt. *Gloſſa* enim exponens canonem *Hadrianus*, in quo Papa *præcipit eorum bona publicari, qui illud decretum violant*, duas Reſponſiones ad verba iſta explicanda adhibet: *Prima* eſt, quam *Leſsius* retulit, nempe, *Hic Eccleſia publicat bona Laicorum, & quandoque deponit Laicos à dignitatibus* 32.q.5. *preceptum in fine. Altera* his verbis continetur, *Vel dic, quòd hic docet*

Eccleſia quid fieri debeat, nempe à Iudice vel Principe Seculari. *ſic* 24.*q*.3. de illicita, *&* 5. *q. vltima*, *Delatori*, vbi ita reſpondet, *Hic docet Papa quid facere debeat Iudex Secularis*, ſic 27.q.1. *Si quis rapuerit*.

4 *Inprimis* igitur reſpondere poſſumus, verba illa *Gloſſæ*, *Hic Eccleſia publicat bona Laicorum, & quandoque deponit Laicos à dignitatibus*, in eo ſenſu accipienda eſſe, in quo idem *Gloſſator* verbum, *deponere*, in can. *Alius* 15. q.6. expoſuit: nam, vt rectè ait *Nauarrus*, *generale dictum vnius Authoris debet intelligi ſecundùm quod ipſemet alibi ſpecialiùs dixit*. In eo autem canone, *Alius*, dicitur, quòd *Zacharias Papa Regem Francorum à Regno depoſuit*, id eſt, ait *Gloſſa*, *deponentibus conſenſit*. Pari modo dicere poſſumus, eundem *Gloſſatorem* hîc docere, quòd *Eccleſia publicat bona Laicorum, & quandoque deponit Laicos à dignitatibus*, id eſt, publicantibus, & deponentibus conſentit: ſeu eorum publicationem & depoſitionem approbat, & licitam eſſe declarat. Atque ita *Gloſſa* illa nobis nullo modo aduerſatur, quin potiùs expreſſè noſtram ſententiam confirmat; neque *prima* Reſponſio *Gloſſatoris ſecundæ* repugnat, quin potius *ſecunda* eſt magis clara *primæ* explicatio: nam conſentire publicantibus & deponentibus, & docere quid facere debeant, re quidem ipſa non differunt.

Nauar, Comment. in can. *Non liceat* 12.q.2.§. Tertiò nu.3.

5 *Secundò*, tametſi *Gloſſator* huius Canonis, *Hadrianus*, expreſſè dicat, *Hîc Eccleſiam*, ſeu potiùs *Summum* Pontificem, *publicare bona Laicorum, & quandoque deponere Laicos à dignitatibus*, non tamen dicit, *Eccleſiam*, ſeu *Pontificem* per ſpiritualem,

ritualem, ſeu Eccleſiaſticam poteſtatem, qua ex *Chriſti* inſtitutione fungitur, *bona Laicorum publicare, & quandoque Laicos à dignitatibus deponere*; at *Eccleſiam*, ſeu Summum *Pontificem* poſſe & ſolere ex conſenſu *Principum*, & poteſtate ciuili ſibi ex priuilegijs, & conceſſione *Principum* communicata *bona Laicorum publicare*, *& quandoque Laicos à dignitatibus deponere* nemo inficiatur. Quinimò hanc eſſe *Gloſſatoris* mentem ex canone illo, *Præceptum* 32. q. 5. quem in confirmationem ſuæ ſententiæ *Gloſſa* adducit, ſatis perſpicue colligitur; quandoquidem Canon ille, *Præceptum*, ſit decretum Concilij *Toletani* duodecimi, quod non ſolum Regis *Eringij* iuſſu conuocatum eſt, verùm & eius authoritate confirmatum, & cui decreto, ſicut & cæteris illius Concilij decretis non tantum *Epiſcopi*, ſed quindecim etiam ex viris Illuſtribus *Officij Palatini* ſubſcripſerunt, vt mirum ſit, quomodo *Leſſius* vir alioquin oculatiſſimus in re tam dilucida adeo cæcutire poſſet.

6 *Tertiò*, etiamſi concederemus, *Gloſſatorem* illius Canonis, *Hadrianus*, communem *Canoniſtarum* (qui, vt *Pius* Papa quintus dixit *Nauarro*, *ſoliti ſunt plus ſatis poteſtatis Papæ tribuere*) opinionem ſequutum in prima ſua Reſponſione, affirmaſſe, *Eccleſiam*, ſeu Summum *Pontificem* per poteſtatem ſpiritualem ſibi iure diuino debitam *bona Laicorum publicare*, *& quandoque Laicos à dignitatibus deponere*, hoc tamen nihil obſtat, quin ſecunda eius *Reſponſio*, *vel dic*, *quòd Eccleſia hic docet*, *quid fieri debeat*, ſcilicet à Iudice vel Principe Seculari, probabilis etiam ſit, cũ in ea ſequatur

Nauar. in Com. can. *Non liceat* Papæ 12. q. 2. §. 3 nu. 6.

tur contrariam ſententiam, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, nempe non poſſe poteſtatem Eccleſiaſticam vllam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ſed pænam duntaxat ſpiritualem ex inſtitutione diuina infligere, ſicut antea *Innocentius*, *Hoſtienſis*, & *Ioannes Andreas* duas contrarias Reſponſiones iuxta diuerſas *Canoniſtarum* ſententias Canoni *Lucij* Papæ, *Ad abolendam*, adhibuerunt.

7 Et propterea quocunque ſe vertat *Leſſius*, & quomodocunque hanc primam *Gloſſam* exponendam eſſe velit, nunquam tamen ſententiam noſtram, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, vt improbabilem impugnare poterit. Vniuerſi enim canones, in quibus Eccleſia de rebus temporalibus ſtatuere videtur, iuxta hanc ſententiam probabiliter exponi poſſunt, vt vel temporalia tantum *præcipiant*, & non de illis *diſponant*, pænaſque temporales *imponant*, non *infligant*, ſicut ieiunia, cæteraſque afflictiones corporales publicis pænitentibus iniungere in Eccleſia primitiua mos erat; vel tantùm doceant, & declarent quòd à Principe, vel Iudice Seculari infligi debeant, & quòd eorum inflictioni vt licitæ, aut neceſſariæ, Eccleſia conſenſum ſuum præbeat, vt Gloſſa *Ioannis Teutonici* canonem, *Adrianus*, Canonem *Delatori*, & canonem *Alius* ſuperiùs expoſuit: vel denique vt talia decreta, quæ pænas temporales infligunt, non ex poteſtate verè ſpirituali, ſed ex conſenſu *Principum*, aut ex authoritate illa ciuili, quam Prælati Eccleſiaſtici ex priuilegijs, & donatione *Principum* acceperunt, rata ſint, & totam vim obligandi habeant, vt

alij Doctores ab *Innocentio*, *Hoſtienſi*, & *Ioanne Andrea* relati canonem, *Ad abolendam* intelligendum eſſe volunt.

8 Quapropter hoc quod *Leſſius* proximè ſubiungit, *Vnde dico, illis gloſsis ſolùm ſignificari, exequutionem iſtarum pænarum* (*præſertim quæ cum ſanguinis effuſione infliguntur*, *debere fieri à Iudice Seculari, quod nemo negat:* falſiſſimum eſſe ex eo ſatis conuincitur, quod *Gloſſa* in Canonem *Delatori*, non de executione tantùm *Iuris*, ſeu *Canonis*, ſed de ipſo etiam *Iure*, & *Canone* expreſſè loquatur. *Sed qualiter*, inquit Gloſſa, *dat Papa iura de pœnis ſanguinis contra illud* 23. q.8. *His à quibus*, qui eſt canon Concilij *Toletani* 11. & ita reſpondet, *Sed hîc docet quid facere debeat Iudex Secularis*, ſic.27. q.2. *Si quis rapuerit*, qui Canon ex *Nouellis Iuſtiniani* Imperatoris deſumitur. Sentit igitur *Gloſſa*, non poſſe *Papam* non tantùm *exequi*, ſed nec *dare iura* in cauſa ſanguinis, & proinde non de exequutione tantùm, ſed etiam de legibus ferendis, & quid in ijs Iudex, aut *Princeps* Secularis facere debeat, eum loqui ſatis perſpicuum eſt. Conſtat autem *Gloſſam* illam eodem modo intelligere Canonem, *Hadrianus*, in quo bonorum publicatio per *Papam* decernitur, quo Canonem *Delatori* intellexit, cum eandem prorſus Reſponſionem ad vtrumque canonem adhibeat, atque pro meliori intelligentia Canonis, *Hadrianus*, Lectorem ad Canonem *Delatori*, vti vidimus, remittat.

9 Atque hoc etiam conſonum eſt doctrinæ eiuſdem *Gloſſatoris* in Canonem, *Alius*. 15. q. 6. vbi *Gregorius* Papa 7. refert, *Zachariam Ponti-*

ficem Childericum *Regem Francorum à regno depoſuiſſe; dicitur enim*, ait Gloſſa, *depoſuiſſe qui deponentibus conſenſit*: conſentire namque deponentibus, aut bona publicantibus, idem eſt, quod ad rem ipſam attinet, atque docere ſeu declarare, quid facere debeant illi, qui poteſtatem deponendi, aut bona publicandi habent, ſeu talem depoſitionem, aut publicationem, vt licitam vel neceſſariam ſuo conſenſu approbare.

10 Clara igitur & aperta huius *ſecundæ Gloſſæ*, in canonem *Hadrianus*, ſententia eſt, non poſſe *Papam* ex *Chriſti* inſtitutione ferre leges pænam continentes temporalem, & reos facere Laicos illius pænæ, ſed tantùm docere & declarare, quid *Principes*, & Iudices Sæculares ea in re facere debeant, & eorum leges vt iuri diuino & naturali conſentaneas ſuo conſenſu approbare, vel vt iniquas, & rectæ rationi aduerſantes improbare. Neque enim *Gloſſa* vnquam negauit, poſſe *Papam*, vt eſt *Princeps* Secularis, & ex indulgentia *Principum* temporali gaudet authoritate, pænas quaſcunque temporales infligere, tametſi fortaſſe peccet, ſi contra ſacros canones ſententiam mortis in malefactorem aliquem immediatè per ſeipſum edicat. Nihilominus non contra iuſtitiam delinquunt Prælati Eccleſiaſtici, qui, cùm *Principes* etiam temporales quandoque exiſtant, per ſeipſos immediatè, vel leges ferunt, vel iuſtitiam ſecundum leges in cauſa ſanguinis exercent, quandoquidem illud faciendi plenam & legitimam habeant Iuriſdictionem temporalem, quam ſacri Canones, quatenus à ſpirituali poteſtate procedunt, neque illis dare, neque auferre

ferre poſſunt, ſed ſolùm contra religionem peccant, quia Iuriſdictionem ſuam temporalem contra Eccleſiæ præceptum in cauſa ſanguinis immediatè per ſeipſos, & non per ſuos Miniſtros, atque Officiales exercent: Clarum enim eſt, totam authoritatem ciuilem, quam eiuſmodi Prælatorum Miniſtri, & Officiales ſiue ad leges in cauſa ſanguinis ferendas, ſiue ad exequendas habent, ab ipſiſmet Prælatis qui Domini temporales ſunt, & in quibus proinde eiuſmodi authoritas principaliter reſidet, deriuari.

11 Quod verò *Leſſius* poſtea addit, eſt ipſamet res, quæ in quæſtione verſatur. *Satis eſt* ait ille, *quòd Eccleſia poſſit ferre leges pænam continentes temporalem, & reos efficere Laicos illius pænæ, ita vt ad executionem non requiratur, niſi ſententia declaratoria criminis. Hoc enim abundè declarat eius poteſtatem in temporalibus.*

Satis quidem eſſet *Leſſio*, ſi iſtud demonſtrare poſſet, at parum illi eſt rationes qualitercunque probabiles ad rem fidei certò demonſtrandam proferre, ſed nimium profectò illi eſt rationes conuincentes producere, quibus clarè & apertè demonſtrari poſſit, vel quòd Eccleſia, ſeu Prælati Eccleſiaſtici, quâ tales, abſque *Principum* conſenſu ferre queant leges pænam continentes temporalem, & reos efficere Laicos illius pænæ, ita vt ad executionem non requiratur niſi ſententia declaratoria criminis. Hoc enim abundè declararet eius poteſtatem in temporalibus: Vel quòd *Gloſſa* in ea ſit ſententia quòd *Eccleſia* abſque *Principum* conſenſu, tales leges ferre poſſit, *& reos efficere Laicos illius pænæ, ita vt ad executionem non re-*

quiratur, niſi ſententia declaratoria criminis, cum, iuxta ſententiam *Gloſſe*, Eccleſia *non det iura in cauſa ſanguinis, nec bona Laicorum publicet, aut Laicos a dignitatibus deponat*, niſi publicantibus, & deponentibus conſentiendo, & docendo, atque declarando quid *Principes*, aut Iudices Seculares in cauſis ciuilibus fecerunt, aut facere debeant.

12 Si enim quando Iudices Eccleſiaſtici hæreticum hominem poſt ſententiam declaratoriam criminis brachio Seculari tradunt, vt à Iudicibus Secularibus pænis temporalibus caſtigetur, exiſtimat *Leſſius*, non opus eſſe authoritate & conſenſu *Principis* temporalis, ſed Iudices Seculares in iis pænis temporalibus, poſt criminis declarationem, infligendis, eſſe *Miniſtros* & *Officiales* Summi *Pontificis*, ſeu *Eccleſiæ*, & authoritate tantum Eccleſiaſtica ſeu ſpirituali fretos, & nō tanquā *Principũ* Seculariũ Miniſtros, & authoritate ciuili ab ipſis *Principibus* delegata talem hæreticum pæna temporali afficere, manifeſtè fallitur. Non etenim Iudices Seculares, ſeu brachium Seculare pænas temporales hæreticis infligunt, veluti *Miniſtri*, & *Officiales* poteſtatis Eccleſiaſticæ, quaſi à Prælatis Eccleſiaſticis quâ tales ſunt, poteſtatem eiuſmodi pænas ciuiles infligendi accipiant, ſed tanquam *Miniſtri*, & Officiales *Principum* Secularium, qui vel tales leges pænam ciuilem infligentes ſuis decretis ſanxerunt, vel ſuo conſenſu & ratihabitione eas approbarunt. *Rex enim*, vt optimè ait *Dominicus Bannes, punit hæreticos, vt hoſtes ſeditioſiſſimos contra pacem Regni, quæ ſine vnitate Religionis ſeruari non poteſt*. Et paulo inferius, *Ex quo*, inquit, *ſequitur, quod Rex Secularis poſsit aliquando condonare pœnam*

Bannes ſecunda ſecundæ q. 11. ar. 4. q. 1. in fine.

re pœnam capitis, & punire hereticos alio modo, quod vtique facere non poſſet, ſi executio tantùm ad eum tanquam ad Eccleſiæ *Miniſtrum*, & *Officialem* pertineret, ſicut neque illi, qui leges *Principum* exequuntur, pœnam lege ciuili ſtabilitam abſque *Principis* conſenſu vel condonandi, vel relaxandi poteſtatem habent.

13 *Sed eſto*, ait *Leſſius*, *ſit verum, quod ait* Gloſſa *etiam ſenſu Aduerſarij, quomodo hoc poteſt aptari propoſito? Quis enim erit Iudex, cuius authoritate ſtatuatur pœna temporalis in delinquentem, quando agitur contra Principem ſupremum non habentem Superiorem in temporalibus? De talibus enim modò eſt quæſtio: Vnde & manifeſtè falſum eſt, quod ipſi aiunt, iſtam Reſponſionem* Gloſſæ *ad quoſuis canones, in quibus pœna temporalis ſtatuitur, accommodari poſſe.*

c Nu. 15. pag. 35.

14 Sed mirum eſt, quòd tam celebris Theologiæ profeſſor tam parum intelligens ſit, aut ſaltem videri velit, vt non perſpiciat, quonam modo prædicta *Gloſſa* etiam in ſenſu à me intellecto poſſit aptari propoſito. Si enim *Gloſſa* exiſtimat, Prælatos Eccleſiaſticos quâ tales, non poſſe iura dare, & leges ferre in quibus pœnæ temporales infliguntur, ſed tantùm docere quid facere debeat *Princeps*, aut Iudex Secularis, neque Laicos a dignitatibus verè deponere, ſed tantùm deponentibus conſentire, ſeu depoſitos aut deponendos eſſe docere, & declarare, qui eſt ſenſus *Gloſſæ* à me intentus, quis vel mediocriter eruditus clariſſime non videat, *Principes* ſupremos, à quibus Iudices Seculares totam ſuam authoritatem tales leges exequendi deriuatam habent, in eiuſmodi legibus ex

ſententia *Gloſſæ* comprehendi nequaquam poſſe, ſed cum a Deo ſint ſecundi, & ſolo Deo in temporalibus minores, ab ipſo ſolo pœnis temporalibus caſtigandos eſſe.

15 *At de Principibus ſupremis*, ait *Leſſius*, *modo eſt quæſtio, quis erit eorum Iudex, cuius authoritate ſtatuatur pœna temporalis in ipſos delinquentes.* Et ego huic quæſtioni ex communi *Sanctorum* omnium *Patrum* [d] ſententia ſæpius reſpondi, *Principes* ſupremos, cum in temporalibus neminem habeant Superiorem in terris, non poſſe ſi deliquerint à quoquam mortalium pœnis temporalibus caſtigari. Nemo enim in ſeipſum poteſtatem coactiuam habet, nec *Principes* ab Eccleſia, quam in ſpiritualibus duntaxat, & non in temporalibus Superiorem recognoſcunt, temporaliter plecti poterunt, cum Prælati Eccleſiaſtici pœnas temporales infligendi authoritatem iure diuino non habeant, ſed ſolum ex ſententia *Gloſſæ* docendi quid facere debeat Iudex aut *Princeps* Secularis, neque Laicos à dignitatibus deponendi, ſed deponentibus conſentiendi, eoſque *Principum* Secularium authoritate depoſitos, aut deponendos eſſe docendi, ſiue declarandi. Itaque *Gloſſa* in ſenſu à me intellecto optimè aptatur propoſito, & plurimùm ad rem facit: Vnde & veriſſimum eſt quod diximus, iſtam Reſponſionem *Gloſſæ* ad ſimilia decreta, in quibus ſacri Canones pœnas temporales infligunt, accommodari poſſe.

16 *Nec obſtat*, ait Leſſius, [e] *quod Ioannes Andreas*, & Hoſtienſis *ſenſerint*, *Epiſcopum non poſſe imponere mulctam pecuniariam Laico ſibi temporaliter non ſubiecto. Quia hic agimus de poteſtate non*

---

[d] In illud Pſal. 50. Tibi ſoli peccaui.

[e] Nu. 15. p. 35.

ſimplicis Epiſcopi, ſed Summi Pontificis, de qua quid ſentiat Hoſtienſis, *paulo ante oſtendimus. Quid* Ioannes Andreas, *patet, quia ex primarijs Canoniſtis, & Canonum Lucerna.*

17 Agimus quidem hic primariò de poteſtati *Summi Pontificis* pænas temporales infligendi, ſed quę illi iure diuino, atque ex Chriſti inſtitutione debetur, & non de ea, quæ illi vt Princeps eſt temporalis, aut ex gratuita Principum conceſſione, aut conſenſu competit, & conſequenter etiam agimus de poteſtate ſimplicis *Epiſcopi* tales pænas infligendi, atque contendimus, non poſſe *Summum Pontificem* iure diuino pænas temporales infligere, ſi *Epiſcopi* eodem etiam iure pænas tẽporales infligere nõ queant. Et ratio eſt, quia *id quod eſt Papa in Eccleſia vniuerſali, eſt quilibet Epiſcopus in particulari*, quod eſt principium Card. *Bellarmini*, ex quo ipſe contra *Canoniſtas* probare contendit, ſingulos Epiſcopos eſſe *Principes* temporales in oppidis ſuo Epiſcopatui ſubiectis, quod tamen ipſe apertè falſum eſſe dicit, ſi *Papa* eſſet ſupremus totius Orbis Chriſtiani in temporalibus Dominus: Ex quo etiam principio *Martinus Ledeſmius* concludit, poſſe *Epiſcopum* in ſua prouincia committere ſemplici Sacerdoti, quòd conferat Sacramentũ Confirmationis ſtando in iure diuino, niſi *Papa* prohiberet, *quia*, inquit, *habet tantam poteſtatem in ſua Prouincia, ſicut Papa in toto Orbe.*

Bellar. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 3.

Ledeſm. prim quarti q. 13. ar. 11. dub. vnico.

18 Atque ex hoc eodem principio probabiliter concludi poteſt, eos etiam qui ſentiunt, *Epiſcopum* non poſſe in ſua diocęſi imponere pænam pecuniariam Laico ſibi temporaliter non ſubiecto, ſed eam debere facere infligi per Iudicem Se-

cularem, ſicut ſentire *Ioannem Andream*, & *Hoſtienſem* ait *Silueſter*, conſequenter etiam dicere debere, niſi præfatum principium negare velint, neque *Papam* poſſe in toto orbe imponere, ſeu infligere pænam pecuniariam Laico ſibi temporaliter non ſubiecto, ſed eam debet facere infligi per Iudicem, vel *Principem* Secularem; nomine enim Iudicis Secularis in materia fauorabili venire *Principem*, ſeu Iudicem ſupremum, nullum inconueniens eſt, vt antea diximus. Vtrum autem prædicti Authores ex propria, an ex aliorum ſententia præfatam ſolutionem attulerint, non multum refert: Sufficit mihi *Silueſtrum* aſſerere, quòd ipſi ita ſentiant: & propterea de induſtria dixi, *verba* Silueſtri *noſtræ Reſponſioni fauere*, ſiue ipſemet illi faueat ſiue non.

19 Et tametſi tum *Hoſtienſis*, tum fortaſſe *Ioannes Andreas* probabiliorem exiſtiment eorum ſententiam, qui dicunt, poſſe *Papam* Laicos ratione peccati à dignitatibus deponere, atque ita exponant Canonem, *Ad abolendam*, fatentur tamen, vt ſuprà oſtendimus, alios Doctores dicere, decretum *illud ideo valuiſſe*, ſeu vim obligandi habuiſſe, *quia Imperator præſens fuit, & conſenſit*: quod noſtro inſtituto ſatis eſt. Nunc enim ſolùm contendimus, probabilem eſſe ſententiam, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, eamque abſque vlla hæreſeôs, erroris, temeritatis, alteriuſue criminis nota à quouis Catholico ſuſtentari poſſe, nempe, poteſtatem Eccleſiaſticam iure diuinò nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. infligere poſſe, ſed hoc tantum Prælatos Eccleſiaſticos ſua doctrina, cõſilio, præceptis,

atque etiam Cenſuris Eccleſiaſticis efficere poſſe, vt talis pœna ciuilis, quotieſcunque Eccleſiæ neceſſitas poſtulauerit, per Iudicem vel Principem Secularem infligi queat.

20 *Addo*, ait *Leſſius*, [f] *Illud quod de* Epiſcopo *dicunt, ſolum intelligendum eſt, quando alia pœna criminis iure eſt conſtituta. Tunc enim non poteſt Epiſcopus, nec Archidiaconus imponere mulctam pecuniariam, quia non poteſt mutare legem Superioris. Secus quando nulla pœna iure eſt ſtatuta, aut cum ipſe poteſt in ea diſpenſare, vt docet* Gloſſa *& communiter Doctores in cap.* Licet, *extra, de pœnis. Vide ibidem* Panormitanum. *Alioquin ſi generaliter intelligatur, conſtat falſum eſſe & erroneum.*

21 Fateor equidē, doctrinā à *Leſſio* hîc traditā eſſe poſterioris *Gloſſæ* in cap. *Licet*, de pœnis, ſi de *Archidiacono*, aut *Iudice Eccleſiaſtico* ſermo ſit, de quibus *Gloſſa* ſolùm loquitur (nam de *Epiſcopo* ne verbum quidem, niſi nomine *Archidiaconi*, aut *Iudicis Eccleſiaſtici* in materia odioſa *Epiſcopum* comprehendere velimus) Sed quod *Hoſtienſis*, & *Ioannes Andreas* ex mente *Siluestri* ita ſentiant, penitus inficiamur, tametſi eorum ſententia ex mente *Siluestri Panormitano* non placeat; *Sed hoc* ait *Silueſter*, *non placet Panormitano.* Quin etiam prior *Gloſſa* noſtræ Reſponſioni ſatis fauet; quæ exponens verbum illud canonis, *à Laicis*, quærit: *ſed quare à Laicis?* & reſpondet, *quia fortè ſunt de ſua Iuriſdictione temporali, vel de conſuetudine hoc habent*, atque idem etiam *Hoſtienſis* in cap. illud, *licet*, de pœnis exponens idem verbum *à Laicis*, inſinuat, *quia fortè*, inquit, *de ſua iuriſ-*

[f] nu. 16. pag. 36.

iuriſdictione temporali erant ſecundum quoſdam, ſed conſuetum eſt *Leſſio* diuerſas *Gloſſas*, & *Gloſſatorum* ſententias confundere.

22 Quid autem communiter Doctores, aut *Panormitanus* in cap. *Licet* de pœnis, ſentiant, (quos, ſi *Leſſius*, qui Lectorem ad eos remittit, ibidem perlegiſſet, non adeo inſcitè pronunciaſſet, Hoſtienſem, in cap. *Ad abolendam, neque in alios textus ſcripſiſſe*) non eſt ad propoſitum, cum *Almainus, Ioannes Pariſienſis*, & *plerique Doctores* communiter etiam contrarium teneant; neque enim repugnat duas planè contrarias eſſe de eadem re ſententias communes, tametſi vna altera communior eſſe queat. Et propterea, quod *Leſſius* in fine ſubiunxit, *Alioquin ſi generaliter intelligatur, conſtat falſum eſſe & erroneum*, falſiſſimum eſt, & non abſque magna temeritate prolatum; cum *plerique Doctores* optimis rationibus nixi (quos proinde manifeſtæ falſitatis & erroris arguere, ſumma temeritas eſt,) exiſtiment, *poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere, immo nec incarcerare* quenquam poſſe, *ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extendi, vtputa Excommunicationem, reliquas autem pœnas*, ſcilicet temporales, *quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo, ſeu conceſſione Principum eſſe.*

g pag. 36.

23 Sed ecce quàm inſcitè *Leſſius* probet,g doctrinam hanc, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, eſſe *manifeſtè falſam & erroneam. Repugnat enim*, ait ille, *communi Theologorum ſententiæ.* Pulchrum ſanè argumentum, & Doctore tam celebri dignum *ſcilicet.* Repugnat communi Theologo-

rum ſententiæ, igitur conſtat falſum eſſe & erroneum. Quaſi verò communis Theologorum ſententia, quando alij contrà pugnant viri docti, ſatis ſit ex *Leſsij* mente ad illam doctrinam, vt manifeſtè veram, aut de fide certam, & contrariam, quæ *pleriſque Doctoribus* placet, vt manifeſtè falſam, aut in fide erroneam conuincendam.

24 *Sed repugnat etiam*, ait *Leſſius*, *praxi tribunalium Eccleſiaſticorum per totum Orbem recepta.* Hoc quidem ait *Leſſius*, ſed non probat, neque ex praxi tribunalium Eccleſiaſticorum per totum orbem recepta probare poteſt, poſſe *Epiſcopos*, & multo minus alios inferiores Eccleſiaſticos Iudices per poteſtatem, quam iure diuino habent, vllam pænam ciuilem infligere; de hac enim poteſtate Eccleſiaſtica duntaxat, quæ ex iure diuino originem ducit, iam quæſtio eſt: Neque enim dubitamus, quin ex praxi tribunalium Eccleſiaſticorum per totum orbem recepta ſatis probari queat, *Epiſcopos*, & eorum Miniſtros ex priuilegijs, & indulgentia *Principum* pænas ciuiles infligere ſolitos eſſe.

25 *Sed & repugnat*, ait Leſſius, [h] *ipſi Concilio* Tridentino, *quod ſeſſ. 25. cap. 3. de Reformat. inter cætera ita ſtatuit*: In cauſis Iudicialibus mandatur omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis, cuiuſcunque dignitatis exiſtant, vt quandocunque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte Iudicij propria authoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quàm in definiendo à Cenſuris Eccleſiaſticis ſeu Interdicto. *Hic apertè*

[h] pag. 36.

Concilium ſupponit, Iudices Eccleſiaſticos propria authoritate poſſe quaſdam pænas temporales non ſolum ſtatuere, ſed etiam exequi in res & perſonas Laicorum. Idem clarius verbis ſequentibus. Sed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſuis etiam Laicos per mulctas pecuniarias (quæ pijs locis ibi exiſtentibus eo ipſo quo exactæ fuerint, aſſignentur) ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem per ſuos proprios, aut alienos exequutores faciendam, aliaque Iuris remedia procedere, & cauſas definire. *Eandem ſententiam refutat* Panormitanus *in cap.* Licet, *de pænis.*

26 Veruntamen prędicta Concilij *Tridentini* verba noſtræ ſententiæ nullatenus aduerſantur. Neque enim inficiamur, poſſe Epiſcopos alioſque Eccleſiaſticos Iudices quandoque *propria* authoritate pænas temporales infligere, ſicut etiam *propria* bona temporalia habere dicuntur: Attamen ſicut bona illa temporalia quę poſſident, non iure diuino, ſed ex gratuita aliorum donatione, atque *Principum* conſenſu illis competunt, & nihilominus *propria* ipſorum bona, id eſt, ſua, immo Eccleſiaſtica & ſpiritualia bona, poſtquam illis donata fuerint, dici poſſunt: ita etiam authoritatem temporalem, ſeu poteſtatem pænas temporales infligendi, quam ex conceſſione *Principum* acceperunt, *propriam* ipſorum authoritatem, id eſt, ſuam, immo Eccleſiaſticam & ſpiritualem authoritatem rectè dici poſſe cum *Ioanne Gerſonio* affirmamus. Attende enim quid ſcrip-

Gerſon de poteſt. Eccleſ. conſiderat. 4.

ſcripſerit *Gerſon* : *Et ſunt*, inquit, *qui dicunt, pænam hanc*, ſcilicet coercitionem pænalis Excommunicationis, *Eſſe vltimam quam infligere poſsit Eccleſiaſtica poteſtas Iuriſdictionis ex inſtitutione Chriſti ſola primaria, ſic quòd non extendatur ad incarcerationem, nec vt aliquis adiudicetur morti, vel flagello corporali, ſed facit hoc Eccleſiaſticus, dum facit ex conceſſione Principum quemadmodum multam ob eorum deuotionem Iuriſdictionis temporalis authoritatem Clerus accepit, quæ nihilominus Iuriſdictio, vel Cenſura dicitur ſpiritualis, ſicut & Eccleſiaſticorum bona temporalia propter dedicationem & applicationem ad eos, qui miniſtrant Eccleſiæ, ſicut panes propoſitionis, primitiæ, & decimæ, vaſa inſuper templi, veſtes & ſimilia dicebantur in lege veteri ſacra, vel ſancta, ſic & noua lex hoc retinet.*

27 In hoc igitur ſenſu verba illa [*propria authoritate*] quibus Concilium *Tridentinum* loco citato vtitur, intelligenda eſſe dicimus; neque aliam eſſe Concilij mentem ex toto illius capitis diſcurſu, fine, & ſcopo colligi poteſt. Nam præcipuus illius decreti finis eſt, vt Excommunicationis gladius, qui eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ neruus, & pæna quacunque temporali atrocior, ſobriè, & cum magna circumſpectione exerceatur, cum experientia doceat, ſi temerè aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm ſalutem: Et proinde mandatur omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis, vt quandocunque in cauſis iudicialibus *propria ſua authoritate* (ſiue ex expreſſo ſiue tacito *Principum* conſenſu hanc autho-

ritatem ſibi comparauerint) pænas ciuiles imponere, atque vel per ſuos *proprios*, aut alienos Exequutores, vel in perſonis, vel bonis delinquentium infligere poſſunt, abſtineant ſe tam in procedendo, quàm in definiendo à Cenſuris Eccleſiaſticis ſeu interdicto. Quem etiam ſenſum à nobis explicatum illa Concilij verba [*vt quandocunque propria authoritate &c.*] ſatis indicant: ſignificant enim non ſemper in cauſis Iudicialibus executionem realem vel perſonalem à Iudicibus Eccleſiaſticis, cuiuſcunque dignitatis extiterint, *propria ſua* authoritate fieri poſſe, propterea quòd Principes Seculares ex quorum conceſſione Iuriſdictionem ſuam temporalem Clerus accepit, non omnimodam atque illimitatam, ſed determinatam tantùm authoritatem ciuilem, pænaſque ciuiles infligendi poteſtatem Prælatis Eccleſiaſticis conceſſerunt. Vide etiam de hoc Concilij *Tridentini* decreto plura inferius part. 3, ſec. 6. nu. 11. & ſeq.

28 Neque *Panormitanus* in illud cap. *Licet* de pænis affirmat, *Epiſcopum* poſſe pænam pecuniariam imponere Laico ſibi temporaliter non ſubiecto ex authoritate, quæ illi iure diuino competit, de qua ſola nunc diſputamus, tametſi parum referat, quid de hac re ſentiat vel *Panormitanus*, vel alij *Canoniſtæ*, qui *plus ſatis authoritatis*, teſte *Pio* 5. Papæ *tribuunt*, & directum Prælatorum Eccleſiaſticorum in temporalibus dominium rationibus infirmiſſimis freti nimis vehementer propugnant.

SECTIO VII.

In qua alia Authoris *Reſponſio confirmatur, & quæ* Leſsius *contra eam producit refelluntur.*

1 POſtquam teſtimonium *Gloſſæ* in can. *Hadrianus*, & *Delatori*, ad præfatam obiectionem à me propoſitam diſſoluendam produxeram, aliam *Reſponſionem*, quam *Leſsius tertiam* appellat, quæ tamen potius prioris confirmatio eſt, his verbis adiunxi[a]. His adde, quotieſcunque *Summus Pontifex* generali conſtitutione aliquid temporale ſtatuit, quod iuri alterius ſibi in temporalibus non ſubiecti præiudicat, ad ſola Romanæ Eccleſiæ territoria, ſeu B. *Petri* patrimonium, *in quo*, vt ait Papa *Innocentius*,[b] *& ſummi Pontificis authoritatem exercet, & Summi Principis exequitur poteſtatem*, conſtitutionem illam extendi, niſi contrarium exprimatur, quidam non improbabiliter exiſtimant. Quibus fauere videtur *Gloſſa* in dictum cap. *Per venerabilem*, vbi affirmat, quòd *Dominus Papa non poſſit legitimare aliquem, quantum ad hoc, vt ſuccedat in hæreditate paterna tanquam legitimus hæres, qui non ſit de ſua Iuriſdictione temporali, ſic enim eſſet mittere falcem in meſſem alienam, & vſurpare alienam Iuriſdictionem, & priuare aliquem iure ſuccedendi, quod non debet*, & propterea *quoad forum ſeculare non poteſt legitimare, niſi Princeps ei permiſerit.* Si autem *Pontifex* nequeat ex non legitimo facere legitimum, aut priuare aliquem iure ſuccedendi,

---

[a] Nu.49.

[b] In cap. *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi.

“ di, non video quonam iure ex hęrede, & *Principe*
“ legitimo illegitimum efficere, aut aliquem
“ hæreditate, quam legitimè poſſidet, priuare
“ queat.

2 Iam aduerſus hanc Reſponſionem *Leſſius* ita inſurgit[c]. *Sed neque hæc Reſponſio applicari poteſt propoſito, niſi dicamus decretum* Concilij *loqui de ſolis poteſtatibus Secularibus in ditione Pontificis conſtitutis, quod eſt ridiculum, & apertè contra mentem, & verba* Concilij. *Cur enim restringeret ad anguſtias ditionis* Pontificiæ, *quod in alijs & remotioribus erat magis neceſſarium? Quid opus ibi Synodo Epiſcoporum? Quid opus exponere terram alijs occupandam, cum ipſe* Pontifex *ſuam ſibi malit vindicare? Itaque nihil iſta ad rem faciunt, cum contrarium ex verbis decreti liqueat.*

3 Sed *inprimis*, nunquam mihi animus erat hanc reſponſionem decreto *Lateranenſis* Concilij applicare, ſed alijs tantùm *Summorum* Pontificum decretis, vt Canoni *Nos ſanctorum*, *Abſolutos*, *Ad abolendam*, *Vergentis*, *Hadrianus*, *Delatori*, & ſimilibus, quæ pro poteſtate P*apali* bona Laicorum confiſcandi, eoſque à dignitatibus deponendi, pœnas temporales infligendi, & ſubditos à fidelitate abſoluendi communiter vrgeri ſolent; Ad *Lateranenſe* Concilium ſatis antea reſponderam, nempe *inferiores* tantùm *Dominos* ex *ſupremorum* conſenſu, & non ipſoſmet *Principes ſupremos* in eo decreto, quod ad pœnas temporales attinet, comprehendi.

4 *Deinde*, neque argumenta, quæ *Leſsius* adducit, adeo clarè demonſtrant, vt ipſe imaginatur, ridiculum eſſe, & apertè contra mentem & verba

[c] Nu.18. pag.38.

verba *Concilij* dicere, decretum illud de ſolis *Poteſtatibus Secularibus* in ditione *Pontificis* conſtitutis intelligendum eſſe, ſi ſemel ſupponamus, vti *Leſsius* ſupponit, decretum illud non ex *ſupremorum Principum* conſenſu, ſed ex ſola *Summi Pontificis* authoritate totum ſuum robur, & obligandi vim habere.

5 *Cur enim*, ait Leſsius, *reſtringeret ad anguſtias ditionis* Pontificia, *quod in alijs, & remotioribus erat magis neceſſarium?* Reſpondeo: Ideo neceſſe erat decretum illud ad anguſtias ditionis *Pontificia* reſtringere, niſi *Principum ſupremorum* authoritas ad illud condendum interuenerit, quia leges omnes iuxta poteſtatem *Principis*, qui eas condit, neceſſariò extendendæ, vel reſtringendæ ſunt, & *Summus Pontifex* nullam legem purè ciuilem, & quæ merè temporalia ſtatuat, ſancire poteſt, niſi in terris ſibi temporaliter ſubiectis, in quibus *non ſolùm Summi Pontificis authoritatem exercet, ſed Summi etiam Principis exequitur poteſtatem*: Cum igitur probabile admodum ſit, poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pęnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione diuina infligere poſſe, immo nec incarcerare, vt *pleriſque Doctoribus placet*, vnde conſequitur inflictionem pænæ temporalis eſſe rem merè ciuilem, ſeu purè temporalem (nomine enim purè ciuilis illud nunc intelligo, quod tantùm per poteſtatem ciuilem, & non per Eccleſiaſticam, fieri poteſt) hinc fit, vt non magis ridiculum ſit dicere, decretum *Lateranenſis* Concilij, in quantum pęnas temporales infligit, ad anguſtias ditionis *Pontificia*, niſi aliorum *Principum* Secula-

rium authoritate firmetur, reſtringendum eſſe, quam ſit ridiculum cum *pleriſque Doctoribus* aſſerere, poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pænam ciuilem ex inſtitutione diuina, ſed ſolùm ex *Principum* conceſſione, aut conſenſu infligere poſſe.

6 Duo ſiquidem decreta de hæreticis exterminandis in *Lateranenſi* Cōcilio diſtingui poſſūt: *Vnum* ſpirituale & merè Eccleſiaſticum, vt poteà poteſtate mere Eccleſiaſtica procedens, in quo pæna Excommunicationis aduerſus Dominos temporales decernitur, qui requiſiti & moniti ab Eccleſia terras ſuas ab hęretica fęditate purgare neglexerint, & hoc decretum, cum pænas tantùm ſpirituales infligat, & proinde merè ſpirituale ſit, ad quaſcunque prouincias abſque ſupremorum *Principum* conſenſu extendi poſſe nequaquam inficiamur; *alterum* eſt, in quo pænæ ciuiles aduerſus eiuſmodi Dominos infligendæ decernuntur, & hoc decretum, cum merè ciuile ſit, neque à poteſtate Eccleſiaſtica, quâ talis, ferri poſſit, vt *pleriſque Doctoribus placet*, ad ſola Eccleſiæ territoria reſtringendum, & non ad cæteras Chriſtiani Orbis Prouincias extendendum eſſe adeo manifeſtum eſt, vt contrarium aſſerere, pręfata poſita hypotheſi quæ *pleriſque Doctoribus placet*, planè ridiculum eſſe affirmare non dubitemus.

7 *Secundò*, ait *Leſſius, quid opus ibi Synodo Epiſcoporum?* Reſpondeo. Non erat quidem ibi opus Synodo Epiſcoporum, vt *Pontifex* Poteſtatibus, aut Dominis temporalibus illi temporaliter ſubiectis pænas temporales infligendas decerneret, neque ad talem legem ferendam Synodum congregare

gregare neceſſarium erat, ſed cum Synodus Epiſcoporum iam ob alias cauſas congregata eſſet, nullum erat incommodum, necdum ridiculum, quòd *Summus Pontifex*, vt populo ſibi temporaliter ſubiecto pleniùs ſatisfaceret, legem illam tam graues pœnas temporales continentem, cum conſilio & conſenſu Prælatorum, qui tunc aderant, ſanciendam & promulgandam curaret: Sicut etiam non eſt opus Collegio Cardinalium, vt *Pontifex* ſimile decretum contra quoſcunque Dominos ſibi temporaliter ſubiectos condat, non tamen eſt inconueniens, quòd, cum Cardinales alias ob cauſas iam congregati ſint, decretum illud in pleno Conſiſtorio cum conſilio & conſenſu omnium Cardinalium ſanciatur.

8 Tertiò, *quid opus*, ait *Leſſius*, *exponere terram alijs occupandam, cum ipſe Pontifex ſuam ſibi malit vindicare?* Reſpondeo. Et quid opus erat *Imperatori*, qui idem planè decreuit, exponere terram alijs occupandam, cum ipſe *Imperator* ſuam ſibi malit vindicare? Adeo vt quàm ridicula ſit hæc ratio, ipſemet *Leſſius* ex *Imperatoris* Edicto clarè perſpicere queat. Itaque prædicta noſtra Reſponſio multùm ad rem faceret, tametſi illam *Lateranenſis* Concilij decreto applicaremus, neque ex verbis decreti impugnari poſſet, dummodo ſupponamus, quod *pleriſque Doctoribus placet*, poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pœnam ciuilem ex diuina inſtitutione, ſed ex ſola *Principum* conceſſione atque conſenſu infligere poſſe, atque præfatum *Concilij* decretum (quod ad pœnas temporales attinet) ex ſola *Summi Pontificis*, aut

Eccleſiæ, & non Secularium *Principum* authoritate ratum & validum eſſe.

9 Ad Confirmationem ex *Gloſſa Leſſius* ita reſpondet. *Admitto Gloſſam, quia tantùm vult dicere, Papam ordinariè non poſſe extra limites ditionis ſuæ temporalis ad temporalia legitimare, ſicut poteſt ad ſpiritualia, quæ eſt communior ſententia Doctorum. Et ſatis apertè colligitur ex cap.* Per venerabilem, *Qui filij ſint ligitimi. Hinc tamen non ſequitur, quin poſſit in certo caſu, quando Eccleſiæ neceſſitas id poſtularet: Vt ſi alioquin Regnum deuolueretur ad hoſtes Eccleſiæ, vt paſſim Doctores ibidem tradunt: Et* Couar. *in 4. decretal.* 2. *p.* §. 8. *nu.* 16. Molina *tom.* 1. *de Iuſtitia diſp.* 137. *Et inſinuat* Innocentius *tertius dicto cap.* Per venerab. *cum ait*, Rationibus inducti, Regi gratiam fecimus requiſiti; cauſam tam ex veteri, quàm ex nouo Teſtamento trahentes, quòd non ſolùm in Eccleſię patrimonio (ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem) verùm etiam in alijs regionibus, certis cauſis inſpectis temporalem Iuriſdictionem caſualiter exercemus. Non quòd alieno iuri præiudicare velimus, ſed quia, ſicut in *Deuteronomio* continetur &c. *Vbi probat hanc poteſtatem ex veteri & nouo Teſtamento. Ex quibus patet ſolutio argumenti Aduerſarij: Sicut enim Papa abſque neceſsitate Eccleſiæ ex illegitima prole non poteſt facere legitimam ad temporalia, ita nec ex legitimo Principe illegitimum. Quando verò neceſsitas, & merita cauſa id poſtulauerint, vtrumque poteſt.*

d Nu. 19. pag. 39.

10 Sed quòd *Gloſſa* illud dicere voluerit, cuius contrarium verbis expreſſis aſſerit, dicit

Leſſius, ſed nullatenus probat, & proinde dictum eius, ſicut gratis & abſque ratione aſſeritur, ita meritò, cum textum ipſius *Gloſſæ* corrumpat, reijcitur. *Gloſſa* enim apertè dicit, *non poſſe Papam legitimare aliquem quoad forum ſeculare, & quantum ad hoc, vt ſuccedat in hæreditate paterna, qui non ſit de ſua Iuriſdictione temporali, niſi Princeps ei permiſerit*, id eſt, niſi in caſu quo *Princeps* id ei permittet, *Hoc enim eſſet mittere falcem in meſſem alienam, & vſurpare alienam Iuriſdictionem quod non debet*, & *Leſſius* ait, hoc *Gloſſam* velle dicere, quòd *Papa poſſit aliquem legitimare quoad forum Seculare qui non eſt de ſua Iuriſdictione temporali, etiam in caſu quo Princeps id ei non permittet*, quæ eſt manifeſta verborum *Gloſſæ* corruptio; qualis interpretatio, ſeu potius textus euerſio abſque ratione admitti non debet, & eo magis, quòd alij etiam *Gloſſatores* prædictam *Gloſſæ* ſententiam amplectantur, vt conſtat ex *Hoſtienſi*, qui exponens hunc Canonem *Per venerabilem* (tametſi *Leſſius* imperitè admodum dicat, *Hoſtienſem* neque in Canonem *Ad abolendam* ſcripſiſſe, neque in alios textus) ita ſcribat: *Sed & in ceteris mundi partibus inter Chriſtianos vbique in certis cauſis hanc poteſtatem legitimandi quoad temporalia Papa habet, quicquid gloſaſſent Magiſtri contrarium aſſerentes & definientes, ſed ſalua pace ipſorum huic dicto ſuo non adhæremus &c.* Et proinde inconcuſſum manet argumentum, quod ex horum *Gloſſatorum* & *Magiſtrorum* (de quibus *Hoſtienſis* honorificè & cum reuerentia loquitur, *ſalua*, inquit, *pace ipſorum*) doctrina confecimus, nempe ſi *Pontifex* ex horum ſententia nequit ex non legitimo facere legitimum, aut priuare aliquem ſibi temporaliter non ſubditum iure ſuccedendi, *niſi in caſu quo Princeps id permiſerit*, conſequenter etiam, neque ex hærede aut *Principe* legitimo illegitimum efficere, neque aliquem ſibi temporaliter non ſubditum hæreditate, quam legitime poſſidet, priuare etiam poteſt.

11 Neque ad rem facit, quòd *communior Doctorum ſententia* vt *Cauarruuias*, *Molina*, & *paſsim Doctores tradant*, poſſe *Papam* in certo caſu, vt ſi alioquin Regnum deuolueretur ad hoſtes Eccleſię, extra limites ſuæ ditionis temporalis legitimare ad temporalia, ſicut poteſt ad ſpiritualia; Iam enim non quæritur, an Doctores paſſim, communiter, aut etiam communiſſimè id doceant, ſed ſolum an Magiſtri & Expoſitores Iuris Canonici contrariam ſentētiam amplectantur, nempe quòd *Papa* non poſſit aliquem, qui non ſit de ſua Iuriſdictione temporali, ad temporalia legitimare, niſi in caſu quo *Princeps* id permiſerit, quique ideo nulla hæreſeôs, erroris, aut temeritatis nota meritò aſpergi debent; quod adeo manifeſtum eſſe ex *Gloſſa* & *Hoſtienſi* iam oſtendimus, vt nemo qui ſe *Doctorem* profitetur, abſque ſumma impudentia id inficiari queat.

12 Et tametſi *Innocentius* tertius in dicto capite per *Venerabilem*, *contrariam ſententiam*, vt ait *Leſsius*, *inſinuare videatur*, *quando ait*, *verùm etiam in alijs regionibus*, *certis cauſis inſpectis temporalem Iuriſdictionem caſualiter exercemus*; hæc tamen verba optimè in eo ſenſu quo *Gloſſa* expoſuit, intelligi poſſunt, vt ſcilicet *Papa* etiam in alijs regi-

onibus certis cauſis inſpectis temporalem Iuriſdictionem *caſualiter*, id eſt, in caſu, quo *Princeps* id permiſerit, exerceat. Neque certè in alio ſenſu, iuxta Aduerſariorum doctrinam, qui totam authoritatem ſeu Iuriſdictionem, quam *Pontifici* iure diuino concedunt, ſpiritualem non temporalem eſſe contendunt, verba illa commodè exponi poſſunt, cum ipſi fateantur, *Summum Pontificem*, etiamſi in Eccleſiæ quidem patrimonio & temporalem & ſpiritualem poteſtatem ſeu Iuriſdictionem exerceat, in alijs tamen regionibus temporalem Iuriſdictionem non niſi *caſualiter*, id eſt, in caſu quo *Principes* id permittent, exercere poſſe. Sed Aduerſarij, & præſertim Cardi. *Bellarminus*, vt alias monuimus, in hac re non ſatis ſibi conſtant, dum doctrinæ *Canoniſtarum* de directo *Summi Pontificis* in temporalibus dominio fundamenta iaciunt, & nihilominus eorum doctrinam vehementer impugnare prætendunt; Aſſerunt enim aliquando, *Eccleſiam*, cuius caput eſt Summus Pontifex, *ex poteſtate temporali & ſpirituali conflatam eſſe, & Rempublicam politicam, & Eccleſiaſticam vnam totalem Rempublicam, quæ eſt Eccleſia*, cuius caput eſt Summus Pontifex, *conſtituere.* Et nihilominus alibi affirmant, *Summum Pontificem ex inſtitutione* Chriſti *nullam habere propriè temporalem poteſtatem, neque Eccleſiam ex temporali poteſtate, quæ formaliter temporalis eſt, ſed ex ſola ſpirituali poteſtate conſtitui.*

Bell. lib. 5. de Rom Pont. cap 7. et in Tract. contra *Barcl.* cap. 13. et in *Schulck.* pag. 195. 199. Idem *Bell.* in Tract. contra *Barcl.* cap. 12. pag. 137. & in *Schulcken.* pag. 203.

13 Neque *Innocentius* tertius ex veteri aut nouo *Teſtamento* aliud probat, quàm non repugnare ſtatui Sacerdotum, quòd ſpiritualem Iuriſ-

dictionem ex *Chriſti* inſtitutione, & temporalem ex *Principum* ac populi conceſſione exerceant, adeo vt Dominatio temporalis & ſpiritualis in eadem perſona ſimul aliquando reſideant. *Primò* enim affert textum illum *Deuteron.* 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris &c.* Sed *Gloſſa* ibidem illum textum ita intelligit, *vt in cauſis ſpiritualibus recurrendum ſit ad Sacerdotes, in temporalibus ad Iudices vel Principes Seculares, & in mixtis quæ non poſſunt determinari ab vno ſine alio ad vtroſque, vt in ædificatione templi, quæ non poterat fieri ſine poteſtate Regia, nec diſponi abſque Sacerdotali ordinatione*: Et in comburendis hęreticis ſimile iam in nouo *Teſtamento* contingit: Spectat enim ad Prælatos Eccleſiaſticos declarare quid ſit hæreſis, & quinam ſint hæretici, & ad *Principes* ſeculares petinet eos morti adiudicare, pæniſque temporalibus coërcere.

14 *Deinde* vrget verba illa Matth. 18. *Quodcunque ligaueris ſuper terram &c.* Sed hunc locum antiqui Patres, & Doctores paſſim, vt alibi [e] explicauimus, interpretantur de ligatione, & ſolutione ſpirituali non temporali, de poteſtate peccatorum non debitorum vincula relaxandi, atque ſpiritualem anathematis mucronem, non gladium materialem aduerſus delinquentes exerendi.

Poſtremò, illud 1. Cor. 6. producit, *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia?* Sed hunc locum, quem alibi [f] ſicut & priora fuſe examinauimus, de *Arbitris*, & qui ex conſenſu partium litigantium Iudices eliguntur, intelligendum eſſe Doctores cõmuniter tradunt. [g] Adeo vt verba illa hoc tantum oſtendant, Chriſtianos

etiam

[e] In Apolog. n. 35. 36. et in Confutat. Anglicana *Tho. Fitzherb.* part. 3. c. 5. ſec. 3.

[f] In *Apolog.* nu. 270. et ſeq. in *Append.* contra *Suarez.* part. 1. ſec. 8. nu. 3. et fuſius in *Confutat.* Anglic. *Tho. Fitzh.* part. 3. c. 2.

[g] S. *Chryſoſt.* *Iuſtinianus*, *Cornel.* a Lapide, et *Eſtius* in hunc locum *Abulenſ.* q. 96. in cap. 20. Matth. *Alm in.* de poteſt. Eccleſ. et Laica q. 1. cap. 10. *Salmeron* tom. 14. diſp. 49. et alij.

etiam Eccleſiaſticos non eſſe indignos, qui de temporalibus iudicent, ſed poſſe eos licitè vel ex *Principis*, vel ex Partium litigantium conſenſu ſecularia iudicia, aut tanquam *Iudices legitimos*, ſi à *Principe* poteſtatem accipiant, aut tanquam *Arbitros*, ſi à partibus legitantibus conſtituantur, exercere.

Atque hinc Aduerſarij ſatis perſpicere poſſunt, niſi penitus cæcutire velint, quòd quo magis ſententiam noſtram improbabilem eſſe probare ſatagunt, eo magis probabiliorem atque certiorem reddant, ſuæque cauſæ imbecillitatem manifeſtiùs prodant. Iam *tertiam*, & vltimam *Reſponſionem* diſcutiamus.

SECTIO VIII.

In qua tertia *& vltima* Authoris *Reſponſio expenditur, & qua* Leſsius *contra eam obijcit, refutantur.*

1 RESTAT nunc, vt *tertiam*, & vltimam *Reſponſionem* noſtram, quæ his verbis continetur, [a] examinemus. *Tertia Reſponſio eſt*, decretum illud Concilij *Lateranenſis* non eſſe *rem fidei*, ſed *facti* duntaxat, in quo tam *Papa*, quàm *Patres* illi proprias ſequuti opiniones errare poterant, neque *Concilium* determinaſſe talem depoſitionem futuram, vel à poteſtate indubiè legitima proceſſiſſe, vel à ſola Eccleſiaſtica abſq; *Principum* conſenſu authoritate dimanaſſe. Et propterea non affert illorum *Patrum* opinio maiorem certitudinem pro authoritate Papali *Principes* deponendi,

---

[a] Nu.50.

> quàm ſi extra *Concilium* ſententiam ſuam declaraſſent, cum hoc ſolùm ex certa Eccleſiæ Catholicæ doctrina colligi poſſit, infallibilem ſancti Spiritus aſsiſtentiá non factis, & probabilibus *Pontificum*, aut *Conciliorum* opinionibus, ſed definitionibus duntaxat à *Chriſto* Domino promiſſa eſſe.
>
> Mitto nunc verba illa, *vt extunc ipſe Vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos*, nonnullam difficultatem continere, quæ ſi in illis vim facere velimus, ſolùm ſignificare videntur, proprium eſſe *Pontificis* ſubditos à fidelitate non verè abſoluere, ſed abſolutos tantùm declarare.

2 Hæc erat *tertia*, & vltima Reſponſio, quam de induſtria idcirco adiunxi, vt inde *Lector* clarè perſpiceret, non poſſe ex iſto *Lateranenſis* Concilij decreto (ita enim illud iam appellabimus, nam non eſſe verè, & propriè decretum ex Aduerſariorum ſententia paulo infra [b] oſtendemus) ſufficienter demonſtrari (vti *Leſſius* prætendit) *certum eſſe & de fide*, penes Summum *Pontificem* eſſe ex inſtitutione diuina poteſtatem, pœnas ciuiles infligendi, *Principes* ſupremos ſuis dominijs priuandi, aut eorum ſubditos à temporali fidelitate abſoluendi. Et quantumuis *Leſſius* in hac Reſponſione impugnanda me imperitiæ, & meræ deſperationis accuſet, in ea tamen ipſemet miram fraudem, & ignorantiam, ne dicam, deſperationem non minus quàm in præcedentibus prodit: Ita enim incipit. [c]

b nu. 18.

c nu. 21. pag. 41.

3 *Sicut in cæteris ſolutionibus Aduerſarij ſe parum intelligentes rerum, de quibus diſputant, oſtendunt, ita & in hac quarta* (quam tertiam appellare debuiſſet) *Primò, dum ita loquuntur: Non eſſe rem fidei,*

ſed facti, quaſi hac duo ſe mutuo excludant, cum innumera quæ ſunt facti, ſint fidei. Res facti diſtinguitur contra rem Iuris, non contra rem fidei.

Sed *imprimis*, quare *Leſſius* adeo intelligens rerum de quibus diſputat, tam fraudulenter omiſit particulam illam [*duntaxat*] quam ego de inſtituto appoſui? Dixi enim decretum illud *non eſſe rem fidei, ſed facti duntaxat*, id eſt, eſſe talem *rem facti*, quæ non *eſt fidei*. Nam tametſi *res fidei*, & *facti* non ſe mutuò excludant, cum innumera quæ ſunt *facti*, ſint etiam *fidei*, attamen *rem fidei*, & *rem facti duntaxat* non ſe mutuò excludere, aut aliqua quæ ſint *facti duntaxat*, eſſe *fidei*, illi ſoli *qui parum intelligentes ſunt rerum de quibus diſputant*, affirmare queunt. *Deinde*, an non obſecro, *res fidei* ſunt *res iuris*? res enim fidei de iure diuino eſſe omnes norunt; qui igitur *rem facti duntaxat*, diſtinguit contra *rem fidei*, eum etiam *rem facti duntaxat* contra *rem iuris diuini* diſtinguere adeo clarum eſt, vt nemo, niſi *qui parum intelligentes ſunt rerum de quibus diſputant*, id inficiari poſsit.

4 *Secundò, dum decretum Concilij*, ait *Leſſius*, *volunt eſſe rem facti. Quamuis hoc dicere non tam videatur imperitia quàm mera deſperatio. Quis enim ignorat decreta vniuerſalia ad omnes pertinentia non eſſe res facti, ſed ad ius commune pertinere?* Quæſtio facti eſt, v. g. *An Henricus 4 Imperator legitimè fuerit excommunicatus, & depoſitus?* Quæſtio Iuris eſt, *An Principes Eccleſiæ perſequutores, & grauiſsimorum ſcelerum rei poſsint à Summo Pontifice excommunicari & deponi, ſi ſint incorrigibiles? In illa poteſt committi error, ſi nimirum crimina falſo imponantur, & teſtes per calumniam deponant; in hac*

in hac verò re Concilium errrare non poteſt, quia agitur de poteſtate Eccleſiæ, & neceſſaria doctrina; neque deciſio pendet à teſtibus aut factis humanis, ſed ex verbi diuini partim ſcripti, partim traditione accepti interpretatione, in qua Eccleſia errare non poteſt, vt modò ſuppono. Nam infra de ea re paulo fuſius. Itaque luce meridiana clarius eſt, decretum Concilij, cum de nullo Principe particulari agat, ſed de Principibu in genere, qui hæreticos foment, eſſe rem Iuris, non facti. Sed placuit Aduerſarijs vocare rem facti, vt abſque manifeſta hæreſis nota, poſſent dicere, Concilium in eo decreto erraſſe. Sed ficulneum planè hoc præſidium, vt poſtea domonſtrabitur.

5 Sed *imprimis* placuit *Leſsio* particulam illam [*duntaxat*] fraudulenter omittere, vt ita aliquo quæſito colore clarum & apertum illius diſtinctionis inter *rem fidei*, & *facti duntaxat* ſenſum inuertere, meque non ſolùm imperitia, verùm mera etiam deſperatione faciliùs notare poſſet, cum tamen particula illa [*duntaxat*] diſtinctionem quam adhibui, inter decretum, ſeu *rem fidei*, & decretum, ſeu *rem facti duntaxat*, manifeſtam reddat. Conſtat enim decretum *fidei* illud eſſe, in quo aliquid à fidelibus credendum decernitur, & decretum *facti duntaxat* eſſe illud, in quo aliquid non credendum, ſed faciendum, vel non faciendum proponitur. Notum quoque eſt, decretum *Lateranenſis* Concilij de hæreticis ab Eccleſia notatis ſub pœna priuationis bonorum temporalium exterminandis, eſſe decretum *facti*, cum in eo aliquid faciendum, nempe hæreticorum exterminatio, & temporalium Dominorum depoſitio decernatur; Et quoniam decretum illud non à poteſtate Eccle-

ſiaſtica quæ ſola res *fidei* certò definire poteſt, ſed à ciuili, atque ex *Principum* conſenſu totum ſuum robur, & vim obligandi habet, vt nunc contendo, cùm poteſtas Eccleſiaſtica, vt *pleriſque Doctoribus placet*, nullam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione diuina infligere poſſit, neque in eo decreto aliquid credendum proponitur, aut illud à poteſtate propriè, ſeu verè Eccleſiaſtica ſancitum eſſe declaratur, idcirco decretum illud, non eſſe decretum, ſeu *rem fidei*, ſed *facti duntaxat* in dicta Reſponſione affirmaui. Sed placuit *Leſsio*, qui non parum intelligens rerum de quibus diſputat, haberi vult, decretum *fidei*, in quo aliquid credendum proponitur, à decreto *facti duntaxat*, in quo nimirum aliquid faciendum duntaxat, & non credendum decernitur, nequaquam diſtinguere, vt ita me tanquam parum intelligentem rerum de quibus diſputo, liberiùs increpare pòſſet.

6 Sed obijciunt aliqui, in quolibet decreto Eccleſiaſtico, in quo aliquid faciendum præcipitur, præſertim ſi decretum generale ſit, implicitè ſaltem inuolui decretum *fidei*, in quo nimirum implicitè ſaltem credendum decernitur, decretum illud *facti* ab authoritate verè legitima dimanaſſe, neque enim neceſſarium eſt, vt *Concilium* declaret, quanam authoritate decretum aliquod generale, in quo aliquid faciendum decernitur, ſancitum fuerit, ſed ſupponendum ab omnibus Catholicis eſt, decretum illud, ſi generale ſit, & ad totam Eccleſiam pertinens, ab authoritate verè legitima dimanaſſe. Certum enim eſt, *Eccleſiam*, ſeu *Concilium* generale in generalibus morum

rum decretis, & quæ ad totam Eccleſiam pertinent, errare non poſſe.

7 Reſpondeo *primùm*. Quanam certitudine credendum ſit, *Eccleſiam* in generalibus morum decretis, & quæ ad totam Eccleſiam pertinent, errare non poſſe, inferiùs cum *Leſsio* examinabimus, quomodo autem decretum *Lateranenſis* Concilij, quod ad pænas temporales attinet, ad totam Eccleſiam non pertineat, ſuperiùs à nobis explicatum eſt.

8 Reſpondetur *ſecundò*. Tametſi non ſit abſolutè neceſſarium, vt *Concilium*, ſeu *Eccleſia* declaret, quanam authoritate, Eccleſiaſtica nimirum, & ſibi diuinitus conceſſa, an ciuili & ab hominibus deriuata, decreta ſua generalia, quæ pænas præſertim infligunt, ſancita fuerint, quamdiu apud omnes Catholicos conſtat, ea authoritate Eccleſiaſtica condita eſſe, attamen quamdiu controuerſia eſt inter Catholicos, an poteſtas Eccleſiaſtica ex *Chriſti* inſtitutione pænas ciuiles infligere poſſit, ad hoc vt Catholici credere teneantur, decreta alicuius *Concilij* quæ pænas ciuiles verbis generalibus infligendas decernunt, à poteſtate verè Eccleſiaſtica totum ſuum robur & obligandi vim accipere, neceſſarium eſt vt *Concilium* declaret, ſe authoritate Eccleſiaſtica, & non ciuili talia decreta condidiſſe. Alioquin in promptu ſemper erit Reſponſio, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, nempe poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pænam ciuilem ex inſtitutione diuina, ſed ſolùm ex conceſſione, & conſenſu *Principum* infligere poſſe, & proinde eiuſmodi decreta

ta non authoritate Eccleſiaſtica, ſed ciuili, & ex conſenſu *Principum* facta eſſe.

9 Illa deinde, quæ *Leſſius* poſtremo addit, *nempe luce meridiana clarius eſſe, decretum concilij agere de Principibus in genere, qui hæreticos fouent*, & me *decretum illud rem facti vocaſſe, vt abſque manifeſta hæreſis nota dicere poſſem, Concilium in eo decreto erraſſe*, falſiſſima ſunt, & manifeſtè oſtendunt, vel *Leſſium* dormitantem hæc ſcripſiſſe, vt lucem meridianam aſpicere non poſſet, vel rerum de quibus diſputat, parum intelligentem eſſe; Neque enim mihi vnquam in mentem venit aſſerere, *Concilium* in eo decreto erraſſe, vt ipſe comminiſcitur, neque meridiana luce clariùs eſt, *Concilium* in eo decreto de *Principibus* in genere locutum eſſe, cum de *inferioribus* tantùm *Dominis* ex Supremorum *Principum* conſenſu decretum illud intelligendum eſſe ex probabiliſſima plurimorum Doctorum ſententia clariſſimè euicerimus.

10 Ex his igitur perſpicuum eſt, decretum *Lateranenſis* Concilij, tametſi vniuerſale ſit, & non de particulari aliquo Domino agat, ſed de Dominis temporalibus in genere qui hæreticos fouent, eſſe decretum *facti duntaxat*, in quo ſcilicet aliquid faciendum decernitur, & non eſſe decretum *fidei*, in quo nimirum aliquid credendum proponitur, aut aliqua quæſtio *fidei*, ſeu iuris diuini definitur. *Quæſtio iuris eſt*, ait *Leſſius*, An *Principes Eccleſiæ perſequutores, & grauiſſimorum ſcelerum rei poſſint, ſi incorrigibiles ſint, à Summo Pontifice*, authoritate nimirum propriè Eccleſiaſtica *deponi*. Iam nemo, qui in-

telligens eſt rerum de quibus diſputat, affirmare poteſt, iſto *Lateranenſis* Concilij decreto definitum eſſe, Dominos temporales qui hæreticos fouent, (nam de *Principibus* ſupremis *Concilium*, vt ſupra comprobauimus non loquitur) authoritate Eccleſiaſtica deponi poſſe. *Concilium* enim ſolummodo decernit, Dominos temporales qui hæreticos fouent, deponendos, ſeu potius depoſitos eſſe, ſed quanam authoritate, Eccleſiaſtica nempe, an ciuili, deponendi, ſeu potiùs depoſiti ſint, indefinitum relinquit.

11 *Tertiò patefaciunt imperitiam*, ait *Leſſius*,[d] *cum oſtendunt, ſe non intelligere illa verba Concilij;* Vaſallos denunciet abſolutos. *Non enim ibi ſignificatur, Pontificem non poſſe ſubditos à fidelitate abſoluere, ſed Excommunicationem hanc vim habere, vt ſimulatque per Synodum in Principem publicè lata fuerit, ſubditos ab obligatione parendi ſoluat*, iuxta cap. *Nos Sanctorum* 15. q. 6. *ac proinde vt id omnibus conſtet, ſolùm opus eſſe ſententia declaratoria, quæ tamen ſententia declaratoria non ſatis eſt, vt alijs Principibus Ius ſit illius Regni occupandi, ſed opus eſt ad hoc peculiari ſententia, qua id ius tribuatur. Vnde Concilium vtrumque diſtinctè ponit, & Summo Pontifici vtrumque tribuit.*

12 Sed nemo profectò, niſi qui manifeſtam imperitiam patefaciet, affirmare poteſt, veriſſimum non eſſe id quod ego aſſerui, nempe, verba illa, *Vaſallos denunciet abſolutos*, nonnullam difficultatem contineri; et ſi in illis vim facere velimus, ſolùm (propriè loquendo) ſignificare, *Pontificem* ex vi illius decreti Vaſallos à fidelitate non verè abſoluere, ſed abſolutos tantùm declarare.

[d] nu.22.pag. 43.

rare. Veluti ſi Concilium *Tridentinum* hoc ſolum ſtatuiſſet, quòd *omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter ſemel in anno proprio Sacerdoti, vt extunc ipſe eum denunciet à peccatis abſolutum*, quis, obſecro, vir peritus ex illis verbis propriè acceptis concludi poſſe contenderet, propriũ eſſe Sacerdotũ noui Teſtamenti, non tantùm à peccatis abſolutos denunciare, verùm etiam & à peccatis verè abſoluere. Pari igitur ratione ex illis *Lateranenſis* Concilij verbis propriè acceptis (verba autem legum ſemper in proprio ſenſu accipienda ſunt, niſi quidpiam impediat) concludi nequit, poſſe Summum *Pontificem* Vaſallos à fidelitate verè abſoluere, ſed abſolutos tantùm denunciare.

13 *Sed ibi ſignificatur*, ait *Leſſius*, *Excommunicationem eam vim habere, vt ſimulatque per Synodum in Principem lata fuerit, ſubditos ab obligatione parendi ſoluat, iuxta* cap. *Nos ſanctorum.* 15.q.6. Sed eſto, verum ſit iſtud (tantùm diſputationis gratia) quod tamen omnino falſum eſt: verum etiam ſit, quod temerariè & falſiſſimè docuit *Philopater, certum eſſe, & de fide, quemlibet Principem Chriſtianum, ſi à Religione Catholica manifeſtè deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere ſtatim omni poteſtate, ac dignitate ex ipſa vi etiam Iuris diuini, &c.* Vera etiam ſit illa *Wicleffi* doctrina in Concilio *Conſtantienſi* condemnata, *nullum eſſe Dominum ciuilem in peccato mortali exiſtentem*, in his inquam caſibus, tantùm ex hypotheſi veris, fateor, poſſe Summum *Pontificem* tales *principes* & Dominos denunciare depoſitos,

&

& eorum Vaſallos à fidelitate abſolutos, cum denunciare, ſeu declarare Ius diuinum, naturale, & Eccleſiaſticum res ſpiritualis ſit, & ad poteſtatem Eccleſiaſticam, vt *directiua* eſt, de qua iam non agimus, ſpectet, ſed qui inde inferri poſſe contenderet, eſſe idcirco in Summo *Pontifice* poteſtatem *Principes* hæreticos, aut excommunicatos, verè deponendi, eorumque Vaſallos à fidelitate verè abſoluendi, cum res temporalis ſit, & *inflictio* pænæ ciuilis, atque ad poteſtatem tantùm ciuilem, vt *coercitiua* eſt, pertineat, manifeſtam vtique imperitiam patefaceret. Non igitur ex illis Concilij verbis propriè acceptis, *Vaſallos denunciet abſolutos*, ſed aliunde peti debent argumenta ad probandum, penes *Pontificem* eſſe poteſtatem Vaſallos à fidelitate verè abſoluendi, & non ſolùm abſolutos denunciandi.

14 Deſinat igitur *Leſſius* prædicta *Concilij* verba aduerſùs noſtram doctrinam deinceps vrgere, nam ad poteſtatem Eccleſiaſticam Vaſallos a fidelitate verè abſoluendi communiendum ficulneum planè præſidium eſt, & ad alia præſidia magis firma, veluti ad Canonem, *Nos ſanctorum* ſi placuerit, confugiat, vt inde nouam ſuam Catholicam *ſcilicet* fidem ſtabiliat, atque demonſtret, poteſtatem Eccleſiaſticam, vt *coercitiua*, ſeu punitiua eſt, ad pænas temporales ex *Chriſti inſtitutione*, & non tantùm ex *Principum conceſsione* infligendas extendi; & poſſe Summum *Pontificem* iure diuino Vaſallos à temporali fidelitate non abſolutos tantùm declarare, verùm etiam reuera abſoluere, & Dominos temporales non tantùm depoſitos, ſeu dominijs ſuis

priuatos denunciandi, ſed verè etiam deponendi, ſeu dominijs, quibus ante ſententiam eius non erant priuati, priuandi poteſtatem habere.

15 Quod verò ait *Leſsius*, *Excommunicationem hanc vim habere, vt ſimulatque per Synodum in Principem publicè lata fuerit, ſubditos ab obligatione parendi ſoluat*, iuxta cap. *Nos ſanctorum*, 15. quæſt. 6. & falſum eſt, & Theologis ſuæ Societatis, nempe *Franciſco Suarez*, & *Martino Becano* repugnans, vt alibi [e] fuſius commonſtraui. Nam tametſi in Canone *Nos ſanctorum*, qui à *Gregorio* ſeptimo in Synodo Prouinciali Romana eſt editus, illi, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento conſtricti ſunt, à Iuramento abſoluantur, ſicut etiam per Conſtitutionē Imperatoris *Frederici*, illi, qui per annum in Excommunicatione permanent, banno ſubijciantur, non tamen hinc ſequitur, pœnas illas eſſe ipſius Excommunicationis effectus, aut ipſam Excommunicationem vim habere tales pœnas temporales inferendi, ſed *ſolùm eſſe ſpeciales pœnas*, vt rectè dixit *Suarez*, *ſimul cum Excommunicatione impoſitas*, *ſicut enim hæreticus excommunicatur, & priuatur Dominio rerum ſuarum, non eſt hæc priuatio*, ait *Suarez*, *effectus excommunicationis, ſed pœna quædam ſimul cum illo coniuncta.*

16 Neque Canon ille, *Nos Sanctorum*, de *Principibus* loquitur, vti *Leſsius* falſò affirmat, neque editus eſt à Summo *Pontifice*, quâ propriè ſpirituali præditus eſt poteſtate, quæ, vt *pleriſque Doctoribus placet*, nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere poteſt, ſed vel per

K ciui-

[e] In *Apolog.* nu. 348. In *Diſputat. Theolog.* cap. 4. ſec. 1. In *Appendice* aduerſus *Suarez* part 2. ſec. 4. & in *Cōfutat.* Angl. *Thom. Fitzher.* part 3. c. 1. & c. 5. ſec. 2. nu. 131. et ſeq.

ciuilem *Pontificis*, quâ *Princeps* eſt temporalis, poteſtatem conditus eſt, & proinde non niſi in Eccleſiæ territorijs, ſeu B. *Petri* patrimonio obligat, vel, ſi *Canonem* illum ad alias etiam Prouincias extendere velimus, non niſi ex *Principum* conſenſu vim obligandi habet; Sicut etiam Canonem illum, *Ad abolendam, in quo Comites, Barones, Rectores, & Conſules ciuitatum, & aliorum locorum honore, quem obtinent, ſpoliantur*, ex *Imperatoris* conſenſu vim obligandi habuiſſe Expoſitores Iuris Canonici, vt ſupra ex *Innocentio*, *Hoſtienſi*, & *Ioanne Andrea* vidimus, interpretantur.

17 Denique *Leſſius* pro extrema primæ partis ſuæ *Diſcuſsionis* coronide, vt ſe non minùs Grammaticæ, quàm Theologiæ peritum oſtendat, verba illa, *futuram proceſsiſſe*, *futuram dimanaſſe*, vt incongrua repræhendit. *Omitto*, inquit ſolœca, & ἄκυρα *ſermonis, futuram proceſsiſſe, futuram dimanaſſe*, &c. Quaſi verò cuiuis Grammatiſtæ perſpicuum non ſit, me per futuram depoſitionem ipſam ſententiam, ſeu decretum *Lateranenſis* Concilij de futura Dominorum temporalium depoſitione intellexiſſe. Quis autem, qui Grammaticam vel mediocriter callet, eum ſolœciſmi, aut incongrui ſermonis arguere poteſt, qui diceret, ſententiam illam, ſeu decretum *Concilij* de futura depoſitione à poteſtate verè Eccleſiaſtica nequaquam dimanaſſe? Sed quòd rigidus iſte rerum & verborum Cenſor, quique ſe rerum de quibus diſputat, intelligentem eſſe iactat, & Aduerſario manifeſtam imperitiam, & meram deſperationem exprobrat, tam imperitas, ne dicam,

pueriles cauillationes, quas profectò vel recenſere me pudet pigetque, ad nouam ſuam Catholicam *ſcilicet* fidem communiendam attulerit, non tam imperitiæ illius, cum ſe Doctorem, & Theologię Profeſſorem nuncupet, ſed merę deſperationi tribuendum eſſe cenſeo, quòd ſcilicet malam cauſam, quę non niſi malis artibus defendi poteſt, propugnandam ſuſceperit. Igitur meliùs meo iudicio ſuæ famæ in poſterum conſuleret, ſi vel tam malæ cauſæ patrocinium omninò relinqueret, vel eam magis ſolidè, ſi poterit, aut ſaltem magis ſincerè, vti poterit, deinceps diſcuteret. Atque hęc de *prima* huius *Diſcuſsionis* parte dicta ſufficiant.

18 Sed quoniam Aduerſarij in iſto *Lateranenſis* Concilij decreto, tanquam in firmiſſimo nouæ ſuæ Catholicæ *ſcilicet* fidei propugnaculo mirificè, ſed vaniſſimè triumphant, priuſquam vlteriùs progrediamur, non abs re erit in gratiam ſtudioſi Lectoris paucis examinare, an decretum illud ſæpiùs inculcatum verè & propriè decretum ex Aduerſariorum ſententia dici debeat. Notum enim eſt cuilibet, ſiue Theologiæ, ſiue Iuriſprudentiæ perito, quodlibet decretum propriè dictum, ſicut & quamlibet legem propriè dictam, præceptum aliquod ſiue iuſſionem in ſe complecti, qua Superior ſubditum ſuum ad id, quod ſuo decreto conceditur, pręcipitur, aut prohibetur, obligare intendit. Iam in toto illo *Lateranenſis* Concilij decretode, quo Aduerſarij tantopere iactitant, plura particularia decreta continentur.

19 *Primò* enim ſtatuitur, quòd *poteſtates ſecula-*

culares, quibuſcumque fungantur officiis, pro defenſione fidei præſtent publicè Iuramentum, & ad hoc, ſi neceſſe fuerit, per Cenſuram Eccleſiaſticam compellantur, quod de terris ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt, ita quod amodo quandocunque quis fuerit in poteſtatem ſiue perpetuam, ſiue temporalem aſſumptus hoc teneatur capitulum Iuramento firmare. Atque hoc eſſe verè & propriè decretum, in ſe præceptum continens, quo Poteſtates Seculares ad tale Iuramentum præſtandum, & ad hæreticos pro viribus exterminandos obligantur, nemo ambigere poteſt.

20 *Secundò* ſtatuitur, quòd *ſi Dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Epiſcopos Excommunicationis vinculo innodetur.* Atque hoc etiam eſt verè & propriè decretum, atque præceptum, quo Metropolitanus, & cæteri Epiſcopi comprouinciales talem Dominum temporalem Excommunicationis vinculo innodare tenentur.

21 *Tertiò* ſtatuitur, quòd *ſi Dominus temporalis ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc Summo Pontifici.* Atque hoc etiam eſt propriè decretum, quo Epiſcopis præcipitur, vt ſi Dominus temporalis, poſtquam ab illis excommunicatus fuerit, ſatisfacere contempſerit infra annum, illud Summo *Pontifici* ſignificent.

22 *Deinde* hæc verba immediatè adduntur, *vt extunc ipſe Vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſo-*

abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, &c. Atque hæc verba, de quibus tota inter me & Aduerſarios controuerſia exiſtit, cum ex illis demonſtrare contendant, poſſe Summum *Pontificem* iuxta *Lateranenſis* Concilij decretum Vaſallos *Principum* temporalium à fidelitate abſoluere, & terras hæreticorum prædæ exponere, non poſſunt iuxta eorum principia aliquod vere, & propriè decretum, iuſſionem, aut priuilegium continere: cum iuxta eorum doctrinam Summus *Pontifex* Concilio generali non ſubijciatur, neque Concilio inferior ſed Superior exiſtat, & proinde neque *Concilium* præceptum aliquod Summo *Pontifici* imponere, nec aliquod priuilegium, aut vllam authoritatem, quam antea non habuit, illi concedere queat. Et propterea verba illa, iuxta eorum principia, non decretum aliquod, aut præceptum, ſed rationem tantùm & finem prioris decreti, in quo Epiſcopi iubentur Summo *Pontifici* ſignificare, ſi Dominus temporalis per annum in Excommunicatione permanſerit, in ſe continere poſſunt: vt nimirum *Pontifex* pro ea qua præditus eſt poteſtate, ſiue ſpirituali & ex *Chriſti inſtitutione*, ſiue ciuili & *ex Principum conceſſione* illi debita (neque enim Concilium definiuit, an illa *Pontificis* authoritas ſpiritualis vel temporalis erat, ſed omnino indeterminatam reliquit) ~~Vaſallos talis Domini temporalis, ſiue prin~~cipalis fuerit, ſiue *Dominum principalem* non habuerit (nam de *Domino ſupremo* ſeu *principaliſſimo* Concilium nihil loquitur) à fidelitate, ſi id expedire iudicaret, abſolutos denunciaret.

23 Iam quàm certa fidei doctrina ex hoc decreto colligi poſſit, Lector eruditus facillimè perſpiciet, ſi præſertim meminerit, quod Card. *Bellarminus* tradidit, [f] nempe, *in Concilijs maximam partem actorum ad fidem non pertinere. Non enim ſunt de fide diſputationes quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea, quæ ad explicandum, & illuſtrandum adferuntur, ſed tantùm ipſa nuda decreta, & ea non omnia, ſed tantùm quæ proponuntur tanquam de fide.* Sed nos etiam de hoc infra in *ſecunda* parte fuſiùs diſputabimus.

[f] lib. 2. de Concil. c. 12.

PARS SECVNDA:

IN QVA TRES OBIECTIONES A *LESSIO* ALLATÆ diſſolvuntur, & tres ſimiles Inſtantiæ *ab Authore ad eas diſſoluendas* adductæ confirmantur.

SECTIO PRIMA:

In qua tres obiectiones Leſſij *proponuntur, & primum exemplum, quo tres* Authoris *Inſtantiæ nixæ ſunt, confirmatur.*

1 HActenus varijs cauillationibus conatus eſt *Leſſius* noſtras ad *Lateranenſis* Concilij decretum, ſi propriè decretum vocari debeat, reſponſiones refutare, ſed fruſtra. Nunc conatur refellere alia quædam reſponſa noſtra ad tres obiectiones ſeu rationes ab eo relatas, & non tantùm in *Lateranenſis* Concilij, aliorumque Conciliorum decretis, ſed in conſtitutionibus etiam atque ſententijs iudicialibus *Summorum Pontificum* fundatas, quibus demonſtrare prætendit, *certum* eſſe, & *de fide* penes *Summum Pontificem* eſſe poteſtatem *Principes ſupremos* deponendi, eorumque ſubditos à temporali fidelitate *Principibus* iure diuino debita abſoluendi.

Prima autem eius *ratio*, ſeu *obiectio* hæc eſt.

Prima obiectio *Leſsij.*

2 *Illa doctrina ad fidem pertinet, quam Summi Pontifices, Concilia, & Doctores tanquam certum fundamentum ſuarum conſtitutionum, & ſententiarum vel proponunt, vel ſupponunt: atqui hæc doctrina de poteſtate Papali Principes deponendi, & ſubditos ab eorum fidelitate abſoluendi proponitur, vel ſupponitur à Pontificibus, Concilijs, & Doctoribus tanquam fundamentum multorum Canonum, & ſententiarum iudicialium, ergo doctrina hæc ad fidem pertinet.*

2 Obiectio *Leſsij.*

3 *Secunda* eius *ratio* hæc eſt. *Deinde, ſi Concilium generale expreſſè definiret, Eccleſiam habere hanc poteſtatem, nemo Catholicus dubitare poteſt, quin ea res ad fidem pertineret, atqui cum ſupponit illud tanquam certum fundamentum ſuarum conſtitutionum, & ſententiarum, non minùs illud cenſetur aſſerere, ergo non minùs certum cenſeri debet.*

3 Obiectio *Leſsij.*

Vt paſſim Doctores tradunt. *Canus* lib. 5. c. 5. pag. 333. *Bannes* 22. q. 1. ar. 10. et alij.

4 *Tertia* eius *ratio* eſt huiuſmodi. *Denique, de fide eſt, Eccleſiam non poſſe errare in doctrina, & præceptis morum, docendo generatim aliquid eſſe licitum, quod eſt iniquum, aut iniquum, quod licitum, aut etiam aliquid per ſe iniquum præcipiendo: Talis enim error non minùs pernicioſus eſt fidelibus, quàm error in fide; atqui ſi Summus Pontifex non haberet illam poteſtatem Principes temporales ſuis dominijs priuandi, Eccleſia erraret in doctrina morum, & quidem circa res grauiſſimas. Docet enim, Principe per ſententiam Summi Pontificis abdicato, omnes ſubditos ab eius obedientia eſſe ſolutos, & ditionem eius ab alio poſſe occupari, vt ex Concilijs conſtat. Item, Principe publicè excommunicato,*

ſubditos à Iuramento fidelitatis eſſe abſolutos, ita vt non teneantur ei parere, donec reconcilietur, immo prohibet, ne illi pareant, ſi cenſura eſt denunciata. Quæ omnia falſa erunt, neque ſolùm falſa, ſed etiam pernicioſa, quia per ea ſubditi ad rebelliones, & periuria incitabuntur, & vel inuiti, & reluctantes compellentur. Errat ergo Eccleſia in doctrina morum, & præcipit rebelliones, & periuria, & Cenſuris ſuis ad illa adigit, atqui hoc aſſerere eſt hæreticum, ergo & illud vnde ſequitur, nimirum Eccleſiam non habere poteſtatem ſubditos à vinculo Iuramenti, & ab obedientia liberandi.

5 Hæ ſunt *rationes* illæ, quibus *Leonardus Leſſius* in libro à ſe edito, ſed poſtea ſuppreſſo, cui titulus eſt, *Diſputatio Apologetica pro poteſtate Summi Pontificis*, demonſtrare ſe putat, eſſe vſqueadeo certum, poteſtatem *Principes* deponendi, & ſubditos à fidelitate abſoluendi *Summo Pontifici ex Chriſti inſtitutione* competere, vt contrarium abſque hæreſeôs, aut ſaltem manifeſti erroris nota defendi non poſſit. Vt autem rationes iſtas valde infirmas, & ad rem fidei demonſtrandam omnino ineptas eſſe commonſtrarem, tres alias *rationes*, ſeu *inſtantias* hiſce non omnino abſimiles in tribus etiam Summorum Pontificum *exemplis* fundatas in *Præfatione* Reſponſionis meæ *Apologeticæ* illis oppoſui. Sic itaque eas refellere exorſus ſum [a].

[a] Nu. 15.

6 Sed caueant iſti Doctores alioqui ſanè „
doctiſſimi, ne peculiares, & incertas ſuas collecti- „
ones, pro vniuerſalibus, atque indubitatis Catho- „
licæ fidei concluſionibus imperito populo di- „
vulgare præſumant; neque enim hæc argumenta „

Primum *Authoris* exemplum.

“tam ſolida eſſe, vt iſti imaginantur, facillimè ex *Eccleſiæ* praxi, & *Summorum Pontificum* decretis commonſtrari poteſt. Atque *inprimis*, an non debita Sacramentorum adminiſtratio res magni momenti eſt, atque ad *Summi Pontificis* officium maximè ſpectans, errorque circa eam pernicioſiſſimus cenſendus eſt? Atqui *Summus Pontifex* Sacerdoti ſimplici licentiam ſæpe impertitus eſt[b] Sacramentum Chriſmatis adminiſtrandi, cum tamen inter Theologos magna controuerſia exiſtat, an ex conceſſione *Summi Pontificis* adminiſtratio huius Sacramenti Sacerdoti ſimplici committi poſſit. Cum igitur *Sacramenta nouæ legis*, vt docet Concilium *Florentinum*,[c] *tribus perficiantur, materia, forma, & Miniſtro, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum*; & materiam, ac formam debitam Sacramenti à Miniſtro indebito ſeriò applicari maximum ſit ſacrilegium, ſi *Summus Pontifex*, (in quo ſolo ſecundum iſtos Theologos tota poteſtas Eccleſiaſtica, & authoritas res fidei certò definiendi principaliter reſidet) poteſtatem hoc Sacramentum conficiendi ſimplici Præsbytero concedere nequit, vt doctiſſimi Theologi[d] abſque vlla hæreſeôs, aut erroris nota opinantur, an non grauiſſimus error eſt, tales licentias concedere, vnde periculum eſt, ne grauiſſima ſacrilegia, vtputa, inualidæ Sacramentorum adminiſtrationes perpetrentur?

7 Poſtquam igitur *Leſsius* primum meum *exemplum* de *Summo Pontifice* concedente Simplici Præsbytero facultatem Sacramentum Chriſmatis adminiſtrandi breuiter recenſuerat, ita protinus

[b] Vt cōſtat ex S. *Grego.* lib. 3. epiſt. 26. et habetur in can. *Peruenit* diſt. 95. et plurimi Abbates hodierna die hanc facultatem habent.

[c] In fine, in decreto Eugenij.

[d] *Hadrianus* Papa in 4. in q. de Cōfirmat. ar. 3. *Durand.* diſt. 7. q. 3. et 4. Bonau. ibid. *Alph. de Caſtro* lib. de hæreſ. verbo Confirmatio *Petrus Soto* lec. 2. de Confirmat. et alij.

tinus ſubiungit: * *Hinc volunt inferri: Non eſſe abſurdum, neque contra fidem, ſi dicamus poteſtatem Summi Pontificis ad Reges deponendos eſſe incertam, vel etiam nullam, etiamſi ea ſepiùs vſi ſint cum magna Regum, & ſubditorum iniuria. Itaque ſatis apertè indicant, ſepe Pontifices & Concilia in ſuis decretis, & ſententijs Iudiciarijs perniciosè erraſſe.*

e Part.2.nu. 24.pag 48.

8 Sed ex hoc exemplo nihil planè contra poteſtatem *Summi Pontificis* ad *Reges* deponendos ego in præſenti infero, quid autem ex eo infero, & vtrùm *Concilia* in ſuis decretis ſeu præceptis tam fidei quàm morum errare poſſit necne, inferiùs * declarabimus; nam Summos Pontifices in decretis tam fidei quàm morum etiam generalibus, Si abſque Concilio generali decreta condat, errare poſſe, Theologi *Pariſienſes* ſequuti doctrinam in Concilo *Conſtantienſi*, atque etiam *Baſilienſi*, quando ex omnium ſententia legitimum & verè Oecumenicum erat, definitam, affirmare non dubitant, quorum doctrinam ſi *Leſsius* vel abſurdam, vel contra fidem eſſe aſſerere voluerit, quando ad id probandum peruenerit, ſe abſurdiſſimum demonſtrabit. Interim ego etiam confidenter aſſero, non eſſe abſurdum, neque contra fidem, ſi dicamus, poteſtatem *Summi Pontificis* ad *Reges* deponendos, iuxta ſententiam *quæ pleriſque Doctoribus placet*, eſſe incertam, vel etiam nullam, etiamſi ea ſępe *Pontifices* vſi fuerint cum magna Regum, & ſubditorum iniuria. Itaque apertiſſimè dico, nec eſſe abſurdum, neque contra fidem ſi iuxta ſententiam hanc, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, dicamus, ſæpe

* Sec. 4.

Pontifices (nam de *Concilijs* nunc non loquor) in talibus decretis & ſententijs iudiciarijs pernicioſe, id eſt, in re grauiſſima ſaltem per ignorantiam erraſſe, tametſi eos ſcientes & volentes, ſeu de induſtria, & contra conſcientiam in talibus decretis & ſententijs iudiciarijs pernicioſe erraſſe (vt infra [f] *Leſſius* mihi falſiſſime imponit) nequaquam affirmauerim.

[f] Part.3. ſec. 2.nu.6.

9 Neque enim ex eo quòd *Pontifices* ſæpe *Reges* depoſuerint, rectius inferri poteſt, idcirco eſſe abſurdum, aut contra fidem ſi dicamus, poteſtatem Summi *Pontificis* ad *Reges* deponendos eſſe incertam, vel etiam nullam, quàm ex eo quòd *Pontifices* in ſolenni caſtitatis voto, atque in matrimonio rato non conſummato ſæpe diſpenſauerint, atque Sacerdoti ſimplici Sacramentum Chriſmatis conficiendi facultatem ſæpius conceſſerint, concludi queat, eſſe idcirco abſurdũ, aut contra fidem, ſi dicamus, poteſtatem Summi *Pontificis* ad taliter diſpenſandum, aut talem facultatem concedendam eſſe incertam, vel etiam nullam.

10 Nam vt alias [g] obſeruaui, quæ hîc denuo repetere non à re alienum cenſeo, Ad hæc & ſimilia Summorum *Pontificum* facta atque exem-
“ pla eadem plane Reſponſio adhiberi poteſt, qua
“ ipſe Card. *Bellarminus* in re non diſſimili vſus eſt,
“ lib. 2. de *Rom. Pontif.* cap. 30. ad quartum argumen-
“ tum, in quo obijciebatur, Chriſtianos *Imperatores*
“ ſæpe etiam iudicaſſe *Pontifices*, eoſque depoſuiſſe.
“ *Reſpondeo*, inquit, *hæc quidem facta ſunt, ſed quo iure*
“ *ipſi viderint.* Et paulo infra; *Ab Othone primo*, in-
“ quit, *ſatis conſtat bono zelo, ſed nõ ſecundùm ſcienti-*
“ *am depoſitum eſſe* Ioanem. 12. *fuit enim iſte* Ioannes

omnium

[g] In *Apologia* num. 444. et. ſeq.

omnium Pontificum ferè deterrimus. Neque ideo non mirum, ſi pius Imperator qualis fuit Otho *primus, ſatiſque peritus rerum Eccleſiaſticarum iudicauerit, eum potuiſſe deponi, præſertim cum multi Doctores idem ſenſerint.*

11. Simili prorſus ratione *Reſpondere* poterit, nonnullos *Pontifices priuaſſe Principes* ſuis dominijs, Imperia tranſtuliſſe & de rebus temporalibus Chriſtianorum diſpoſuiſſe, ſed quo iure ipſi viderint. *Neque enim oportet ex talibus factis ſingularibus*, ait *Ioannes Pariſienſis*, [h] *quæ interdum ex deuotione ad Eccleſiam vel perſonam, vel ex fauore*, addi etiam poteſt vel ex odio, *vel ex alia cauſa, & non ex debito iuris* (ad poteſtatem probandam) *argumenta ſumere.* Et *Gregorius* Tholoſanus, *Illud*, inquit, *tantum ex his colligo, difficilem eſſe quæſtionem, num Summi Pontifices deponere Imperatorem, vel Regem poſſint, qui olim habuerit inſtituendi Summum Pontificem poteſtatem. Quia & inueniuntur plures deſtitutiones & depoſitiones factæ ab Imperatore Summorum Pontificum, non ſecus quam deſtitutiones factæ Imperatorum à Summo Pontifice, ut viciſſitudo in his maxima inueniatur; vnde diſputare de facto & de exemplo depoſitionum perperam eſt.* Et paulo infra. *Ex quibus omnibus*, inquit, *innouatores ambitioſi Rerumpublicarum, & vſurpatores Regnorum rebelleſque Principibus legitimis colligere poſſunt; primum, non ideo omnem depoſitionem Principum iuſtam eſſe quod reipſa facta ſit, nam non omnia facta iuſta ſunt; deinde, non ideo conſequentiam fieri debere, quod eius exemplo ſimile tentandum* ſit. *Aliud* enim eſt, ait Card. *Bellarminus*, [k] *facta Regum*, addo ego, etiam *Pontificum*, *referre*,

aliud

[h] De poteſt. *Reg. & Papali* cap. 15. ad 5.

[i] Lib. 26. de *Repub.* cap. 5. nu. 11.

[k] In *Reſponſ.* ad Apolog. pro Iuramento fidelitatis. pag. 157.

aliud authoritatem poteſtatemque probare.

12 Quare etiam *Silueſter* neque abſurdum, neque contra fidem eſſe iudicauit, ſi quis diceret, poteſtatem Summi *Pontificis* ad diſpenſandum in voto ſolenni religioſæ caſtitatis eſſe incertam vel etiam nullam, etiamſi *Pontifices* ea ſępe vſi fuerint: Vnde ad obiectionem eorum qui dicunt, *ſe vidiſſe Papam ſic feciſſe de facto*, ex quo inferunt eum talem diſpenſandi habere poteſtatem, Reſpondet, *ſe etiam vidiſſe Pontificem facientem maiora cum ſcandalo totius Chriſtianitatis, vnde aliud eſt facere de facto, aliud determinare quod ita poſſit fieri de iure.* Et Theologi communiter [l] exiſtimant, non eſſe abſurdum neque contra fidem, ſi quis diceret, poteſtatem Summi *Pontificis* ad diſpenſandum in matrimonio rato non conſummato eſſe incertam vel etiam nullam, etiamſi *Pontifices* ea multoties vſi fuerint. Itaque ſatis apertè iudicant, *Pontifices* in eiuſmodi diſpenſationibus, quæ res maximi momenti ſunt, ſæpiſſimè erraſſe. Immo *Sotus* ingenuè fatetur, *ſalua ſemper Eccleſiæ cenſura, quòd opinio Canoniſtarum nullam probabilitatis effigiem repræſentet*, Et ad authoritatem eorum *Pontificum*, qui ita diſpenſarunt, reſpondet, *ſe ea tanquam Eccleſiæ determinatione nullatenus moueri, quia factum Pontificum non facit fidei articulum, ſed opinionem Canoniſtarum ſunt ſecuti.*

13 Quòd ſi *Leſſius* adhuc iudicat eſſe abſurdum, aut contra fidem ſi dicamus, poſſe Summos *Pontifices* in factis, & decretis particularibus perniciosè errare; & multoties etiam erraſſe, legat *Hadrianum* Pontificem, cuius verba inferiùs referemus, [m] & *Aluarum Pelagium* acerrimum alioquin

Silueſt. verbo votum. 4 q. 5.

[l] Vide *Zanchez.* lib. 2. de matrim. diſp. 14.

Sot. in 4. d. 27. q. 1. ar. 4.

[m] nu. 23.

quin poteſtatis Pontificiæ propugnatorem, qui in plurima recentiorum fere omnium *Pontificum* facta vehementiùs inuehitur, eoſque inter alia reprehendit, quòd *aurum cumulent abſque menſura, Parentes ditent & exaltent, conſanguineos atque indignos promoueant, amicos dignificent, plurimumque alios conculcent, bona Eccleſiarum diſſipent, Temporalium dominorum aliquoties terminos inuadant, de ſalute animarum parum curent, & quid plura? quæ carnis ſunt ſapiant &c.* Igitur neque abſurdum, neque contra fidem eſt, vt *Leſſius* inſinuat, ſi dicamus, Summos *Pontifices* non habere poteſtatem aliquid faciendi aut decernendi, etiamſi ea ſæpenumero vſi fuerint, ſed in ſuis decretis, ſententijs, conceſſionibus, aut diſpenſationibus, quæ in tali poteſtate fundantur, grauiter & pernicioſe, id eſt, in materia graui & pernicioſa per ignorantiam, & vel propriam vel aliorum opinionem ſequutos ſæpenumerò errare, quando præſertim inter Doctores Catholicos controuerſia eſt, an *Papa* talem poteſtatem, qua ſepe ipſe de facto vtitur, re quidem vera & de iure habeat. Nam an *Pontifex* quiſpiam effrænata quadam, vtputa dominandi, aut vlciſcendi cupiditate, aliaue immoderata animi paſſione ductus, poteſtatem quam non habet ſciens & volens, aut contra conſcientiam ſibi arroget, non ab Eccleſiæ filijs temere iudicandum, ſed propriæ ipſius conſcientiæ, & ſolius Dei, qui corda & renes ſcrutatur, iudicio relinquendum eſſe cenſeo.

Aluar. pelag. de plan. Eccl. lib. 2. ar. 5.

14 Iam ad *primum* illud *exemplum*, quod de Sacramento *Confirmationis* attuli, *Leſsius duas ſolutiones* adhibet. *Reſpondet primò* [n] *hanc poteſta-*

tem

[n] nu. 24. p. 48.

tem committendi Sacerdoti adminiſtrationem Confirmationis in caſu neceſsitatis, non fuiſſe ipſis Pontificibus, qui ea uſi ſunt, incertam, etiamſi aliqui Doctores de ea dubitauerint, vel eam etiam negauerint. Non enim credibile S. Gregorium, *qui hanc facultatem conceſsit Presbyteris Sardiniæ, id facturum fuiſſe, niſi ſciuiſſet eam ſibi competere.*

15 *Neque dici poteſt, eum ſequutum opinionem probabilem. Quia cum nuſquam legamus eo tempore fuiſſe diuerſas ea de re ſententias in Eccleſia, idex aere diceretur; præſertim cum ipſe non dubitanter, ſed tanquam certus loquatur. Idem colligitur ex Concilio* Florentino *in inſtructione Armenorum, vbi dicitur:* Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus; *Dicit* Ordinarius *inſinuando alium eſſe extraordinarium, nempe ex commiſsione. Quod magis explicat infra, cum ait:* Legitur tamen per *Apoſtolicæ Sedis* diſpenſationem, ex rationabili & vrgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per *Epiſcopum* confecto, hoc adminiſtraſſe *Confirmationis Sacramentum.*

16 Sed hæc *Reſponſio* friuola eſt, & falſo fundamento nititur, nempe hanc poteſtatem committendi Sacerdoti adminiſtrationem Confirmationis fuiſſe ipſis *Pontificibus*, qui ea vſi ſunt, certam, etiamſi aliqui Doctores de ea dubitauerint, vel eam etiam negauerint; hoc enim fundamentum & falſum & friuolum eſſe, nihilque ad rem facere tametſi verum eſſet, paulo infrà oſtendemus. *Deinde*, ratio illa, quam ad id comprobandum de S. *Gregorio Leſsius* adducit, partim infirma eſt, partim etiam falſa, & abſque vllo probabili fundamento conficta. *Primò* quia incertum eſt, &

apud Doctores Catholicos controuerſum, an S. *Gregorius* facultatem Sacramentum Chriſmatis adminiſtrandi Presbyteris *Sardiniæ* conceſſerit. Nam *Gulielmus Eſtius*, in Academia Duacenſi primarius Sacræ Theologiæ quondam profeſſor, ſoluit omnia argumenta, quibus probari ſolet, vel S. *Gregorium* hanc facultatem Præsbyteris *Sardiniæ* conceſiſſe, vel Summis *Pontificibus* talem poteſtatem competere.

Eſtius in 4. ſent. diſt. 7. §. 22.

17 *Reſpondet* enim *primò*, *verba S.* Gregorij *non de Sacramento Confirmationis, ſed de cærimoniali quadam vnctione, qua Presbyteri Sardiniæ vel baptizandos (ita enim in quibuſdam Codicibus legitur) vel batizatos Chriſmate in frontibus tangere, vel ſignare ſolerent, cum alioquin non frontem, ſed verticem, vel vt alia exemplaria habent, pectus Chriſmate ſignare iuberentur*. Atque hanc eandem Reſponſionem inter alias antea *Hadrianus* Papa loco citato ad hanc S. *Gregorij* authoritatem adhibuit. *Deinde*, ad priora Concilij *Florentini* verba, quæ *Leſſius* vrget, *Eſtius* reſpondet, *idcirco ſic locutos eſſe tam* Tridentinũ *quàm* Florentini *Concilij Patres, quòd quæſtionem inter Doctores controuerſam definire nollent, quomodo & locuti ſunt de Miniſtro Sacramenti Ordinis propter controuerſiam de Minoribus Ordinibus*. Ad poſteriora autem verba ait, *Concilium non affirmare id aliquando factum eſſe, nam reuera factum eſſe probari non poteſt* (ſed in hoc deceptus eſt *Eſtius*, vt infrà patebit) *ſed id legi vel in decreto* Gratiani, *vel apud Scholaſticos Doctores, qui factum* Gregorij *iuxta ſuam opinionem ſunt interpretati, eamque ob cauſam addidiſſe* Ordinarium, *quòd ita opinantibus præiudicare nollet*.

18 Sed quantumuis verum eſſet, S. *Gregorium* hanc facultatem Chriſmatis Sacramentum conficiendi Presbyteris *Sardiniæ* conceſſiſſe, nulla tamen ratione veriſimili probare poteſt *Leſsius*, eum vel certitudine fidei, vel certitudine concluſionis Theologicæ ſciuiſſe, talem poteſtatem ſibi competere, cum præſertim Doctores Theologi, inter quos etiam vnus eſt Summus *Pontifex*, & Sacræ Theologiæ non mediocriter peritus, poſterioribus ſeculis contrarium ſenſerint. Etenim ad S. *Gregorium* ab omni culpa excuſandum ſatis eſt, quòd ipſe exiſtimauerit, tametſi non certò ſciuerit, talem ſibi competere poteſtatem. Et licèt nuſquam legamus, eo tempore fuiſſe diuerſas ea de re ſententias in Eccleſia, quia tunc forſan non erat de hac re inter Doctores Catholicos exorta controuerſia, hinc tamen non ſequitur, quin potiùs ex aere diceretur, ſententiam, quam ſequutus eſt S. *Gregorius*, fuiſſe reuera certam, etiamſi fuiſſe ſua opinione veram, aut ſaltem ſibi veriorem viſam eſſe, libenter conceſſerim; hoc tamen non impedit quin à parte rei contraria ſententia veritati conſona fuerit. Vnde *Durandus* non veretur affirmare S. *Gregorium* talem licentiam Præsbyteris *Sardiniæ* concedentem de facto erraſſe.

19 Quin etiam *Hadrianus* Papa, tametſi id factum *Gregorij* aliter excuſet, non tamen aut abſurdum, aut contra fidem eſſe exiſtimat, ſi dicamus, Summos *Pontifices* in ſuis determinationibus aut decretis aliquando erraſſe: Ita enim ſcribit: *Ad ſecundum principale de facto* Gregorij, *dico primò, quòd ſi per Eccleſiam Romanam intelligatur caput eius, puta Pontifex, certum eſt quòd poſſit errare, etiam*

etiam in ijs quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem aut decretalem aſſerendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici. Item & nouiſſimè fertur de Ioanne 22. *quòd publicè docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit, quòd animæ purgatæ ante finale iudicium non habent ſtolam, quæ eſt clara & facialis viſio Dei: & vniuerſitatem* Pariſienſem *ad hoc induxiſſe dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipiſci, niſi primitus hunc errorem peſtiferum iuraſſet ſe defenſurum, & perpetuò ei adhæſurum: Item patet hoc de errore quorundam Pontificum, de quo in cap.* Licet, *de ſponſa duorum. Item de errore quem ediderat* Cæleſtinus *circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæreſim, cuius error olim habebatur in alia Compilatione, in cap.* Laudabilem, *de conuerſ. coniugat. vt refert* Hoſtienſis *in cap.* Quanto, *de diuortijs: Non tamen dico* Græ gorium *hîc erraſſe, ſed euacuare intendo impoſſibilitatem errandi, quam alij aſſerunt.* Hæc Hadrianus in 4. de Sacramento *Confirmationis* circa finem. Neque enim hoc alicuius vel ſanctitati, vel eruditioni quidquam derogat, quòd per ignorantiam, & abſque pertinacia aliquando erret, cum res plurimas ignorare congenita humani ingenij infirmitas, & non niſi raro vitium ſit, & S. *Cyprianum*, *Iuſtinum*, *Irenæum*, *Chryſoſtomum*, alioſque ſanctiſſimos, atque doctiſſimos Eccleſiæ Patres in aliquibus per ignorantiam erraſſe Doctores Scholaſtici affirmare non pertimeſcunt.

20 *Nec obſtat*, ait *Leſſius*, [o] *quòd aliqui Doctores hanc poteſtatem Pontifici denegent, vt* Durandus, Bonauentura, Adrianus, *& quidam recentiores.*

[o] pag.49.

recentiores. Primo, *quia multa in ſe ſunt certa, & nituntur certa traditione, vel ſcriptura, quæ tamen apud quoſdam Doctores ſunt ambigua vel falſa; vt patet de baptiſmo hæreticorum, quem* Cyprianus *cum* 200. *Africæ Epiſcopis volebat eſſe inualidum, cum* Sedi Apoſtolicæ *certa traditione conſtaret eſſe validum.*

De Sacramento Confirmationis, *quod quidam Doctores voluerunt eſſe institutum à Concilio* Meldenſi, *vel alijs Epiſcopis instinctu Spiritus Sancti, cum tamen fide certum ſit, eſſe institutum à Chriſto Domino, vt patet ex Concilio Tridentino ſeſſ.* 7. *can.* 1.

De Sacramento Extremæ vnctionis, *quod quidam dixerunt eſſe institutum à S.* Iacobo, *tamen fide certum eſt, eſſe institutum à Chriſto Domino, & à S.* Iaçobo *tantum promulgatum. Concil.* Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 1.

De abſolutione Sacerdotis in Sacramento Pænitentiæ, *quam quidam putarunt eſſe tantum declaratoriam, non efficacem remiſſionis; cum tamen contrarium certum ſit, tum ex Scripturis tum ex Concilio* Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 9. *Similia multa adferri poſſent. Itaque hæc ratiocinatio, qua Aduerſarij ſæpe vtuntur, non valet; Aliqui Doctores dubitarunt, vel tenuerunt contrarium ergo ea res non eſt çerta.*

21 Immo hæc ratio qua vtimur optima eſt: Aliqui Doctores Catholici, vt *Adrianus, Bonaventura, Durandus*, & quidam recentiores, qui rem totam diligenter examinârunt, exiſtimant, non poſſe Summum P*ontificem* facultatem ſimplici Præsbytero concedere, vt Sacramentum *Confirmationis* adminiſtret, nec propterea tanquam

doctrinam aliquam hæreticam, erroneam, aut temerariam tenentes ab Eccleſia notantur; ergo contraria doctrina non eſt certa quoad Eccleſiam, id eſt, adeo certa, vt Doctores Catholici eam licitè, & tuta conſcientia impugnare non queant. Quapropter quod *Leſſius* ait, *multa in ſe, & Summis Pontificibus ſunt certa, & nituntur certa traditione, vel ſcriptura, quæ tamen apud quoſdam Doctores ſunt ambigua, vel falſa*, & falſum eſt, & etiamſi verum eſſet, ad præſentem inter me, & ipſum controuerſiam nihil faceret.

22 Nam *imprimis certitudo* propriè dicta vt à *probabilitate*, de qua iam ſermo eſt, diſtinguitur, nõ eſt in re ipſa, ſed in intellectu, vnde *multa falſa*, vt rectè dixit *Bannes*, *ſunt probabiliora veris*, & omnia præterita, ac præſentia *in ſe certa* ſunt, tametſi *quoad nos* ſæpe incognita, aut incerta. Itaque licèt in ſe certum ſit, & certa traditione vel ſcriptura nixum, *Christum* Dominum tantam in particulari & non maiorẽ nec minorem, ſed *certiſſimam* authoritatem S. *Petro*, cæteriſque Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus conceſſiſſe, tamen vt optimè dixit *Almainus* illud ex *Occamo* deſumens, *tanta eſt inter Doctores controuerſia de plenitudine Eccleſiaſticæ poteſtatis, & ad quæ ſe extendat, vt pauca ſint in iſta materia ſecura*, ſeu certa: *ita quòd his temporibus ſummè neceſſarium foret, quòd per ſapientes iuramentis, & horribilibus comminationibus ad veritatem ducendam arctatos declararentur, quæ ad plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ ſpectant. Quidam enim eam nimium ampliant, & dilatant forſitan adulationis cauſa, & ab aliquibus mirum in modum reſtringitur hæc poteſtas, &c.* Et proinde

Bannes ſecunda ſecundæ q. 1. ar. 4. dub. 3. ad quintum

Almainus in libello de authoritate Eccleſiæ c. 3. 4.

inde quantumuis *in ſe certum* ſit, quanam ſcriptura, vel traditione tota Eccleſiæ poteſtas nixa ſit, non tamen hoc adhuc *quoad Eccleſiā*, aut *Doctores Catholicos certum* eſſe, quiſquam, qui vel parū intelligens eſt rerū, de quibus diſputat, affirmare poteſt.

23 *Secundò*, omnis *vera certitudo* de rebus à *Deo* reuelatis (iam enim de *putata*, aut *opinata certitudine*, ſeu quam aliquis opinatur ſe habere, non loquimur, cum hęc tantùm *opinio*, quæ incerta eſt, & errori obnoxia, non *vera certitudo* ſit) non niſi per diuinam reuelationem acquiri poteſt: hæc autem vel eſt *priuata*, per quam Deus priuato alicuius ſpiritui rem aliquam reuelat, ſicut olim in veteri Teſtamento Patriarchis, & Prophetis, atque in nouo Apoſtolis, alijſque nonnullis viris ſanctis plura reuelauit; vel *publica*, & quæ verbo Dei publicè ſcripto, vel tradito, atque vt tali per Eccleſiam acceptato tanquam primo ac potiſſimo fundamento innititur.

24 Quando igitur *Leſsius* ait, *quædam eſſe certa Sedi Apoſtolicæ*, ſeu *Summis Pontificibus, quæ alijs Doctoribus ſunt incerta, vel etiam falſa*, aut intelligit, illos Pontifices ſuam *certitudinem* ex *publicis* Dei reuelationibus, nempe ex verbo Dei *publicè* ſcripto vel tradito, atque vt tali *publicè* per Eccleſiam declarato, accepiſſe; & hoc dici non poteſt, quandoquidem *publicæ* reuelationes, *publicæ* ſcripturæ, & traditiones, *publicæ* Eccleſiæ definitiones, *publica* Sanctorum Patrum doctrina, & vox Eccleſiæ *publica*, non ſolùm *Sedi Apoſtolicæ*, ſeu *Summis Pontificibus*, verùm alijs etiam *Doctoribus* manifeſtæ ſunt. Et propterea Doctores Catholici, qui in verbo *Dei* ſcripto, ac tradito, in *Sanctorum* Eccleſiæ *Doctorum* voluminibus, *Concilio-*

ciliorum generalium definitionibus, & *Summorum Pontificum* decretis euoluendis, non minùs, quin magis, quàm illi *Pontifices* verſati ſunt, & in *Sacra Theologia* longè peritiores, de rebus à Deo *publicè* reuelatis tam *certi*, atque illi *Pontifices*, vel potiùs *certiores* eſſe poſſunt.

25 Immo quod attinet ad hanc quæſtionem de Sacramento Chriſmatis à Præsbytero cum Summi *Pontificis* licentia adminiſtrando, & in alia de poteſtate ipſius Summi *Pontificis* in matrimonio rato non conſummato diſpenſandi, ipſemet *Hadrianus* & *Summus Pontifex*, & alioquin etiam valde eruditus exiſtimat, *Sedem Apoſtolicam* non habere authoritatem vel ſimplici Sacerdoti, vt Sacramentum Chriſmatis conficiat, licentiam concedendi, vel in matrimonio rato, non conſummato diſpenſandi, tametſi Summi *Pontificis* tali poteſtate ſæpenumero vſi fuerint. *Adrianus* enim ſextus, ait *Sotus*, *vir tum vtriuſque Iuris peritiſsimus, tum & rei Theologicæ non infimè doctus, cùm ab illo huiuſmodi diſpenſatio in matrimonio rato, non conſummato fuiſſet poſtulata, oblataque fautrix ſententia* Caietani, *demiratus eſt, virum Theologum hoc ſibi in animum inducere potuiſſe, & ideo improbis precibus ſuccumbens, reſpondit, ſe dare quid potuit, ſed tamen credere nihil poſſe.* Adeo vt hinc etiam conſtare poſſit, quam egregium figmentum ſit aſſerere, res quaſdam, quę per *publicas* Dei reuelationes, ſiue ſcriptas, ſiue traditas, atque vt tales ab Eccleſia approbatas notę fiunt, *certas* eſſe Summis *Pontificibus*, quæ ab alijs Doctoribus, & forſan non minùs, ſed magis in omni ſacrę doctrinę genere peritis, quique rem

Sot. in 4. diſt. 27. q. 1. ar. 4.

rem totam diligentiſſimè examinarunt, *incerta*, vel etiam falſæ iudicantur.

26 Vel *ſecundò* intelligit *Leſsius*, *Sedem Apoſtolicam*, ſeu *Summos Pontifices* illam ſuam certitudinem non ex *publicis*, ſed ex *priuatis* reuelationibus, & ſecretis atque occultis inſpirationibus accepiſſe; Sed hoc etiam vanum eſſe commentum, & meram diuinationem, *quæ*, vt rectè ait idem *Adrianus*, *in ijs quæ fidem, aut bonos mores concernunt, periculoſiſſima eſt*, ſatis manifeſtum eſt, quandoquidem certum non ſit, *Chriſtum* Dominum *publicis* Summorum *Pontificum* ex Cathedra definitionibus, ſi abſque *Concilio* generali definiant, & multo minùs *priuatis* eorum iudicijs, aut ſecretis cogitationibus infallibilem Sancti Spiritus aſſiſtentiam promiſiſſe. Et quod attinet ad *priuatas* reuelationes, cum hæ & rariſſimæ ſint, & alijs etiam Doctoribus, ſanctiſque hominibus communes, tam facilè ipſi *Doctores*, qui contra *Pontifices* ſentiunt, atque ipſi *Pontifices*, qui ſe meliùs ſentire exiſtimant, tales reuelationes, & inſpirationes ſecretas prætendere poſſunt.

Hadrianus q. vltima de Cōfirmat.

27 Sed demus diſputationis tantùm gratia, quòd quędam per *priuatas* reuelationes, aut ſecretas illuminationes ſint *certa* Summis *Pontificibus*, quæ alijs *Doctoribus* pijs ac eruditis ſunt *incerta vel etiam falſa*, num proinde *Leſsius* affirmare audeat *Doctores* illos *priuatum* Summi *Pontificis* iudicium, quod *certum* eſſe ipſemet ait, ſequi omnino oportere, niſi ſufficienter illis probet, & manifeſtum reddat, quibus rationibus nixus ita *certò* ſciat, ſuum de tali re iudicium, quod ipſi

falſum iudicant, reuera *certum* eſſe? Hæc enim periculoſiſſima procul dubio doctrina eſſet, & apertam hæreſibus, atque erroribus ianuam aperiret. Nam facillimum eſſet Summis *Pontificibus* aſſerere, quamcunque doctrinam, quam *Canoniſtæ ius diuinum*, ait *Sotus*, *non callentes*, ad poteſtatem *Pontificiam*, forſan adulationis cauſa dilatandam excogitarunt, ſibi *certiſſimam* eſſe, & proinde illi Theologi, qui eam nec *vmbram quidem probabilitatis habere* exiſtimant, illi ſubitò & abſque alia ratione, propria opinione relicta (quod ſane abſurdiſſimum eſt,) adhærere tenerentur.

Sot. in 4.d.18. q.1.ar.1. ad 5.

28 Clarum igitur & perſpicuum eſt, tam *Summum Pontificem* contra alios *Doctores* Catholicos ſentientem, quàm *Doctores Catholicos* qui à ſententia Summi *Pontificis* diſſentiunt, errare poſſe, quantumuis vtrique ſibi *certò* perſuadeant, doctrinam quam ſequuntur veritati conſonam eſſe. Sed quinam ex ipſis re quidem vera errent, quando inter ipſos *Summos Pontifices*, & alios *Doctores Catholicos* talis opinionum diuerſitas reperitur, vt vnuſquiſque ſuam ſententiam veram eſſe ſibi firmiter perſuadeat, non niſi ex euentu cognoſci *certò* poteſt. Si enim doctrina, quæ *Summo Pontifici certa*, alijs vero *Doctoribus incerta*, aut etiam falſa videtur, poſtea in *Concilio* aliquo *Generali* per publicam aliquam definitionem confirmata, aut per generalem *Eccleſiæ* conſenſum & acceptationem approbata fuerit, ſignum eſt euidens, iudicium *Papæ* veriſſimum fuiſſe, & alios *Doctores* à veritate aberraſſe. Ob quam cauſam dicimus, S. *Cyprianum* cum 200. Africæ Epiſcopis circa baptiſmum ab hæreticis col-

latum erraſſe, & Summos Pontifices *Cornelium*, & *Stephanum*, qui ſe S. *Cypriano* opponebant, nequaquam erraſſe, cum horum *Pontificum* ſententia generali *Eccleſiæ* conſenſu poſtea approbata fuerit. Et idem de inſtitutione Sacramenti *Confirmationis*, atque *Extremæ vnctionis*, & de abſolutione Sacerdotis in *Sacramento Pœnitentiæ*, quæ hîc à *Leſſio* recenſentur, dicendum eſt, cùm iam per Concilij *Tridentini* decreta tota inter *Doctores Catholicos* de prędictis cõtrouerſia extincta fuerit.

29 Atq; ob eandẽ cauſam dicimus, erraſſe Sũmos Pontifices *Cæleſtinum* tertium, qui in Epiſtola Decretali publicè docuit, per hæreſim ita Matrimonium ſolui, vt liceat ei aliud coniugium inire, cuius prior coniũx in hæreſim lapſus eſt, cum ea doctrina iam in Concilio *Tridentino* condemnata ſit; & *Nicolaum* primum, qui in Epiſtola etiam decretali palam docuit, Baptiſmum in nomine tantùm Chriſti collatum abſque expreſſione trium perſonarum ratum eſſe, cùm eius doctrina generali Theologorum conſenſu iam reiecta fuerit: & *Ioannem* 22. qui publicè etiam docuit, animas Beatorum non viſuras eſſe Deum ante reſurrectionem, cùm hęc eius doctrina à Succeſſore eius *Benedicto*, & ab omnibus Doctoribus Scholaſticis reprobata fuerit, & denique *Bonifacium* octauum, qui *Philippo Pulchro* Francorum Regi ſcribens, ait, *Scire te volumus, quòd in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Aliud credentes hæreticos reputamus*, cùm illi, qui contrarium tenent, à nemine hæretici iudicentur, & eius doctrina à nullo iam Theologo vix vllo modo probabilis reputetur: Et ob eandem cau-

ſam dicimus, *Doctores* illos, qui contra prædictos *Pontifices* ſentiebant, nequaquam erraſſe. Veruntamen, quamdiu *Summus Pontifex* & alij *Doctores Catholici* de re aliqua certant, nemo *Pontificis* ſententiam ſequi tenetur, neque poteſt ipſe, quantumuis rem illam *certam* eſſe ſibi perſuadeat, dummodo alij *Doctores*, non obſtante hac eius *opinata certitudine*, eam falſam arbitrantur, aliquem cogere, vt propriam ſuam ſententiam ad verbum Summi P*ontificis* derelinquat, tametſi Summi P*ontificis* de re quauis iudicium, cum Pater, & Paſtor noſter ſpiritualis ſit, non niſi ſumma cum reuerentia, & verbis decentiſſimis, ab vllo Eccleſiæ Catholicæ filiò impugnari debeat.

30 Atque hinc perſpicuũ eſt, tum falſum eſſe, tum nihil etiam ad pręſens inſtitutum referre, quòd res aliqua vel *in ſe certa* ſit, vel Summo *Pontifici certa* eſſe videatur, ad hoc vt omnes Catholici ſententiam Summi *Pontificis* ſequi teneantur. Si enim res illa *quoad Eccleſiam certa* non ſit, ſed à Doctoribus Catholicis tum antiquis, tùm recentioribus falſa iudicetur, ea Summi *Pontificis certitudo*, ſiue vera ſit, ſiue tantùm apparens, ſi ab alijs Doctoribus improbetur, non ſatis eſt, ad hoc vt reliqui omnes Catholici Summo *Pontifici* ratione talis *certitudinis*, quæ ab alijs *Doctoribus* non *certitudo*, ſed *falſitas* iudicatur, fidem indubiam adhibere teneantur. Optima igitur, & præſenti inſtituto accommodata eſt hæc ratiocinatio. *Aliqui Doctores tum antiqui, tum recentiores tenuerunt & tenent contrarium, ergo ea res nec eſt certa* Summo Pontifici *etiamſi certa eſſe ei*

videatur; nec eſt certa quoad Eccleſiam, adeo vt nullus fidelium Summi *Pontificis* ſententiæ, quam ipſe *certam* eſſe opinatur, abſque aliqua hæreſeôs, erroris, aut temeritatis nota repugnare queat. Atque hæc de *prima Leſsij Reſponſione* dicta ſint.

[p] Nu. 26. pag. 51.

31 *Reſpondeo*, ait *Leſſius*, [p] *ſecundò. Etiamſi concederemus, rem non eſſe omnino certam, nihil tamen hinc incommodi. Quia communis ſententia Doctorum eſt, eaque certiſſima, in adminiſtratione Sacramentorum, quando caſus neceſsitatis poſtulat, licitum eſſe vti opinione probabili, idque communis Eccleſiæ vſus confirmat; vt patet, cum infans baptizatur in manu duntaxat, eo quòd aliæ partes non exerantur. Cum is qui dedit ſigna contritionis in abſentia Sacerdotis abſoluitur amiſſo vſu rationis: Cum Sacramentum Extremæ Vnctionis confertur in dubio, an expirauerit æger, &c. Neque hic eſt vllum periculum formalis ſacrilegij, aut alicuius peccati; ſed propter animæ bonum (quæ fortaſſe alioquin periret, & hac ratione ſaluanda ſperatur) id abſolutè eſt licitum & ſanctum. Pari modo nec gens aliqua ſacramento Confirmationis (quod magnum habet momentum ad fidem conſtanter retinendam, & profitendam) careat, poſſet Pontifex inopia Epiſcoporum, qui id præſtent, concedere Præsbyteris hanc poteſtatem, etiamſi non eſſet omnino certum, an Sacramentum validè conferatur, modò ſit valde probabile. Satius eſt eos hoc modo percipere, quàm omnino eo priuari. Id enim in nullius cedit iniuriam, & inde ſperatur magnum bonum ſpiritale illi regioni obuenturum, quo alioquin deberet carere. Itaque hæc inſtantia nihil facit ad propoſitum, vbi de grauiſsimis inin-*

iniurijs, & periurijs agitur.

32 Sed ſi *Leſsius* ſemel conceſſerit, vti neceſſariò debet, non eſſe omnino certum, ſed ad ſummum probabile, poſſe Summum P*ontificem* ſua conſtitutione ſimplici Præsbytero licentiam impertiri, vt Sacramentum Confirmationis adminiſtret, cùm plures Catholici Doctores tam antiqui, quàm recentiores contrarium aſſerant, aliqua hinc naſci incommoda nimis manifeſtum eſt. P*rimum incommodum*, atque à me in hoc primo *exemplo* pręcipuè intentum, eſt, propoſitionem illam vniuerſalem, cui *prima*, & *ſecunda Leſsij* obiectio, tanquam principio generali innititur, nempe *illa doctrina debet eſſe certiſsima atque ad fidem pertinere, quam Summi* P*ontifices ſupponunt vel proponunt, tanquam fundamentum ſuarum conſtitutionum, & ſententiarum iudicialium,* falſam eſſe: Non enim fundamentum iſtud Conſtitutionis P*ontificiæ*, qua ſimplici Præsbytero facultas conceditur Sacramentum Chriſmatis adminiſtrandi, certum eſt, & ad fidem pertinet, ſed incertum, immo & falſum à pluribus doctiſſimis Theologis iudicatur: falſam etiam eſſe propoſitionem illam, in qua *tertia* eius *obiectio* fundatur, nempe *non poſſe Summum* P*ontificem* (in quo *Leſsius* totam Eccleſiæ infallibilitatem collocat) *errare, docendo generatim aliquid eſſe licitum quod iniquum, aut iniquum quod licitum*, nam generatim docet, Sacramentum Confirmationis à Præsbytero cum eius licentia collatum eſſe validum, & abſque ſacrilegio, falſitate, aut iniquitate collatum: neque enim nos in præſenti de errore, iniquitate, aut ſacrilegio *formali*, ſed tantùm de

materiali, atque de vera & valida huius Sacramenti adminiſtratione, neque de tali licentia ſolùm tempore neceſſitatis conceſſa, ſed extra etiam tempus neceſſitatis ſimplici Præsbytero communicata potiſſimùm agimus, vt ſtatim clariùs apparebit.

33 *Deinde*, inter exempla à *Leſsio* allata, de licita adminiſtratione illorum Sacramentorum ex opinione probabili, quando caſus neceſſitatis poſtulat, & inter primum iſtud de Sacramento Confirmationis à ſimplici Sacerdote ex commiſſione Summi P*ontificis* licitè adminiſtrando, exemplum à me adhibitum, magnum diſcrimen reperitur (nam de vera & valida Sacramentorum omnium adminiſtratione etiam in caſu neceſſitatis, quando de eorum veritate, & validitate certant Scholaſtici Doctores, eandem eſſe rationem nec *Leſsius* negare poterit.) Communis enim ſententia Doctorum eſt, eaque veriſſima & communi etiam Eccleſiæ vſu confirmata, in adminiſtratione illorum Sacramentorum, nempe *Baptiſmi*, P*œnitentiæ*, & *Extremæ Vnctionis*, non ſolùm licitum non eſſe vti opinione probabili, niſi quando neceſſitas poſtulat propter animæ bonum, quæ fortaſſe alioquin periret, & hac ratione ſaluanda ſperatur, verùm etiam eadem Sacramenta, quando neceſſitas illa iam prÿterijt, iuxta eam opinionem quæ certa eſt, & abſque vllo periculo aut controuerſia, denuo, ſi fieri poteſt, ſaltem ſub conditione repetere, eſſe omnino neceſſarium, propter idem animę bonum, quæ fortaſſe alioquin periret; cum incertum ſit, an in prædicto caſu neceſſitatis prædicta Sacramenta, non dico licitè,

&

& abſque ſacrilegio formali, ſed verè, validè, & cum effectu adminiſtrata fuerint. Vnde infans qui in manu duntaxat baptizatur, eo quòd aliæ partes non exerantur, ſi totum corpus poſtea exierit, iterum ſub conditione baptizari debet, vt etiam habetur can. P*arvulos*, & can. P*lacuit*, de Conſecrat. diſt. 4.

34 Iam tametſi *S. Gregorius* (vt quidam Theologi, ſed non omnes opinantur) Præsbyteris *Sardiniæ* facultatem conceſſerit, vt in caſu neceſſitatis, & vbi deſunt Epiſcopi, Sacramentum Chriſmatis conficerent, conſtat tamen, alios etiam Præsbyteros extra talem neceſſitatem, & vbi Epiſcopi non deſunt, idem Sacramentum ex conceſſione *Sedis Apoſtolicæ* adminiſtrare ſolitos eſſe, nempe aliquos *Abbates* ab Epiſcoporum Iuriſdictione exemptos, & inter alios *Abbatem* ſacri Cænobij *Caſſinenſis*, vbi tanta Epiſcoporum copia eſt, vt intra viginti ferme milliaria quatuor vel quinque Epiſcoporum Sedes ſint: Neque illarum Prouinciarum mos eſt, vt qui ab illis *Abbatibus* Sacramentum Confirmationis acceperunt, denuo ab Epiſcopis, tametſi id commodè fieri poſſet, ſaltem ſub conditione confirmentur, vt ita de effectu Sacramenti, de quo antea meritò dubitare poterant, iam certi & ſecuri maneant.

35 Quamuis igitur ex adminiſtratione huius Sacramenti, ſicut & cæterorum, vti opinone probabili in caſu neceſſitatis, & quando alio tutiori modo adminiſtrari non poteſt, nullum animarum ſaluti periculum immineat, neque vlla formalis irreuerentia, aut iniuria vel Sacramento,

vel perſonæ illud ſuſcipienti fiat, quia tutius eſt hoc modo, quàm non omnino illud ſuſcipere, vti tamen opinione probabili in adminiſtratione Sacramentorum extra caſum neceſſitatis, & quando abſque vlla controuerſia validè adminiſtrari poſſunt, atque etiam quando neceſſitas iam præterijt, ea denuo non repetere quando commodè id fieri poteſt, valde periculoſum eſſe nemo inficias ibit. Quare licèt error pernicioſus non ſit, illud Sacramentum adminiſtrare vt dubium, quod iuxta probabilem Doctorum ſententiam dubium eſt, non video tamen quomodo error pernicioſus dici non debeat, Sacramentum ex ſe non iterabile vt certò habiturum effectum adminiſtrare, quod tamen Doctores Catholici probabiliter exiſtimant non fore validum, niſi iuxta ſententiam omnino certam & indubitatam iterum, ſi commodè fieri poteſt, ſaltem ſub conditione adminiſtretur. Conſtat itaque, hoc *primum exemplum*, quod *Leſsius primam* meam *inſtantiam* non rectè appellat, & multùm facere ad propoſitum, & *Leſsium* non minùs imperitè quàm doloſè illud in vtraque ſua Reſponſione impugnare conatum eſſe; Quomodo autem tribus *Leſsij* obiectionibus, tertiæ præſertim, in qua de grauiſſimis iniurijs & periurijs agitur, optimè accommodari poſſit, inferiùs oſtendemus. Atque hæc de *primo exemplo* ſatis, nunc *ſecundum* expendamus.

SECTIO II.

In qua ſecundum Authoris *exemplum expenditur, & quàm imperitè ac doloſè* Leſsius *illud impugnare contendit, commonſtratur.*

1 S*Ecundum exemplum*, cui veluti fundamento tres meæ *Inſtantiæ* ſeu argumenta inferiùs recenſenda, partim etiam innituntur, quodque *Leſſius ſecundam* meam *Inſtantiam* malè appellat, his verbis continetur[a]. Præterea *Sixtus* quartus in honorem immaculatæ Conceptionis *B. Virginis Mariæ* Conſtitutionem edidit, de feſto Conceptionis eius celebrando, *Vt vniuerſi Chriſti fideles de ipſius immaculatæ Virginis mira Conceptione*, quam etiam immaculatam appellat, *gratias & laudes referant*; & nihilominùs incertum eſt, & apud Theologos abſque vlla hæreſeôs, erroris, aut peccati mortalis macula hinc inde diſputatum, vtrùm B. *Virgo* in ſua Conceptione peccatum originale contraxerit, vel peculiari Dei prouidentia ab eo præſeruata fuerit. An non igitur hinc conſtat, doctrinam illam, quę à Summo *Pontifice* tanquam fundamentum conſtitutionis, & decreti Apoſtolici, etiam ad religioſum Dei cultum pertinentis, vel proponitur, vel ſupponitur, non eſſe tam certę, atque indubitatæ veritatis, vt abſque grauis peccati periculo oppugnari nequeat?

2 Iam videamus, quàm parum eruditè, pariter ac ſincerè *Leſſius* prædictum exemplum in-

[a] Nu. 57.

Habetur tom. 4. *Concil.* poſt vitam *Sixti.* 4.

firmare conetur. *Reſpondeo*, inquit, [b] *primò: Negando illam doctrinam ſupponi tanquam fundamentum poteſtatis Pontificiæ inſtituendi tale Feſtum; aut etiam vt fundamentum talis decreti, & conſtitutionis, quamuis fuerit nonnulla occaſio illius* Decreti. *Ratio eſt, quia etiam ſepoſita illa Doctrina Pontifex habet poteſtatem decernendi tale Feſtum, eo quòd Conceptio Virginis ſit ingens Dei beneficium, & exordium ſalutis generis humani. Vnde in honorem Virginis conceptæ (non conſiderando, vel curando an in primo inſtanti fuerit ſanctificata, an paulo poſt) & ad gratiarum actionem Deo pro tanto beneficio referendam, tale Feſtum decerni potuit. Et hoc intuitu Feſtum iſtud fuiſſe inſtitutum apertè indicat* Sixtus 4. *illis verbis*, gratias & laudes referant. *Simili modo olim in veteri Teſtamento feſti quidam dies in commemorationem quorundam beneficiorum, & gratiarum actionem à Synagoga ſunt inſtituti, vt pro liberatione à cæde, quam inſtruxerat Aman, tempore Heſter: pro beneficio reſtituti ignis ſacri poſt captiuitatem: pro beneficio repurgati templi, ſub* Machabæis. *Si Synagoga id potuit, cur non poſſit Eccleſia?*

[b] Nu. 27. pag. 53.

3 *Nec obſtat, quod Conceptio* à Sixto 4. *vocetur in collecta* immaculata; *tum quia nomen* Conceptionis, *non ſemper reſtringitur ad primum inſtans infuſionis animæ, vt ſtatim dicetur; tum quia in Liturgicis precibus, & canticis, quæ ſequentiæ vocantur, poſſunt interdum aliquæ circumſtantiæ poni ex probabili ſententia, cum in illis non conſtituatur momentum cauſæ, nec Eccleſia velit illas accipi tanquam certas; vt ſi pro obtenta in loco remotiſſimo ingenti victoria indicatur Feſtum, & offeratur Sacrificium*

Eccleſiaſticum, & in Collecta erretur in die; error prorſus eſt innocuus, nec officit Eccleſiæ authoritati. Quia non vult hoc accipi vt planè certum, ſed ſolum vt credibile ex literis quæ ex caſtris data. Pari modo potuit vocari Conceptio immaculata *ob plurimas rationes valde probabiles, abſque animo id determinandi, relicta cuilibet libertate ſentiendi de illa circumſtantia prout viſum fuerit.*

4 *Huic Reſponſioni ſolidæ addo aliam etiam ſolidam, nimirum Conceptionis feſto non coli preciſè ipſum punctum Conceptionis, ſed diem totum quo Virgo concepta. Atqui eo die ſecundùm omnium ſententiam ſanctificata eſt; ac proinde nullum hic ſubeſt falſitatis, aut ſuperſtitionis periculum. Confirmatur, Quia Conceptio non ſolùm includit primum punctum temporis, quo anima creatur, & infunditur, ſed totum illud quo extenditur per omnia corporis membra, illaque incipit non ſolùm animare, ſed etiam vitaliter regere, & in illis vim ſuam exercere. Nam probabiliſſima ſententia eſt, quam & Doctiſſimi Medicorum tenent, animam non ſimul informare, & animare omnia corporis membra in conceptione, ſed ſenſim & ordine quodam, primùm cor, deinde hepar, poſtea cerebrum (nam hæc viſcera primùm informantur) ab his ſenſim diffundi, & extendi ad arterias, venas, neruos, muſculos, oſſa. Diffundi inquam, & extendi, non per partes ſui, quibus caret, ſed miro, & ineffabili modo per ſuas* ὁλότητας, *ſeu (vt ſic loquar) totalitates. Vnde etiamſi fortè B. Virgo in primo Conceptionis momento ſanctificata non fuiſſet, non tamen idcirco eius Conceptio non eſſet ſancta & immaculata, quia durante adhuc Conceptione ſanctificata, &*

ab omni labe mundata extitiſſet.

5 *Nec obſtat, quòd Eccleſia in eam ſententiam inclinet, quæ ſtatuit illam in primo inſtanti ſanctificatam. Quia in eam non inclinat tanquam certam, ſed ſolùm vt probabiliorem; neque vult illam pro certa haberi, ſed ſolùm pro magis probabili. Vnde ſub graui cenſura vetat contrariam damnari. Ex quibus patet illam non ſtatui ab Eccleſia tanquam fundamentum decreti illius, quo feſtum indixit, ſed ſolùm vt occaſionem quandam, quæ illam ad hoc excitauit. Cuius ſignum eſt, quòd etiam illi qui contrarium tenent, non minùs hoc Feſtum celebrent, quàm alij. Ex quibus perſpicuum eſt, hanc inſtantiam nihil facere ad rem propoſitam, neque illi poſſe accommodari.* Hæc *Leſsius.*

6 Ex quibus conſtat, totam ſubſtantiam huius Reſponſionis in *duobus* conſiſtere. *Primum* eſt, doctrinam illam de immaculata B. *Virginis* Conceptione non ſupponi tanquam fundamentum poteſtatis *Pontificiæ* inſtituendi tale Feſtum. Sed de hoc in præſenti non agimus: Non enim modò diſputamus de poteſtate inſtituendi dies feſtos, an ſcilicet Summus *Pontifex* habeat poteſtatem inſtituendi Feſtum Conceptionis B. *Virginis* tantum in gratiarum actionem, & commemorationem tam ingentis beneficij, quod exordium erat ſalutis generis humani, etiamſi ſupponamus eam in peccato originali conceptam fuiſſe; ſed de ipſomet *decreto*, & non de *poteſtate decernendi*, de modo quo Feſtum hoc Conceptionis ex decreto *Pontificis* de facto inſtitutum eſt, & non de modo, quo inſtitui potuiſſet, iam inquirimus. Quare quod *Leſsius* ait, & multis

probat, Feſtum Conceptionis in gratiarum actionem & commemorationem tanti beneficij per authoritatem *Pontificis* inſtitui potuiſſe, tametſi B. *Virgo* à peccato originali præſeruata non fuerit, ſicut olim in veteri Teſtamento feſti quidam dies in commemorationem quorundam beneficiorum, & gratiarum actionem à *Synagoga* ſunt inſtituti, friuolum eſt, & nihil ad propoſitum facit, neque *ſecundum* hoc *exemplum*, in quo agitur de decreto ipſo *Sixti* 4. & de modo quo Feſtum hoc de facto inſtitutum eſt, & non quo inſtitui potuiſſet, vlla ratione impugnat.

7 *Secundum Leſſij* reſponſum eſt, doctrinam illam de præſeruatione B. *Virginis* non ſupponi tanquam fundamentum ipſius decreti, & conſtitutionis *Pontificie* de Feſto Conceptionis B. *Virginis* celebrando. Atque hæc Reſponſio, quam ipſe ſolidam vocat, ſicut & præcedentem, *ſecundum* illud *exemplum* à me poſitum directè primo intuitu impugnare videtur, ſed reuera non impugnat, ſi verum controuerſiæ inter me & Aduerſarios ſtatum, atque in hac ipſa Præfatione, cuius poſtremam partem *Leſsius* confutandam ſuſcepit, à me propoſitum in mentem reuocemus. Ne igitur de verbis otioſè litigemus, ſi *Leſsius*, quando hanc ſuam Reſponſionem *ſolidam* eſſe affirmat, per *ſolidam* intelligit non improbabilem, vtpote à doctiſſimis Ordinis *Dominicani* Theologis, qui cum S. *Thoma* ſentiunt, B. *Virginem* peccatum originale contraxiſſe, propugnatam, & proinde *ſecundum* illud *exemplum* à me allatum non improbabiliter impugnari poſſe, hęc eius *ſolida* Reſponſio

non eſt ad propoſitum, neque exemplum illud *ſecundum*, & reſponſa mea, atque argumenta in eo fundata non eſſe etiam *ſolida* vllatenus commonſtrat. Etenim cùm Aduerſarij, vt ibidem fuſius annotaui, doctrinam ſuam de poteſtate *Pontificis Principes* deponendi *de fide certam* eſſe demonſtrare prætendant, non ſufficit illis rationes, aut Reſponſiones tantùm probabiles in medium proferre, ſed oportet tam *ſolidas* producere, vt illis nulla reſponſio, aut refutatio probabilis adhiberi queat.

8 *Secundò* igitur, ſi *Leſsius* per Reſponſionem *ſolidam* intelligat eam, quæ ab vniuerſis Theologis *ſolida* iudicatur, neque ab vllo Catholico abſque nota temeritatis, ſeu improbabilitatis impugnari poteſt, in quo ſenſu Reſponſionem *ſolidam* accipere eum oportet, ſi ad propoſitum loqui, & *ſecundum* illud meum *exemplum* refutare velit, neſcio ſanè vtrùm in imperitiæ, an malitiæ, & meræ deſperationis reprehenſionem incurriſſe cenſendus ſit, quem malæ cauſæ, quam propugnandam ſuſcepit, patrocinium in tales anguſtias redegit, vt communem doctiſſimorum ſuæ Societatis Theologorum, nempe *Alphonſi Salmeronis*, *Franciſci Suarez*, & *Gabrielis Vaſquez* doctrinam vt parum *ſolidam*, id eſt, in hoc ſenſu *temerariam*, ſeu *improbabilem* ſatis temerè reijciat, & ad communia *Thomiſtarum* effugia, quæ prædicti *Doctores* & viderunt & confutarunt, abſque vlla prorſus illarum reſponſionum, quas ipſi adhibuerunt, facta mentione, confugere ſit coactus. Docent enim *Doctores* illi, rationem fundamentalem, ob quam

Salmeron ad Rom. diſp. 51. *Suarez* tom. 2. diſp. 3. ſec. 5. *Vaſquez* in 3. part. tom. 2. diſp. 117. c. 5.

quam *Sixtus* quartus Feſtiuitatem Conceptionis B. *Virginis* celebrandam decreuit, fuiſſe hanc doctrinam, quòd B. *Virgo* à peccato originali omnino præſeruata fuerit. Quod vt magis perſpicuum faciamus, non abs re erit, quæ de hac re ſcribit *Franciſcus Suarez* (à quo *Salmeron*, & *Vaſquez*, quod ad rem ipſam attinet, non diſſentiunt) ad verbum referre.

9 *Tandem verò*, ait *Suarez*, *Romana Eccleſia ante ducentos annos celebritatem hanc generaliter amplexa cultoribus eius ſingulares indulgentias impertit. Vnde quodãmodo videtur Conceptionem Virginis canonizaſſe. Non eſt ergo pium credere, Eccleſiam in re tam graui decipi, aut falſo fundamento vti. Dicetur fortaſſe non celebrari hanc Conceptionem eo quod ſancta ſit, ſed quia magnum fuit Dei beneficium, initiumque maiorum. Sed hoc nulla ratione probandum eſt, quia (vt ex ſenſu fidelium conſtat) Eccleſia non celebrat hoc Feſtum tantùm in gratiarum actionem reſpectu Dei, ſed etiam in honorem Virginis; non eſſet autem Virgo honore digna propter Conceptionem ſuam, niſi in illa ſancta fuiſſet. Deinde D.* Thomas, Bernardus, *&* Ildefonſus *putant ſatis probari, Virginem tempore Natiuitatis ſua fuiſſe ſanctam, quia Eccleſia Natiuitatem celebrat, ergo idem iudicium ferrent de Conceptione ſi Feſtum celebrari conſpicerent. Denique* Galatinus *lib.7.cap.5. dicit, in quibuſdam Martyrologis expreſſe poni Feſtum Conceptionis propter ſummam puritatem, & ſanctitatem illius, & ex dicendis hoc fiet euidentius.*

10 *Iam verò dicunt alij, non celebrari Feſtum* Conceptionis, *ſed* Sanctificationis, *quocunque*

tempore ſit facta, vel certè (ſi celebratur dies Conceptionis) *non ideo eſſe, quia in primo inſtanti, ſed quia illo fortaſſe die ſanctificata fuit. Sed hoc etiam eſt contra Eccleſiæ mentem, quæ ſemper intendit ſpeciale Virginis priuilegium, & immunitatem hoc Feſto celebrare, cuius rei manifeſta ſunt ſigna. Primò quia* Bernardus *dicta epiſtola* 174. *hoc ſenſu intellexit mentem Eccleſiarum, quæ hoc Feſtum colere incipiebant. Nam ſi ſolam ſanctificationem celebrarent, non eſſet cur illas reprehenderet.* Deinde, *Concilium* Baſilienſe *ſeſſ.* 36. *disertè dicit, antiquam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem celebrandi hoc Feſtum in honorem immacultatæ Virginis Conceptionis.* Tertiò, *in quodam officio Romano de hoc Feſto, quod* Sixti 4. *authoritate confirmatum eſt, ſæpe hoc expreſſè dicitur, & intentio huius Feſti declaratur. Et eodem modo loquitur* Sixtus 4. *in Extrauag.* Cum præ excelſa, *& Extrauag.* Graue nimis *de Reliquijs & venerat. Sanctorum, vocans* Conceptionem *puram & immaculatam, & concedens indulgentias hoc piè credentibus, & colentibus. Et ita etiam intellexit hæc decreta Concilium* Tridentinum *ſeſſ.* 5. *vbi illa confirmat. Vnde idemmet* Sixtus 4. *dicit, non peccare eos, qui ſentiunt B.* Virginem *fuiſſe conceptam ſine peccato, & propterea Feſtum eius celebrant. Eſt ergo hæc ſine dubio intentio, & ratio huius Feſtiuitatis. Adde, eodem modo dicere aliquem poſſe, cum Eccleſia celebrat Natiuitatem Virginis, non ideo eſſe, quia in ipſamet Natiuitate ſãcta fuerit, ſed quia intra illum diem fuit ſanctificata, at hoc planè falſum eſt, & abſurdum, vt ex dictis conſtat, ergo idem eſt in præſenti. Et ratio generalis eſt, quia Eccleſia propriè colit, & celebrat ipſa myſteria, & priuilegia*

Conceptionis, & Natiuitatis &c.

11 Igitur *Suarez* non tantùm dicit, verùm etiam probat, intentionem, rationem, & fundamentum huius decreti de Feſto Conceptionis B. Virginis celebrando fuiſſe doctrinam illam, quòd in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, ſeu animæ in aliquam corporis partem infuſionis, ſancta, immaculata, & ab omni peccati originalis labe præſeruata fuerit. Eaſdem rationes, quod ad ſubſtantiam earum attinet, *Vaſquez* affert, ſed aliam inſuper rationem quam nos etiam attigimus, ex verbis ipſius decreti deſumptam vrget; quia nimirum *Sixtus* 4. ibidem indulgentijs inuitat fideles, vt pro *ipſius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes Deo referant, & inſtituta propterea in Eccleſia Dei Miſſas & alia diuina officia dicant, & illis interſunt*; atqui *miram Conceptionem eam non vocaret, niſi præter morem conſuetum in gratia & ſanctitate* Virgo *concepta eſſet*: *Nihil enim aliud mirum eius* Conceptio *haberet, cùm more aliorum hominum, quod attinet ad naturam, concepta fuerit.* Igitur ſiue anima rationalis ſimul atque in eodem puncto temporis informet, ſeu animet totum corpus organizatum, & omnia eius membra, ſiue ſenſim & ordine quodam, per puncta quædam interpollata; primò cor, deinde hepar, poſtea cerebrum &c. de quo certant Philoſophi, ac Medici, & adhuc ſub Iudice lis eſt, parum aut nihil ad rem præſentem facit. Sentiunt enim prædicti Theologi, animam B. *Virginis* in primo inſtanti quo creata eſt, atque corpori infuſa, fuiſſe ſanctam & ab omni peccato liberam; atque in hoc ſenſu dicunt, Conceptionem

B. *Virginis* fuiſſe ſanctam, & in honorem huius ſanctæ Conceptionis ſeu à peccato præſeruationis feſtiuitatem Conceptionis illius fuiſſe à *Sixto* 4. inſtitutam.

12 Ex quibus perſpicuum eſt, ſecundum iſtud exemplum a me allatum eſſe ſolidiſſimum, & horum Societatis Ieſu Theologorum doctrinæ omnino conſonum, nempe, intentionem, rationem, & fundamentum decreti *Pontificij* de Feſto Conceptionis B. *Virginis* celebrando fuiſſe doctrinam illam, quòd B. *Virgo* in primo inſtanti Conceptionis à peccato præſeruata fuerit, atque in eum finem *Sixtum* 4. hoc Feſtum inſtituiſſe, *vt vniuerſi Chriſti fideles omnipotenti Deo de ipſius immaculatæ Virginis mira*, ſeu ſancta *Conceptione gratias & laudes referrent, & vt Feſtum eius eo fine celebrantes fierent eiuſdem Virginis meritis & interceſſione diuinæ gratiæ aptiores, atque indulgentias eo fine à Pontifice conceſſas conſequerentur.*

13 Sed forſan *Leſſius* horum Theologorum libros vel non perlêgit, & tunc non video, quomodo à magna temeritate, ne quid grauius dicam, excuſari poſſit, qui in re tam graui alios non tantùm docere, verum etiam tanquam ad propoſitum non loquentes, & parum intelligentes rerum de quibus diſputant, tam acriter reprehendere audeat, cùm tamen ipſemet alioquin celebris Sacræ Theologiæ Profeſſor, quid de hac re Theologica celeberrimi ſuæ *Societatis* Theologi ſcripſerint, penitus ignoret; vel ſi eos perlegerit, maiorem vtique reprehenſionem meretur, dum adeo fraudulenter rem tanti momenti tractet, & ad ipſorum doctrinam refellendam eadem planè

argumenta afferat, quæ ipſi confutarunt, & nihilominus eorum confutationes doloſe admodùm diſſimulet. Conſtat igitur, exemplum iſtud *ſecundum* plurimùm facere ad rem propoſitam, & optimè illi accommodari poſſe, cùm ex eo perſpicuè demonſtretur, eam doctrinam, quæ tanquam fundamentum conſtitutionis, decreti *Apoſtoli* a Summo *Pontifice* ſupponitur, ex ſententia doctiſſimorum ſuæ Societatis Theologorum non eſſe omnino certam, aut ad fidem pertinere. Quomodo autem *tribus* illis *obiectionibus* à *Leſſio* allatis & ſuprà commemoratis accommodari queat, inferius apparebit.

SECTIO III.

In qua tertium *exemplum* Authoris *defenditur*, *& quæ* Leſsius *contra illud obijcit refutantur*.

1 TErtium *Exemplum* à me in dicta *Præfatione* allatum, quod *Leſſius tertiam* meam
Inſtantiam haud rectè appellat, his verbis continetur. „
[a] *Demum* Summi *Pontifices* ſæpiſſimè diſpenſarunt „
cum *Principibus*, qui in Religionibus „
approbatis ſolenne caſtitatis votum emiſerunt, „
vt matrimonium contraherent, ſicut de *Conſtantia* „
Rogerij *Siciliæ* Regis filia, de *Caſimiro* Poloniæ, „
& *Ramiro* Aragoniæ Regibus, de *Nicolao Iuſtiniano* „
nobili Veneto, [b] alijſque pluribus hiſtoriæ „
produnt: Atqui ſi Summus *Pontifex* in voto ſolenni „
caſtitatis diſpenſandi authoritatem non habeat „

Tertiũ *Authoris* exemplum.

[a] nu. 58.

[b] Vide *Azorium* to. 1. l. 12. c. 7. q. 1.

“ beat, de quo inter Doctores contrauertitur, c e-
“ iuſmodi profectò diſpenſationes plurimorum ſce-
“ lerum cauſæ eſſent, & in grauem aliorum *Prin-*
“ *cipum* iniuriam cederent, qui ſuo iure regnandi,
“ atque in hæreditate ſuccedendi per illas diſpenſa-
“ tiones iniuſtè ſpoliarentur.

2 Iam ad iſtud exemplum *Leſſius reſpondet primò, Non ſatis conſtare de iſtis diſpenſationibus. Nam* Baronius *tom.* 12. *ad annum Domini* 1189. *oſtendit falſum eſſe, quod de Conſtantia fertur, ipſam Monialem fuiſſe. De* Nicolao Iuſtiniano (*cum cæteris omnibus ex Iuſtiniana familia extinctis, ne tam illuſtris ſtirps periret, cum eſſet Monachus,* Alexander 3. *dicitur nuptias conceſſiſſe*) *ſolum refertur ab Authoribus paucis, qui duobus ſeculis fuêre poſteriores, nempe à* Volaterrano *lib.* 4. *geographiæ, qui multa alia falſa, vel dubia commemorat, & ſcriptore vitæ* Laurentij Iuſtiniani, *qui* Volaterranum *fortè ſequutus, & alia parum ſolida aliorum fide ſcribit, vt de* Conſtantia *quadragenaria, &c. Nullus verò Author, qui tempore* Alexandri *vixerit, id ſcribit. De* Hamiro *Aragoniæ Rege, res vi potiùs peracta eſt, & Regni totius impetu, quàm Pontificis diſpenſatione. Quia Author non meminit huius diſpenſationis, quamuis credibile ſit, poſtea Pontificem præbuiſſe conſenſum. Vide* Marianam *in Hiſtoria Hiſpanica ad annum* 1134.

3 Sed tametſi de iſtis diſpenſationibus quoad rei veritatem non ſatis conſtet, cùm quidam Doctores, vt *Baronius*, & alij perpauci (ob rationes parùm efficaces, & maiori ex parte ab authoritate negatiuè ductas, quas nunc examinare ad quæſtionem principalem parum aut nihil faceret)

c Negant S. *Thom.* ſecundæ ſecundæ q.88. ar.11. et omnes fere *Thomiſtæ*, et plures alij quos refert Zanchez l.8. de Matrim. diſp.8. qui etiam ait *hāc ſententiam eſſe probabilem.*

d nu. 29. pag. 58.

ret,) eas in dubium vocent, attamen quantum præſenti inter me, & aduerſarios controuerſiæ ſatis eſt, de iſtis diſpenſationibus ſatis ſuperque conſtat. Conſtat enim plurimos *Doctores*, tam *Theologos*, quàm *Hiſtoricos* [e] tales diſpenſationes vt à *Pontificibus* factas ſupponere, & proponere, ex quo conſequens eſt, doctrinam illam, quæ eſt fundamentum harum diſpenſationum, & conſtitutionum quibus conceduntur, ex probabili *Theologorum* ſententia non eſſe *certam*, aut *ad fidem* pertinere, quod ſanè meo inſtituto ſatis eſt, & *Leſſij* principia in tribus ſuis obiectionibus poſita funditus euertit: Adeo vt hinc perſpicuè conſtet, illa argumenta, quæ *Leſſius* ad nouam ſuam Catholicam *ſcilicet* fidem de poteſtate *Papali Principes* deponendi propugnandam affert, ad rem *de fide* certò comprobandam nequaquam ſufficere, neque tam ſolida eſſe vt illis nulla Reſponſio probabilis adhiberi queat.

4 *Deinde*, quantumuis de iſtis diſpenſationibus quoad rei veritatem non ſatis, ſed quantum meo inſtituto deſeruit, ſatis ſuperque conſtet, attamen de alijs diſpenſationibus *Pontificijs*, quarum fundamentum incertum eſt, nempe in matrimonio rato non conſummato etiam quoad rei veritatem ſatis conſtare nec *Leſſius* negabit. Conſtat enim ex S. *Antonino*, *Caietano*, *Nauarro*, *Henriquez* & alijs, Summos *Pontifices* in tali matrimonio ſæpiſſimè diſpenſaſſe, & nihilominus incertum eſt; & probabiliſſimam eſſe ſententiam, quã communiter tenent Theologi, ait *Zanchez*, penes Summum *Pontificem* non eſſe poteſtatem in matrimonio rato non conſummato diſpenſandi,

[e] Vide *Azorium* vbi ſupra et *Sayrum* in Claui Regia lib.6.cap.11. dub, 1.

Anton. 3. part. tit. 1. c. 21. §. 3. *Caiet.* tom 1. opuſc. tract. 28. de Matri. *Nauar.* in Manual. c. 22. nu. 21, *Henricq.* lib. 11. de Matrim. c. 8. n. 11. *Zanchez* l. 2. de Matrim. diſp. 14.

di, vt hinc ſatis conſtet, doctrinam illam, quæ eſt fundamentum talium diſpenſationum, & decretorum, quibus diſpenſationes illæ innituntur, non eſſe *certam* aut *ad fidem* pertinere.

5 Quapropter *Leſſius* hanc ſuam Reſponſionem non eſſe ſolidam ſatis perſpiciens, *reſpondet ſecundò*, *Sed ponamus*, inquit, [f] *verum eſſe Pontifices ea in re aliquando diſpenſaſſe, non tamen idcirco conficitur, hanc diſpenſationem incerta opinione ſubnixam, quia aliquid poteſt eſſe certum Sedi Apoſtolicæ (adhibito examine Cardinalium & Doctorum, quibus ordinariè vtitur) quod quibuſdam alijs Doctoribus eſt incertum, vt patet de quibuſdam libris Canonicis, de inſtitutione & vi quorundam Sacramentorum, de baptiſmo hæreticorum, de celebratione Paſchatis, & multis alijs. Vnde quando orta eſt quæſtio in Eccleſia de re aliqua ad Religionem pertinente, & cogendum eſt Concilium generale ad rei diſcuſſionem, & determinationem, Summus Pontifex ſolet ſuis Legatis, qui nomine ipſius Concilio erant præfuturi, dare inſtructionem, quam & Concilio proponant, & ipſi ſequantur, ex traditione antiqua in Eccleſia Romana acceptam & obſeruatam. Et ſanè in præſenti cauſa tam firmæ & claræ rationes ſuppetunt pro hac poteſtate diſpenzandi, vt videatur certa, etſi contraria non ſit omnino improbabilis ob Doctorum quorundam authoritatem. Conſtat enim ſolennitatem voti caſtitatis ab Eccleſia, & ſolo Iure humano introductam, vt apertè habetur cap. vnico de* Voto *in* 6. *Et in conſtitutione* Gregorij 13. Aſcendente Domino, *&c. Fundamenta contrariæ ſententiæ facillimè ſolui poſſunt.*

f nu. 30. pag. 59.

6 Sed quam infirma ſit hæc Reſponſio iam

ſuprà oſtendimus. Nam *primò*, etiamſi aliquid poſſit videri *certum Sedi Apoſtolicæ* adhibito examine Cardinalium & Doctorum, & conſiderata ratione aliqua deſumpta ex antiqua traditione in Eccleſia *Romana* obſeruata, aut in aliquo Sacræ Scripturæ textu fundata, attamen quòd aliquid poſſit eſſe *Sedi Apoſtolicæ*, prædicto etiam examine adhibito, re quidem vera, & non eius tantùm opinione *certum*, quod alijs doctiſſimis Theologis, qui & *Romæ* vixerunt, vt *Hadrianus* Papa, *Bonauentura*, *Turrecremata*, *Sylueſter*, & omnes rationes pro tali doctrina allatas, & ſiue in Scriptura, ſiue in publica aliqua traditione *Romana* fundatas, diligenter expenderunt, *incertum* atque etiam falſum videtur, hoc *Leſſius*, niſi *ſecretas* reuelationes, & *priuatas* non *publicas* traditiones *Romanas* gratis; & abſque fundamento confingere velit, nulla ratione probabili commonſtrare poteſt. Mos autem ille, quo vti ſolent *Pontifices*, dando ſuis Legatis qui Concilio præfuturi ſunt, inſtructiones, quas non ſolùm *Concilio* proponant, (hoc enim vituperandum non eſt) ſed quas etiam ipſi omnino ſequantur, an reprehenſionem magis quàm laudem mereatur, alibi forſan examinabimus: Neque enim *Chriſtus* Dominus, ex doctiſſimorum ſententia, infallibilem Sancti Spiritus aſſiſtentiam generalibus ſuis decretis, multo minùs priuatis ſuis inſtructionibus, promiſit ſed generalibus duntaxat decretis ac definitionibus *Concilij* verè *Oecumenici* & liberi, ad quod ſpectat tam inſtructiones *Romani Pontificis* ſuis Legatis datas, quàm traditiones antiquas in *Romana* Eccleſia approbatas, ſi de ijs inter Doctores Catholicos controuerſia oriatur, examinare, & vtrùm approbandæ, vel improbandæ à Catholicis ſint, determinare.

7 *Deinde*, tametſi ponamus diſputationis gratia, verum eſſe, poſſe aliquid eſſe reuera *certum Pontifici*, quod alijs doctiſſimis Theologis eſt *incertum*, aut etiam falſum, non tamen idcirco conficitur, illud eſſe *certum quoad Eccleſiam*, ſeu ita *certum*, vt à viris Catholicis abſque vlla hæreſeôs, erroris, aut temeritatis nota tanquam incertum, aut etiam falſum impugnari nequeat. Nos autem in præſenti non agimus de *priuata* Summi *Pontificis*, aut aliorum paucorum *certitudine*, quæ, vt diximus, & ficta eſt, & licet vera eſſet, ad propoſitum non faceret, ſed de *publica certitudine*, & quæ toti Eccleſiæ innoteſcit, quamque nemo Catholicus abſque nota ſaltem temeritatis reijcere, aut in controuerſiam vocare poteſt. Et cum *Leſſius* vt verum ſupponat, *Pontifices* in ea re aliquando diſpenſaſſe, & ſimul concedat non eſſe omnino improbabile, quod talem diſpenſandi poteſtatem non habeat, ex ipſiuſmet principijs conſequitur, illam doctrinam, quæ eſt fundamentum talium diſpenſationum, atque decretorum, quibus nituntur, iuxta ſatis probabilem Doctorum ſententiam, non eſſe *certam*, aut *ad fidem* pertinere, ſicut ipſe in ſuis obiectionibus fruſtra contendit; Atque idcirco, quod *Leſſius* vltimò addit, nempe *argumenta contrariæ ſententiæ facillimè ſolui poſſe*, nihil ad rem facit, nam & argumenta etiam pro ſua ſententia quantumcunque firma & clara ei videantur, facillimè ſolui poſſunt, & ab *Eſtio* ſoluuntur, & ſufficit noſtro

Eſtius in 4. ſent. diſt. 38. §. 6.

noſtro inſtituto, quòd contraria ſententia non ſit improbabilis, vt *Leſſius* ingenuè fatetur, neque abſque temeritate inficiari poteſt. Hac igitur *Reſponſione* ſatis conuulſa, videamus quid *tertiò* g Reſpondeat.

g nu. 31 pag. 60.

8 *Tertiò, verum eſto, ait Leſſius, Non ſit omnino certum hanc poteſtatem Pontifici competere; nihil inde abſurdi ſequitur. Quia quando agitur de diſpenſationibus in impedimentis matrimonij & votis, non requiritur abſoluta certitudo poteſtatis, ſed ſufficit magna probabilitas: vt cum agitur de Matrimonio inter Nouercam & priuignum, inter neptem & tritauum, ſi cui tantum æui ſuppeteret; inter eos, quorum alter certo modo videtur impotens. Idem cernitur in conferendis certa quantitate Indulgentijs. Non enim eſt certum, tantam menſuram dari poſſe pro tantillo opere in talem vel talem finem. Ratio eſt, quia tales diſpenſationes, & Indulgentiæ ſunt gratiæ & beneficia, nec quiſquam tenetur illas acceptare, ſed cuique libertas relinquitur; neque ſuper iſtis, aut ſuper poteſtate talia concedendi fundantur canones, aut gubernatio generalis Eccleſiæ.*

9 Sed *inprimis* iſtud incommodum & abſurdum, ſi illud *Leſſius* abſurdum vocare velit, hinc ſequitur, quòd iuxta hanc eius ſuppoſitionem illa doctrina quæ eſt fundamentum harum diſpenſationum, & decretorum *Pontificiorum* inde conſurgentium, non ſit *certa* neque *ad fidem* pertineat, quod vtique *Leſſius*, iuxta principia ab eo poſita, veluti abſurdum meritò reputare debet. Verùm autem alia præterea incommoda ſequantur

N tur

tur necne ad rem præſentem parum refert, & infra clariùs apparebit.

10 *Deinde*, tametſi quando agitur de diſpenſationibus in impedimentis matrimonij, & in votis, atque in conferendis certa quantitate Indulgentijs non requiratur *abſoluta certitudo* poteſtatis, ſed ſufficit magna probabilitas, quando eiuſmodi diſpenſationes, & conceſſiones alteriu iuri non præiudicant, hæc tamen probabilit non ſufficit, vt quis è legitima temporalis ſui iuris poſſeſſione per Summi *Pontificis* authori tem, quamdiu tantùm probabilis manet, d betur, cùm iuxta notiſſimam Iuris regulam, *causa dubia, ſiue incerta*, & quæ vtrinque rationes probabiles habet, *melior ſit conditio poſſidentis*, quique proinde, quamdiu non conſtat de iniuſtitia ſuæ cauſæ, ius ſuum defendere, talibusque diſpenſationibus in opinione tantùm probabili fundatis reſiſtere licitè poteſt. Quòd verò in huiuſmodi diſpenſationibus, & conceſsionibus, canones, decreta, & ſententiæ iudiciales fundari poſſint, non minùs quàm in particularibus *Principum* depoſitionibus adeo manifeſtum eſt, v nullus vir eruditus id inficiari queat. Atque hinc patet, falſum eſſe quod *Leſsius* immediatè ſubiungit.

h nu. 32. pag. 61.

11 *Nec obſtat*, ait ille, [h] *quòd per diſpenſationem voti caſtitatis & conceſsionem nuptiarum videntur fieri iniuria ijs, qui alioquin in regno, vel hereditate erant ſucceſſuri, quia reuera ſi quis penitiu rem introſpiciat, nulla eis fit iniuria, etſi lucro ſperato priuentur. Ratio eſt, Quia Iure naturæ cuilibet*

ſummum Ius ad Matrimonium competit, adeo vt niſi conſtet de impedimento, non poſſit vlla poteſtate humana prohiberi. Atqui facta diſpenſatione impedimenti per Summum Pontificem, non conſtat eſſe impedimentum, cùm valde probabile ſit illud per diſpenſationem eſſe ſublatum, & præſumatur amplius non extare, Ergo non poteſt ei matrimonium prohiberi: Immo fieret ei grauis iniuria, ſi quis vel priuata vel publica authoritate eum impedire conaretur, quia impediret eum ab eo ſtatu, ad quem Ius habet, quique omnibus non habentibus certum impedimentum, iure naturæ debet eſſe liberrimus. Ex quo manifeſtè ſequitur, nullam fieri iniuriam ei qui erat in bona eius ſucceſſurus; quia, qui vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam. Quòd ſi is, qui cum tali diſpenſatione nuptias init non facit hæredi aliàs ſucceſſuro iniuriam contrahendo, cùm tamen ex eo contractu proximè damnum illius ſequatur; multò minùs iniuriam facit ei Summus Pontifex diſpenſando, ſeu impedimentum tollendo, quia ſolùm remotè, & per accidens damnum illi obuenit.

12 Veruntamen qui hæc penitiùs introſpiciet, ea partim falſa eſſe & erronea, partim friuola, & magis artificioſè quam ſolidè dicta, faciliime deprehendet. Nam *imprimis*, per eiuſmodi diſpenſationes hæres legitimus non ſolùm *lucro ſperato, vt Leſſius* ad hanc iniuriam hæredi indubiè legitimo illatam mitigandam artificioſe loquitur, verùm etiam *præſenti* ſuo, & non tantùm *ſperato* ad Regnum iure, & hæreditate legitima ſpoliatur. *Deinde, maior* illa propoſitio ſui argumenti, *Iure naturali cuilibet ſummum Ius ad matrimonium competit, niſi conſtet de impedimento,*

falſiſſima eſt: Si enim de dubio aut probabili impedimento conſtat, non ſummum ius, ſed dubium tantùm, aut probabile ius ad Matrimonium, quod iure ſummo longè minus eſt, iure naturæ illi competere nimis manifeſtum eſt. Nemo autem ob ius tantùm probabile, aut dubium alterius è legitima certi ſeu indubij ſui ad Regnum iuris poſſeſſione niſi per iniuriam deturbari poteſt.

13 Et proinde, quod ad *Minorem* propoſitionem attinet, tametſi facta diſpenſatione per *Pontificem* in impedimento Matrimonij non conſtet de impedimento certo atque indubitato, manet tamen adhuc impedimentum probabile, cùm probabile tantùm ſit, poſſe Summum *Pontificem* in illo impedimento diſpenſare. Atque idcirco non ſequitur aliquam ei iniuriam inferri, ſi vel *Princeps* publica authoritate, vel hæres legitimus priuata, Matrimonium illud impedire conaretur, ſaltem quoad hunc effectum, vt is qui ius indubiè legitimum ad Regnum, vel hæreditatem temporalem habet, iure ſuo temporali ex tali diſpenſatione ſpolietur; quandoquidem ille, cum quo *Papa* in tali impedimento diſpenſat, non habeat ius indubium ad matrimonium contrahendum, ſaltem quoad prædictum effectum, vt in temporali hæreditate cum veri & indubitati hæredis præiudicio ſuccedat. Vnde propoſitio illa, quam *Leſsius* hic vti veram ſupponit, *Status Matrimonij omnibus non habentibus certum impedimentum iure naturæ debet eſſe liberrimus, nec proinde poteſt vel priuata vel publica authoritate impediri,* falſa eſt, atque erronea, & communi Theolo-

gorum omnium conſenſu reprobata.

14 Nam iuxta *Leſſij* principia ita liceret argumentari. Iure naturæ cuilibet ſummum ius ad Matrimonium competit, adeo vt niſi conſtet de impedimento certo, non poſſit vlla humana poteſtate impediri, cùm ſtatus Matrimonij omnibus non habentibus certum impedimentum iure naturæ debeat eſſe liberrimus; ſed quamdiu aliquis dubitat, aut probabiles tantùm rationes habet de impedimento aliquo Matrimonij, puta affinitatis, aut conſanguinitatis in gradu prohibito, aut de morte propriȩ coniugis, non conſtat de impedimento certo, cùm probabile ſit tale impedimentum non eſſe; verbi gratia, coniugem eſſe mortuam, ergo quando aliquis dubitat, aut probabiles tantùm rationes habet, coniugem, verbi gratia, eſſe mortuam, poteſt nihilominus tuta conſcientia matrimonium contrahere, neque à contrahendo in tali caſu poteſt vlla poteſtate humana prohiberi. Immo fieret ei grauis iniuria, ſi quis vel priuata, vel publica authoritate eum impedire conaretur; quia impediret eum à ſtatu Matrimonij ad quem Ius habet, quique omnibus non habentibus certum impedimentum, iure naturæ debet eſſe liberrimus. Quàm autem falſa, erronea, & pernicioſa ſit hæc ratiocinatio ex *Leſſij* principijs conflata, quilibet Theologiæ vel mediocriter peritus clarè perſpicere poteſt.

15 Vtrùm autem ſufficiat probabilitas, vt *Pontifex* diſpenſet in impedimento Matrimonij, quantum ad aliquos eius effectus, veluti

ad petendum & reddendum debitum coniugale, in remedium concupiſcentiæ, atque ad liberos procreandos, &c. dummodo nullum præiudicium iuri alterius inde obueniat, iam non diſputo, cum ad quæſtionem propoſitam nihil omnino faciat; Sicut etiam parum refert, quòd *Pontifex* poſſit aliquem ſibi temporaliter non ſubditum ad ſpiritualia legitimare, dummodò non poſſit eum legitimum facere, ad hoc vt in temporali hæreditate ſuccedat, niſi in caſu quo *Princeps* ei permiſerit, vt ſuprà fuſè declarauimus. Iam enim ſolùm contendo, non ſufficere probabilitatem, vti *Leſsius* prætendit, vt *Pontifex* in aliquo impedimento Matrimonij diſpenſet, quantum ad hunc effectum, vt talis diſpenſatio probabilitati tantùm innixa vero & indubio alterius in temporalibus iuri, ipſo inuito, præiudicare debeat. Vnde tam *Pontifex* ita diſpenſando, quàm ille cum quo diſpenſatur, occaſione talis diſpenſationis tertiam perſonam renitentem, iure ſuo temporali, quod legitimè poſſidet, ſpoliare conando, iniuriam illi irrogaret. *Denique* quod *Leſsius* ait, *Qui vtitur iure ſuo nemini facit iniuriam*, verum eſt de eo qui vtitur iure ſuo certo & indubitato, nam qui vtitur iure tantùm dubio, aut probabili facit iniuriam alteri, ſi eum proinde è certa atque indubia iuris ſui legitimi poſſeſsione extrudere conaretur.

16 *Ex his perſpicuum eſt*, ait Leſsius,[i] *falſum eſſe, quod in argumento aſſumitur, nimirum*, Huiuſmodi diſpenſationes fore cauſas multorum ſcelerum, & in grauem aliorum *Principum* iniuriam

[i] nu.33.pag. 62.

riam ceſſuras. *Nam quod ad ſcelera attinet, non peccat is, qui huiuſmodi diſpenſatione (quæ non niſi rariſſimè, & ob grauiſſimas cauſas, re diligenter & multo tempore diſcuſſa concedi ſolet, non obtrudi) vtitur contrahendo nuptias, iiſque vtendo. Ratio eſt; quia vel Chriſtus Dominus ſupplet eo caſu defectum poteſtatis ſui Vicarij (ſi fortè ea reipſa ei deſit) diuina authoritate tollendo impedimentum, & conſequenter efficiendo, vt Matrimonium ſit validum (ſicut multi Doctores tradunt fieri in diſpenſatione voti ſimplicis perpetuæ caſtitatis, quando non ſubeſt legitima cauſa, tamen bona fide præuio examine debito cauſa iudicatur legitima) vel certè excuſantur ab omni culpa propter bonam fidem, & ſententiæ probabilitatem. In rebus enim humanis non ſemper requiritur certitudo abſoluta, ſed ſufficit probabilitas, vt paſſim Doctores tradunt. V. g. vt talis forma contractus mihi ſit licita, & abſque peccato poſſit celebrari, ſatis eſt iudicio Doctorum probabile eſſe, eam eſſe licitam. Sic permiſsi cenſus perſonales, contractus Societatis triplex cum mercatore, varij Contractus Cambiorum, retrouenditionis, emptionis anticipata ſolutione, &c. Sic licitum adire hæreditatem, & capere legatum ex Teſtamento minùs ſolenni, aliaque innumera.*

17 *Neque ſolum in temporalibus id locum habet, ſed etiam in ſpiritualibus, & ſacratiſſimis: vt in Baptiſmo, cùm vrgente neceſsitate datur ſolùm ad manum, vel digitum alijs membris non comparentibus: In pœnitentiæ Sacramento, cum abſoluitur is, de cuius diſpoſitione meritò poteſt dubitari, vel qui ſolùm ſigna pœnitentiæ dedit in abſentia Sacerdotis: In extrema Vnctione, cùm ſimiliter dubia diſpoſitio,*

vt alia multa omittam. Quòd ſi in his omnibus abſque vllo peccato poſſum procedere, & operari ex ſententia probabili, cur non etiam in matrimonio, ad quod iure naturæ quiſque per ſe ſummum ius habet? Nullum itaque hic ſceleris periculum.

18 *Dices; eſt ſaltem periculum materialis peccati, nimirum, ſi reipſa fortè & coram Deo matrimonium non eſſet validum. Reſpondeo, Id nihil referre, vt patet in alijs Sacramentis, & contractibus iam commemoratis. Immo ſæpe tenemur aliqua facere, vbi tale periculum ſubeſt; vt cùm infans non poteſt baptizari niſi ad manum, vel digitum: cùm infirmus vocato Sacerdote amiſit vſum rationis, priuſquam ille veniat, & multis alijs euentis. Quando enim tanti momenti cauſa ſubeſt, non eſt curandum periculum illud materialis ſacrilegij, vel iniuſtitiæ, ſed tenemur probabili modo (etſi tenuis ſit illa probabilitas) præſenti ſuccurrere neceſſitati. Quod ad iniuriam attinet, iam oſtenſum eſt, nullam iniuriam fieri ei, qui expectabat ſucceſſionem.*

18 Sed *imprimis* obſeruandum eſt, me neque in his *tribus exemplis*, neque in *tribus* illis *inſtantijs*, quæ in his exemplis fundantur, quas infrà referemus, de errore, peccato, ſcelere, iniquitate, iniuria, &c. *formaliter* ſũptis, ſed in genere tantùm loquutum eſſe, non applicando ea in particulari ad errorem, iniquitatem, iniuriam &c. vel *formalem* vel materialem, ſicut neque *Leſſius* in *tertia* ſua obiectione errorem, iniquitatem, rebelliones, periuria, vel ad *materialia*, vel ad *formalia* periuria, errores, rebelliones, & iniquitates accommodauit, ſed in genere tantùm de illis loquutus fuerat. Solùm enim mihi tunc temporis inſtitutum

tum erat, *tres Inſtantias* in prædictis *tribus exemplis* fundatas aduerſus *tres* illas *obiectiones* à *Leſſio* allatas retorquere, vt ita Lector eruditus facilè perſpiceret, qua ratione ex ijſdemmet ſolutionibus, quas Aduerſarij *tribus* meis *Inſtantijs* afferrent, ſiue eas obiectiones de errore, & iniquitate *formali*, ſiue tantùm de *materiali* intelligendas eſſe vellent, facilimè diſſolui poſſent, vt infrà magis declarabitur.

19 Nam tametſi ponamus, neque *Summum Pontificem* tales diſpenſationes concedendo, neque eum, cum quo diſpenſatur illis vtendo, *formaliter* peccare, parum aut nihil ad propoſitum refert: non enim de internis eorum conſcientijs, quas *Deus* ſolus nouit, ſed de externis eorum operationibus iuxta Theologiæ regulas iudicare intendimus, ſecretas ipſorum cogitationes & affectiones, ſolius *Dei*, ſcrutantis corda & renes, iudicio relinquentes. Noſtro etenim inſtituto ſatis eſt, quòd iniquitatem *materialem* perpetrent, ſiue à peccato *formali*, & coram Deo, ratione opinionis probabilis, quam prætendunt, excuſentur ſiue non. Hinc enim conſequitur, tum illam doctrinam, quæ eſt fundamentum talium diſpenſationum, non eſſe *certam*, aut *ad fidem* pertinere, quantumcunque probabilis eſſe prætendatur; tum etiam, cùm contraria doctrina ſit probabilis, non teneri eos, in quorum præiudicium temporale tales diſpenſationes conceduntur, cedere iuri ſuo, ſed poſſe illis reſiſtere, & nihilominus ratione opinionis probabilis quam ſequuntur, & legitimi Iuris quod poſſident, reſiſtendo à *formali* ſcelere, peccato & iniquitate excuſari.

20 Sicut etiam in hac quæſtione de *Principum* depoſitione, & ſubditorum à temporali fidelitate abſolutione, parum aut nihil refert, quòd vel *Pontifex* deponendo, vel alij tali abſolutione vtendo, à peccato & iniuſtitia *formali*, ſeu quoad *Deum*, & internam conſcientiam, atque forum animæ, ratione opinionis probabilis quam prætendunt, ſed non à peccato & iniuſtitia *materiali*, ſi illa opinio reipſa falſa ſit, neque quoad forum externum & ſeculare, excuſentur. Hinc enim *duo* conſequuntur, quæ meo inſtituto ſatis ſunt. *Primum* eſt, illam doctrinam, quæ eſt ſundamentum taliũ depoſitionum, & abſolutionum non eſſe *certam*, aut *ad fidem* pertinere, cùm contraria ſit probabilis, quod ſanè fundamentum Aduerſariorum de certitudine nouæ ſuæ Catholicæ *ſcilicet* fidei de poteſtate *Papali Principes* deponendi penitus euertit.

21 *Alterum* eſt, tam *Principem* qui deponitur, quàm ſubditos qui abſolvuntur, poſſe tuta conſcientia, cùm contraria ſententia quæ illis fauet, ſit probabilis, eiuſmodi depoſitionibus, & abſolutionibus reſiſtere: & licitum eſſe *Principi*, non obſtante tali depoſitionis ſententia, in foro externo & Seculari aduerſus omnes, qui illum è Regno, quod legitimè & indubiè poſſidet, extrudere conarentur, tanquam externos & publicos hoſtes, & ſi ſubditi ſunt, tanquam contra proditores publicos, & *læſa Maieſtatis* reos procedere; nam vtrùm quoad *Deum*, & in foro conſcientiæ veri hoſtes & proditores ſint, necne, *Princeps* non iudicat, ſufficit illi quòd in foro externo & Seculari veri hoſtes, & proditores reputandi

putandi ſint: Ad eundem ferme modum, quo *Rex* & eius ſubditi in bello, quod quoad Deum, & in foro conſcientiæ tantùm ratione opinionis probabilis ex vtraque parte iuſtum eſt, poteſt aduerſùs eos, qui eum eiuſque Regnum aggrediuntur, tanquam contra publicos hoſtes, & inimicos capitales tutâ conſcientiâ in foro ſuo externo & Seculari procedere, tametſi forſan pars illi aduerſa ratione opinionis probabilis à *formali* iniuſtitia coram Deo, & in conſcientia (de qua, vtpote foro externo, & ſeculari incognita) & ad illud non pertinente *Rex* iſte non iudicat, fortaſſis excuſentur. Nihilominus quod ad meam ſententiam attinet, non video, vt alibi ſæpiùs obſeruaui, qua ratione probabili, quandiu certant *Scholaſtici*, an *Papa* poſſit *Principes* deponere, vel ipſemet *Pontifex*, vel alij quicunque à peccato, & iniuſtitia *formali* coram Deo, & in foro conſcientiæ excuſari queant, qui *Principem* quemcunque etiam hæreticum è Regni, quod legitimè poſſidet, poſſeſſione, ſub prætextu poteſtatis *Pontificiæ Principes* deponendi, deturbare conarentur, cùm iuxta notiſſimam *Iuriſprudentium* regulam, & in lege naturali fundatam, In *cauſa dubia*, *incerta*, & quæ vtrinque rationes habet tantùm probabiles, *melior & potior ſit conditio poſſidentis*.

22 Atque hinc patet ratio diſcriminis, ob quam in illis Sacramentis adminiſtrandis, illiſque operationibus exercendis, in quibus nullum temporale præiudicium fit tertiæ perſonæ, quæ inde nulla re temporali, quam legitimè poſſidet, ſpoliatur, poſſit quis ratione opinionis probabilis

lis ab iniuſtitia & peccato *formali* coram *Deo*, & in foro animæ excuſari, neque ab ijs in foro etiam externo, & Seculari prohiberi, aut impediri debet; & nihilominus in ijs actionibus exercendis, in quibus alter è Regni, alteriuſue rei temporalis, quam legitimè tenet, poſſeſſione deturbatur, non poſſit quis ratione opinionis *ſpeculatiuè* probabilis ab iniuſtitia & iniuria *formali* coram Deo & in foro animæ excuſari, atque in foro etiam externo, & Seculari ab ijs exercendis impediri atque prohiberi, & ab eo cui ſit iniuria, licitè reſiſti queat, quamdiu de iure illius, qui alterum aggreditur, atque inuadit, *certò* non conſtet, ſed ſolùm probabilitas de iure illius, & non certitudo appareat.

23 Illud denique, quod *Leſſius* ait, *Chriſtum Dominum ſupplere eo caſu defectum poteſtatis ſui Vicarij (ſi fortè re ipſa ei deſit) diuina authoritate tollendo impedimentum, & conſequenter efficiendo vt Matrimonium ſit validum, ſicut multi Doctores tradunt fieri in diſpenſatione voti ſimplicis perpetuæ caſtitatis, quando non ſubeſt legitima cauſa tamen bona fide præuio examine debito cauſa iudicatur legitima*, gratis & abſque fundamento ſufficienti dicitur, viamque aperit ad miracula abſque ſufficienti ratione contra ſtatutam *Chriſti* legem in ſacra Scriptura expreſſam confingenda, & ad ſententiam *Caietani* de ſalute infantium, qui in vtero matris moriuntur, & alias ſimiles opiniones, ſub pietatis zelo, ſed contra expreſſum, doctiſſimorum iudicio, *Dei* verbum defendendas, & cùm ad ſummum probabile tantùm ſit, ad præſens inſtitutum nihil facit, & ad rem *de*

fide certò demonſtrandam nihil omnino valet. Atque hæc de *tribus* iſtis *exemplis* à me poſitis dicta ſufficiant. Iam ad *tres Inſtantias* in his *tribus exemplis* fundatas diſcutiendas propiùs accedamus.

SECTIO IIII.

In qua quid Doctores Catholici de infallibilitatem Eccleſiæ, *quàm* Romani Pontificis *iudicio in decretis fidei & morum ſtabiliendis ſentiant, declaratur.*

1 ANtequam ad *tres* ſupradictas *Leſſij obiectiones*, & *tres* meas *Inſtantias* in præfatis *tribus exemplis* fundatas, quas illis oppoſui, examinandas, accedam, non à re alienum fore arbitror, ſi quid Doctores Catholici, & præſertim *Melchior Canus*, ad quem *Leſſius* in tertia ſua obiectione Lectorem remiſit, de infallibilitate tam *Conciliorum* generalium, quàm Summi *Pontificis*, in decretis fidei & morum ſanciendis ſentiant, paucis exponam. Ex hac enim infallibilitate, in qua Aduerſarij plurimùm gloriantur, *Leſsius* firmiſſimum argumentum trahi poſſe, ad doctrinam ſuam de poteſtate Summi *Pontificis Principes* deponendi, & ſubditos à temporali fidelitate abſoluendi, vt rem *de fide certam* comprobandam imaginatur.

2 Inprimis igitur *Melchior Canus*, cum quo *Romani* Theologi, & qui ſpirituali Summi *Pontificis* Monarchiæ fauent, vt plurimùm conſentiunt, hanc concluſionem circa doctrinam fidei, ſeu

Canus lib. 5. de locis cap. 4. concluſ. 3.

ſeu res à populo fideli credendas ponit. *Concilium generale confirmatum authoritate Romani Pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum. Quam quidem concluſionem ita exploratam habere opus eſt, vt eius contrariam hæreticam eſſe credamus.* Vt autem Concilium in rebus fidei certò definiendis non erret, *duo* requiruntur, vt alias [a] etiam annotauimus: *primum*; vt illud fidei decretum non ad particulares tantum Eccleſias, aut Epiſcopos, ſed ad totam vniuerſalem Eccleſiam referatur: *ſecundum*; vt proponatur tanquam *de fide*, ſeu vniuerſos fideles ad id credendum obliget.

[a] *Diſputat. Theolog.* cap. 10. ſec. 2. nu. 33. 34.

Canus lib. 5. cap. 5. q. 4.

3 *Intelligendi enim ſunt Indices*, ſeu Concilij Patres, ait *Canus*, *eo tantùm caſu de fide pronunciare, vbi iudicium in omnes Chriſti fideles ſpectat, omnes ligat. Certitudo quippe fidei Iudicibus à Deo conſtitutis non propter Eccleſias priuatas promiſſa, & conceſſa eſt, quæ ſingulæ errare poſſunt, ſed propter Eccleſiam vniuerſalem, quæ errare non poteſt. Itaque Summorum Pontificum, Conciliorumque doctrina ſi toti Eccleſiæ proponatur, ſi cum obligatione etiam credendi proponatur tum verò de fidei cauſa iudicium eſt. Nam in decretis Pontificijs duo diſtinguenda ſunt, vnum eſt, tanquam intentio concluſioque decreti; alterum, quaſi ratio, & cauſa à Pontifice reddita eius rei quam conſtituerit. Atque in concluſione Pontifices Summi errare nequeunt, ſi fidei quæſtionem ex Apoſtolico tribunali decernant. Sin verò Pontificum rationes neceſſariæ non ſunt, ne dicam, aptæ, probabiles, idoneæ, in his nihil eſt videlicet immorandum. Non enim ſemper Patres in fidei quæſtione cauſas afferunt neceſſarias, ſed interdum veroſimiles.*

Canus lib. 6. cap. 8. ad 4.

4 *In Concilijs enim*, ait Card. *Bellarminus, maxima pars Actorum ad fidem non pertinet. Non enim ſunt de fide diſputationes quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea quæ ad explicandum, & illuſtrandum afferuntur, ſed tantùm ipſa nuda decreta, & ea non omnia, ſed tantùm quæ proponuntur tanquam de fide. Facile eſt autem agnoſcere*, aiunt præfati Authores, *ex verbis Concilij, aut Pontificis, quando decretum aliquod de fide credendum fidelibus proponitur, vt ſi contrarium ſentientes excommunicentur, vel pro hæreticis iudicentur; vel ſi quicquam expreſsè & propriè à fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum dicatur, vel alijs ſimilibus verbis, aliquid eſſe Euangelio, doctrinæque Apoſtolorum contrarium, dicatur, inquam*, ait *Canus*, *non ex opinione, ſed certo & firmo decreto; quando autem nihil horum dicitur, non eſt certum rem eſſe de fide.*

Bell.lib.2.de Conc.cap.12.

Canus lib.5. cap.5.q.4.& Bell.lib 2.de Rom.Pont. c.12.

5 *Secundò*, quod ad decreta, ſeu præcepta morum attinet, idem *Canus* ſupponens *primò, duplicem* eſſe Theologicam quæſtionem, *vnam*, cuius cognitio ad ſalutem eſt neceſſaria, *alteram*, cuius ignoratio ſine pietatis ſalutiſque iactura eſſe poteſt, hanc *primam concluſionem* ſtatuit: *Eccleſia in morum doctrina eorum, qui ad ſalutem neceſſarij ſunt errare non poteſt. Itaque ſi quid neceſſariò vel agendum vel vitandum firmo iudicio definit, in hoc errare nequit, ſicut ne in fide quidem. Deus enim non deficit in neceſſarijs. In doctrina ergo morum eorum, qui ſunt ad ſalutem neceſſarij, Iudices & Doctores Eccleſiæ à Deo dati errare non queunt. Huius verò Concluſionis*, ait *Canus*, *& altera conſectaria eſſe videtur, Eccleſiam, cùm in re graui, &*

Canus lib.5. cap.5.q.4.

quæ ad Chriſtianos mores formandos apprimè conducat, leges toti populo dicit, non poſſe iubere quicquam, quod aut Euangelio, aut rationi naturæ contrarium ſit. Quarè quemadmodum Concilium falſa plebi credenda proponere nequit, ſic nec mala proponere poteſt facienda, proponere, inquam, firmo certoque decreto, quo omnes & ad id credendum, & ad faciendum ſub æterna pœna obligentur. Sed an hæreticum ſit aſſerere, vel aliquam Eccleſiæ conſuetudinem eſſe malam, vel aliquam ipſius legem eſſe iniuſtam non auſim definire. Ita *Canus.*

6 Atque hinc primò ab hereſi excuſat eos, qui affirmarent, *Eccleſiam errare in more communicandi plebem ſub vna ſpecie tantùm.* Atque ad *Concilium Conſtantienſe*, quod ſtatuit, *eos pro hæreticis condemnandos, qui aſſerunt, Eccleſiam in hac errare*, reſpondet *Canus, Concilium eo tempore illud ſtatuiſſe, quo ſine capite erat, cùm inter multos, quiſnam eſſet verus Pontifex dubium eſſet; Concilij autem dogmata non ſunt firma*, ait ille, *niſi à Romano Pontifice confirmentur. Quando ergo Concilium ſine capite eſt, non habet dogmatum certitudinem. Neque* Martinus 5. *in literis, quibus Concilium probabat, ſimpliciter probat illum articulum, ſed ſolùm definit, eos, qui docuerint, Eccleſiam in eiuſmodi conſuetudine errare, eſſe vel hæreticos, vel vt ſapientes hæreſim condemnandos. Quod ergo* Martinus *Concilio præſidens non auſus eſt hæreſeôs nomine condemnare, id ego grauiore cenſura condemnare non audeo. Quòd ſi in more ad ſalutem neceſſario, qualis ille videtur eſſe, de quo in Concilio* Conſtantienſi *erat controuerſia, tanta fuit* Martini *modeſtia, quanto nos modeſtiores eſſe oportet in alijs erroribus condemnandis,*

dis, qui conſuetudini Eccleſiæ minimè ad ſalutem neceſſariæ refragantur?

7 *Secundò*, ab hæreſi excuſat *Lutheranos, qui morem circumgeſtandi ſolenni proceſſione per vias publicas Euchariſtiæ Sacramentum reprobant. Si originem*, inquit, *erroris & principium ſpecies, hæreſis tibi erit. Nam ideo illi morem hunc circumferendi Sacramentum rident, quia veram Chriſti præſentiam in Sacramento negant. Sed ſi ipſam in ſe errorem contempleris, hæreſim ſapit, temeritas & imprudentia eſt. Quamuis enim multis nominibus hic error eſt notandus, non tamen eſt hæreſis, cùm etiamſi in hac conſuetudine erraret Eccleſia, non proinde in grauioribus rebus eius periclitaretur authoritas. Quæ cauſa Concilio* Tridentino *fuit, vt canonem ſextum de Euchariſtiæ Sacramento cautè formârit in hæc verba.* Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum non eſſe cultu latriæ, etiam externo adorandum, & ideo nec feſtiua peculiari celebritate venerandum, nec in proceſſionibus ſecundùm laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem ſolenniter circumgeſtandum, anathema ſit. *Non enim eos anathemate ſimpliciter pellit Synodus, qui ritum illum Eccleſiæ reprehenderint, ſed qui idcirco hoc faciunt, quia nec præſentiam corporalem Chriſti in Euchariſtia admittunt, atque adeo ne ipſius quidem adorationem & cultum.*

8 *Tertiò* ab hæreſi excuſat eos, qui ſentirent *Eccleſiam* in *canonizatione ſanctorum*, ſeu hominibus in diuos referendis *errare poſſe. Intelligendum enim eſt*, ait ille, *Eccleſiæ mores quoſdam à* Chriſto *& Apoſtolis Eccleſiæ traditos, in quibus qui Eccleſiam errare diceret, hic erroris eius* Chriſtum *&*

Apoſtolos *authores faceret: Alij verò mores ſunt poſt Apoſtolos inducti, in quibus, quamuis Eccleſia erraret, non propterea fides periclitaretur. Sine periculo igitur hæreſeôs teneri poteſt, Eccleſiam in aliqua lege & more errare poſſe. Cuius veram & idoneam rationem*, ait Canus, *Innocentium* 3, *in cap. A nobis de ſentent. Excommunicationis reddidiſſe in hæc verba.* Iudicium *Dei* veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, ſemper innititur, Iudicium autem *Eccleſiæ* nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit & falli, propter quod contingit interdum, vt qui ligatus eſt apud *Deum*, apud *Eccleſiam* ſit ſolutus, & qui liber eſt apud *Deum*, *Eccleſiaſtica* ſit ſententia innodatus. *Hactenus Innocentius.*

9 *Atque hinc liquet*, ait *Canus*, *id quod eſt animaduerſione digniſsimum, certa & firma Eccleſiæ decreta eſſe non poſſe, quæ non certis & firmis principijs ac fundamentis innitantur. Quocirca, ſi vel vnum ex his, à quibus Eccleſiæ iudicium pendet, incertum eſt, certum Eccleſiæ decretum eſſe non poteſt, ſiue quæſtio ſpeculatiua ſit, ſiue practica. Concluſio quippe, vt in Dialecticorum prouerbio eſt, debiliorem partem ſequitur, & ſi vnum quodlibet principiorum claudicat, eam quoque ex illa parte debilitari neceſſe eſt. Quæ ex re facilè intelligitur, Eccleſiæ iudicia, quæ ab incertis hominum teſtimonijs proficiſcuntur, infirma eſſe ad certam & exploratam faciendam fidem. Quale illud eſt, quo ſanctum aliquem diuorum catalogo adſcribendum cenſet. Nec tamen impunè licet huiuſmodi decreta in dubium reuocare. Quin temerarium & irreligioſum eſt in diuis conſecrandis Eccleſiæ abrogare fidem. Iniuriam enim*

facit Martyri, qui erat pro Martyre, vt cap. cum *Martha* de celebrat. Miſſar. Innocentius *tradit; Iniurius ergo eſt, ac multo etiam magis, qui Martyrum catalogo aſcriptum è diuorum numero reycit. Id quoniam temerè & inconſideratè faciet, iure profectò ab Eccleſia punietur.* Ita *Canus.*

10 *Demum* ab hæreſi excuſat eos, qui dicerent, *B. Virginem non eſſe in cælos cum corpore aſſumptam; quod licet fidei aduerſum non ſit, quia tamen communi Eccleſiæ conſenſioni repugnat, petulanti temeritate diceretur. Suarez* etiam tametſi affirmet, nunc tam receptam eſſe ſententiam, vt à nullo pio, & Catholico poſſit in dubium reuocari, aut ſine temeritate negari, ait tamen, *non eſſe de fide, quia neque eſt ab Eccleſia definita, nec eſt teſtimonium Scripturæ, aut ſufficiens traditio, quæ infallibilem faciat fidem.* At *Sotus* ſolùm ait, eſſe *pientiſſimè credendam, nondum tamen inter fidei articulos creditu neceſſarios relatam eſſe.* Et *Caietanus non neceſſario, ſed probabiliter & piè credendam eſſe aſſerit. Duplex enim,* ait ille, *via eſt decernendi, & duplex modus, quo credendum eſſe aliquid decerni poteſt. Nam quædam decernuntur credenda, ita quòd contrarium ſentiens eſt hæreticus, quædam verò tanquam probabiliter & piè credenda, ita quòd contrarium ſentiens non eſt hæreticus, vt de* Aſſumptione *B. Virginis cum corpore, &* Sanctificatione *eius in vtero Matris, & alijs huiuſmodi communis Eccleſiæ pietas probabiliter credit. Abulenſis* etiam ait, *non eſſe neceſſe hoc tenere, quia non eſt de articulis fidei, neque etiam eſt aliquid definitum per Eccleſiam, vt teneri debeat, ideo licet cuilibet, ſicut voluerit opinari. Rationes autem quæ ad probandam illius Re-*

Canus lib. 12. cap. 1.

Suarez tom. 2. diſp. 21. ſect. 2.

Sot. in 4. d. 43. q. 2. ar. 1.

Caiet. tom. 2. Opuſc. tract. 2. de Concep. cap. 1.

Abul. in cap. 22. Matt. q. 230

ſurrectionem ſumuntur, ſunt ſuaſiones quędam, & non conuincunt, & tamen quia communiter tenetur quòd ſurrexit, rationabilius eſt hoc tenere: Si quis tamen contrarium aſſerat, non contendimus. Et nihilominus præfati Authores optimè norunt, doctrinam hanc de corporali B. *Virginis* Reſurrectione eſſe fundamentum *decreti*, & moris Eccleſiaſtici ab omnibus Catholicis obſeruati, de *Feſto Aſſumptionis* B. *Virginis* celebrando.

11 Atque hinc *Leſsius* clarè perſpicere poteſt, quàm incertum ſit, ne dicam falſum, doctrinam illam, quæ eſt fundamentum *decreti*, & moris Eccleſiaſtici ab omnibus Catholicis generaliter obſeruati, debere eſſe *certiſsimam*, atque *ad fidem* pertinere. Nam quod ad *decreta particularia*, & mores non toti Eccleſiæ communes ſpectat, idem *Canus*, à quo *Card. Bellarminus* non diſſentit, expreſſè aſſerit, *in moribus non toti Eccleſiæ communibus, ſed qui ad priuatos homines, vel Eccleſias referuntur, Eccleſiam errare per ignorantiam poſſe, non in iudicio ſolùm rerum geſtarum, ſed in ipſis etiam præceptis & legibus: & poſſe id præcipere homini, quod rationi, Euangelioque aduerſatur.* Et huius rei veram, idoneamque rationem ex verbis *Innocentij* ſuperiùs relatis reddit; *quia nimirum iudicium Eccleſiæ non ſemper innititur veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſed opinionem nonnunquam ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit & falli.*

Canus lib. 5. ca. 5. q. 5. concl. 3. *Bell.* lib. 4. de Rom. Pont. cap. 2. & 5.

12 Hæc ſunt præcipua capita, quæ Theologi *Romani*, & qui ſpirituali *Romani Pontificis* monarchiæ fauent, de infallibilitate tam *Romani Pontificis*, quàm *Eccleſiæ*, ſeu *Concilij generalis*, in decretis fidei & morum ſanciendis communiter

tradunt. Inter hos autem, & Theologos *Pariſienſes*, qui ſpiritualem *Romani Pontificis* Monarchiam negant, eumque generali Concilio ſubditum eſſe aiunt, quorum ſententiam *Hadrianus* Papa, *Cardinalis Zabarella*, *Panormitanus*, *Cuſanus*, *Abulenſis*, & alij ſequuntur, eamque probabilem eſſe affirmat *Victoria*, hæc diſcrepantia eſt, quòd *Romani* Theologi certum atque infallibile iudicium *Romano* Pontifici concedant etiamſi abſque *Concilio* generali definiat, & decreta morum toti Eccleſiæ communia condat; *Pariſienſes* verò decreta *Romani* Pontificis, niſi à *Concilio* generali confirmentur, errori obnoxia eſſe confidenter doceant, quorum doctrinam non eſſe improbabilem, aut aliqua temeritatis vel alterius criminis nota ab vllo Catholico abſque graui temeritate aſpergendam, ſiue extrinſeca illius doctrinæ principia, nempe authoritatem aſſerentium, ſiue intrinſeca, nimirum rationes & argumenta quibus innititur, ſpectemus, quandocunque ad id probandum prouocatus fuero, me, Deo volente, perſpicuè demonſtraturum non dubito.

Adrian. in q. de Confirmat. *Zabarella* in cap. ſignificaſti *extra* de electione. *Panormitan.* ibidem. *Cuſanus* lib. 2. de Concord. Catholica cap. vlt. *Abulenſis* in ca. 18. Matth. q. 108. & in *defenſorio* par. 2. cap. 69.

13 Sed obſeruandum *imprimis* eſt, prædictos Theologos tam *Romanos* quàm *Pariſienſes*, quando de infallibili Paſtorum ſpiritualium iudicio in decretis ſanciendis agunt, loqui de Prælatis Eccleſiaſticis, quatenus Eccleſiaſtica tantùm, ſeu ſpirituali ex inſtitutione *Chriſti* primaria, & non temporali poteſtate ex beneficio *Principum*, aut Chriſtiani populi conſenſu præditi ſunt; Nemo enim dubitat, quin Prælati Eccleſiaſtici, quâ vel *Principes* temporales ſunt, vel ex *Principum* priuilegijs temporali poteſtate gaudent, in decretis

cretis morum ſtabiliendis non minus quàm *Principes* ipſi temporales, quantacunque diligentia vſi fuerint, aliquando per ignorantiam errare queant.

14 *Secundò* obſeruandum eſt, *aliud* eſſe, *Eccleſiam* in decretis morum, qui ad ſalutem neceſſarij non ſunt, condendis, errare poſſe, & *aliud* eam de facto errare, ſicut etiam *aliud* eſt, decretum aliquod *Eccleſiæ* eſſe licitum, & *aliud* eſſe infallibile. Fieri enim poteſt, vt aliquod *Eccleſiæ* decretum ad mores pertinens licitum & iuſtum ſit, quod proinde à fidelibus donec conſtet illud eſſe illicitum, obſeruari debet, non tamen ſit infallibile: vt patet in *Principum* temporalium legibus, quæ tametſi non ſint infallibiles, cùm in ijs ferendis errare poſſint, à ſubditis tamen, quoaduſque non conſtat eas eſſe iniuſtas, obſeruandæ ſunt, Et qui abſque ſufficienti ratione aſſereret, *Principem* in lege aliqua condenda erraſſe, & quod iniuſtum eſt, & bono publico diſſentaneum præcepiſſe, tametſi certiſſimum ſit, *Principem* in ea ſancienda errare potuiſſe, tanquam temerarius, & pacis publicæ perturbator meritò caſtigari poſſet.

15. Atque ita decretum illud, quo *Eccleſia* diligenti inquiſitione præhabita aliquem in Sanctorum catalogum referendum eſſe ſtatuit, fidelibus diſtrictè præcipiens, vt diem eius feſtum ſolenniter celebrent, licitum eſt, & à quolibet obſeruandum, donec conſtet *Eccleſiam* de illius ſanctitate malè informatam eſſe, cùm talis Feſti celebratio, quamdiu probabile eſt, eum verè ſanctum eſſe, ſicut *Eccleſia* cenſuit, licitè fieri

poſſit, quandoquidem in nullius tertiæ perſonæ præiudicium cedat. *Præſumitur enim de iure*, ait *Caietanus, pro Iudice ſemper, niſi manifeſtè appareat error, & ſupponens ex cauſa legitima datam tantam Indulgentiam, veritatem prædicat, ſicut abſque falſitate prædicat talem ſanctum, ſupponens ritè canonizatum. Ita quòd dato quòd iſte canonizatus non eſſet ſanctus, ſed damnatus, Eccleſiæ doctrina, aut prædicatio non eſſet mendax aut falſa, * quia hîc non pertinentia ad fidem non intelliguntur affirmari, & prædicari, niſi cum grano ſalis, hoc eſt, ſtantibus communiter præſumptis. Præſumit enim Eccleſia canonizationem rite factam, & ſimiliter indulgentiam rite datam. Sed ſicut interuenire poteſt error humanus in canonizatione alicuius ſancti (vt Sanctus Thomas dicit) ita poteſt interuenire error humanus in collatione Indulgentiæ. Si quis autem putet Romanum Pontificem non poſſe errare in iſtis particularibus actionibus (quales ſunt diſpenſationes bonorum tam temporalium quàm ſpiritualium) putet quoque ipſum non eſſe hominem.* Ita *Caietanus*

Caiet. tom. 1. Opuſc. tract. 15. de Indulg. cap. 8.

* intellige, mendax aut falſa *practicè*, non *ſpeculatiuè*.

16 *Tertiò* obſeruandum eſt, quòd ſicut ille, qui rationibus verè probabilibus ductus aſſereret, Prælatos Eccleſiæ, quatenus ſpirituali poteſtate præditi ſunt, in aliquo decreto morum, qui ad ſalutem neceſſarij non ſunt, veluti aliquem in Sanctorum numerum referendo erraſſe, nulla temeritate notari deberet, cùm vera probabilitas temeritatem excludat, ita etiam qui argumentis verè probabilibus perſuaſus affirmaret, Prælatos Eccleſiaſticos non ſpirituali poteſtate ſibi à *Chriſto* conceſſa, ſed temporali illis ex conceſſione *Principum*

cipum communicata, decretum aliquod, vtputa in quo pænæ temporales infliguntur, condidiſſe, ab omni etiam temeritatis culpa excuſandus eſſet, cùm *poteſtas Eccleſiaſtica, vt pleriſque Doctoribus placet, nullam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere poſſit, ſed ad ſolam pænam ſpiritualem vt puta Excommunicationem extendatur, reliquæ autem pænæ, quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo ſeu conceſſione Principum ſint.*

17 Ex quo manifeſtè ſequitur, quotieſcunque *Eccleſia* ſuo decreto pænam aliquam ciuilem non ſolùm imponit, verùm etiam infligit, neque declarat, an *propria* ſua ſpirituali ſibi à *Chriſto* conceſſa, vel *propria* temporali ſibi ex indulgentia *Principum* data id faciat, decretum illud non ſpirituali, cùm probabile admodum ſit, vt diximus, eam nullam pænam ciuilem ex inſtitutione diuina infligere poſſe, ſed temporali poteſtate, & ex *Principum* conſenſu ſancitum eſſe, à viris Catholicis abſque vlla temeritatis nota, iuxta ſententiam, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, optimè reſponderi poſſe. Adeo vt hinc perſpicuè conſtet, quàm infirmum argumentum ad poteſtatem Summi *Pontificis Principes* deponendi, vt rem *de fide* certam comprobandam, vel ex *Lateranenſis* Concilij decreto (quod neque propriè decretum ex aduerſariorum ſententia eſſe poteſt, neque *Principes* ſupremos, ſed inferiores tantum Dominos, ex ſupremorum conſenſu comprehendit, vt ſuprà oſtendimus) vel ex decreto *Innocentij* quarti in Concilio *Lugdunenſi*, aut aliorum *Pontificum*, *Reges*, atque *Imperatores* deponen-

nentium peti poſſit, cùm in particularibus morum decretis, qualia ſunt eiuſmodi depoſitionum ſententiæ, non ſolùm *Pontificem*, verùm & *Concilia generalia*, errare per ignorantiam poſſe, paulo ſuperiùs ex doctrina *Cani*, & Card. *Bellarmini* tradiderim.

SECTIO V.

In qua prima *Inſtantia* Authoris *diſcutitur*, *& quæ* Leſsius *contra eam adducit*, *refutantur*.

1 P*Rima mea inſtantia*, quam ad primam *Leſſij* obiectionem refellendam propoſui, hæc erat. [a] An non igitur iuxta Aduerſariorum principia ita liceret argumentari? Summi Pontifices doctrinam hanc, quòd B. Virgo in peccato originali concepta non fuerit; quòd Papa in ſolenni caſtitatis voto diſpenſare, & ſimplici Sacerdoti, vt Sacramentum Confirmationis adminiſtret, licentiam dare queat, ſupponunt tanquam fundamentum multorum decretorum, diſpenſationum atque ſententiarum iudicialium, atqui oportet eam doctrinam, quæ eſt fundamentum tantarum rerum eſſe certiſſimam, *& ad fidem pertinere*.

2 Ad hanc, & cæteras etiam Inſtantias *Leſſius* primò reſpondet, [b] *Ex his patere friuolum eſſe conatum Aduerſariorum, quo rationes ſuprà allatas, quibus certitudo poteſtatis Pontificiæ in temporalibus*

[a] in *Præfat.* tit. nu. 59.

[b] nu. 34. pag. 65.

libus aſtruitur, ex illatis inſtantijs (prædicta tria exempla intelligit) *retorquere nituntur, cùm nullam probabilem earum ſolutionem inuenire poſſent.*

3 Sed quàm vana ſit hæc *Leſſij* oſtentatio iam ſuprà oſtendimus, & infrà etiam manifeſtius apparebit. Neque enim idcirco rationibus eius nullam in forma reſponſionem adhibuimus, quòd nullam probabilem earum ſolutionem, vt ipſe imaginatur, inuenire poſſemus, cum clariſſimum ſit, vel *maiorem*, vel *minorem* propoſitionem omnium ſuarum rationum falſam eſſe. Sed idcirco *tres* ſimiles *Inſtantias* retorquere acceptius habuimus, vt quilibet clarè perſpiceret, quomodo ex ijſdem ſolutionibus modò ſolidæ eſſent, quas *Leſsius*, aut quiuis alius noſtris *Inſtantijs* adferret, ſuis etiam rationibus reſponderi poſſet, vt ex verbis illis in fine à me additis ſatis perſpicuum eſt, “Expediant igitur Aduerſarij has difficultates, & ego quoque nodos illos, quos putant indiſſolubiles, ex ipſorum ſolutionibus ſubinde diſſoluam.' Neque enim tam parui libelli *Præfatio*, quę iam vltra menſuram ipſi libro conſonam excreuerat, commodè permitteret, vt tres illas *Leſsij* rationes magis accuratè diſcuteremus.

4 Igitur ſecundò ad hanc *primam inſtantiam* ſpeciatim ita reſpondet: *Reſpondeo*, inquit, [c] *Non licere ſic iuxta noſtra principia argumentari. Nam maior propoſitio magnam partem falſa eſt, & minor ſimiliter. Falſum enim eſt, quòd Summi Pontifices illam doctrinam de ſanctificatione Beatæ Virginis in primo Conceptionis momento ſupponant tanquam fundamentum multorum decretorum, diſpenſationum,* &

[c] nu. 35. pag. 66.

& ſententiarum Iudicialium : vt ſupra oſtenſum eſt.

5 Sed neque *maiorem*, neque *minorem* propoſitionem huius *primæ Inſtantiæ* falſam eſſe *Leſſius* aut hactenus oſtendit, aut oſtendere poterit. Veriſſimum enim eſt, quòd ex ſententia doctiſſimorum ſuæ *Societatis* Theologorum, quos deſerere mera deſperatio eum coegit, *Sixtus* quartus illam doctrinam de ſanctificatione B. *Virginis* in primo *Conceptionis* momento ſupponat tanquam fundamentum decreti & conſtitutionis ſuæ de Feſto *Conceptionis* eius celebrando, vt ſuprà oſtenſum eſt; Neque enim mihi animus erat aſſerere, quòd ſola illa doctrina de ſanctificatione B. *Virginis* in primo inſtanti *Conceptionis* ſit fundamentum multorum decretorum, diſpenſationum, & ſententiarum, vt *Leſſius* hîc fraudulenter inſinuat, ſed quòd illa doctrina, cum cæteris ibi commemoratis, ſit fundamentum multorum decretorum, diſpenſationum, & ſententiarum iudicialium, & quòd ſola hæc doctrina de tali ſanctificatione *Virginis*, ſit fundamentum decreti & conſtitutionis Apoſtolicæ de Feſto Conceptionis B. *Virginis* inſtituendo; ex quo manifeſtè conſequitur, maiorem illam propoſitionem ſui argumenti, *Illa doctrina ad fidem pertinet, quam Summi Pontifices, Concilia, & Doctores ſupponunt, vel proponunt, tanquam fundamentum ſuarum conſtitutionum, & ſententiarum*, ex ſententia doctiſſimorum ſuæ *Societatis* Theologorum falſam eſſe.

6 *De poteſtate diſpenſandi*, ait *Leſſius* [d], *in voto ſolenni caſtitatis, fateor eam doctrinam (etſi fortè*

[d] nu. 35. pag. 67.

non omnino certa ſit) ſupponi vt fundamentum non multarum, ſed pauciſſimarum quarundam diſpenſationum, idque grauiſſimis cauſis vrgentibus, non tamen decretorum præſertim totam Eccleſiam concernentium, aut ſententiarum Iudicialium, quibus decidatur tale coniugium ex parte rei eſſe legitimum & firmum. Nulla enim huiuſmodi decreta aut ſententia reperiuntur. Sufficit enim haberi in praxi pro legitimo, cùm de contrario non conſtet, quod etiam in alijs innumeris matrimonij contractibus locum habet. Et illud meritò Summus Pontifex poſſet decernere iubendo vt tale matrimonium cenſeatur, ſeu habeatur legitimum nimirum in ordine ad praxim. Neque vlla hic eſt falſitas aut deceptio, quia reuera pro tali habendum, quamdiu de contrario non eſt moralis certitudo.

7 Sed plura hîc *Leſsius* fraudulenter, atque imperitè permiſcet. Atque *inprimis* parentheſin illam [*etſi fortè non omnino certa ſit*] fruſtra omnino addidit. Neque enim ignorare poterat, eam doctrinam *certiſsimè*, & abſque *fortè* eſſe omnino *incertam quoad Eccleſiam* (nam ſiue doctrina illa *in ſe certa*, ſeu potiùs vera ſit, ſiue non, omnino impertinens eſt) vt videre licet apud omnes ferme Doctores, qui de hac re tractant, & præſertim *Thomam Zanchez* ſuæ etiam *Societatis* Theologum, qui tametſi eam doctrinam pro poteſtate diſpenſandi vt probabiliorem amplectatur, contrariam tamen etiam *probabilem* eſſe affirmare non dubitat, & viginti ad minimum Doctores celeberrimos refert, quibus plures alij addi poſſunt, qui talem poteſtatem *Pontifici* non competere longè probabilius eſſe docent.

8 *Deinde* certum eſt, & negari non poteſt, hanc doctrinam de poteſtate diſpenſandi in voto ſolenni caſtitatis, quæ *quoad Eccleſiam* omnino *incerta* eſt, vt diximus, ſupponi, ex ſententia quamplurimorum Theologorum, tanquam fundamentum quatuor ſaltem diſpenſationum, quod & meo inſtituto ſatis eſt, & ſufficienter probat, non ſemper doctrinam illam, quam *Pontifices*, & Doctores ſupponunt tanquam fundamentum ſuarum conſtitutionum, per quas eiuſmodi diſpenſationes conceduntur, & ſententiarum iudicialium, quibus licitas eſſe declaratur, debere eſſe *certam*, aut *ad fidem* pertinere, ex quo conſequitur tum *maiorem* primæ ſuæ rationis propoſitionem falſam eſſe, tum *minorem* primę meæ Inſtantiæ illi oppoſitam eſſe veritati valde conſentaneam. Et quantumuis *quatuor exempla* diſpenſationum reſpectu multitudinis copioſæ, non multa ſed pauca dicenda ſint, conſtat tamen & *quaternarium numerum* multitudinem propriè dictam conficere, & poſſe *Pontifices*, ſi in paucis, etiam in multis errare, & incerta fundamenta ſuarum conſtitutionum ſupponere; & clarum eſt *Petrum Aragonam* celebrem noſtri temporis Theologum aſſerere, *Summum Pontificem de facto diſpenſaſſe cum multis*, immo & *cum ordinibus de Alcantara, & Calatraua*, & *tandem cum Magiſtro de Monteſa*, Qui omnes ſunt verè monachi vt docet *Sotus* lib.7. de Iuſtitia q. 5. ar. 3. ad. 3. Qui etiam dicit, *prudenter cum illis fuiſſe diſpenſatum, quia abſque dubio non poterant ſeruare caſtitatem* propter rationes quas ibi enumerat. Veuntamen ſi *Leſſius* prædictis *quatuor* diſpenſatio-

Petrus de Aragon 2. 2. q.88.ar.11. Vide etiam *Azor*.tom.1. lib.cap.7. dub.1.

num exemplis, & alijs, quæ recenſuimus, contentus non ſit, ſed plura adhuc deſideret, legat ſuũ *Zanchez*, qui ex diuerſis Authoribus fide digniſſimis refert, Summos *Pontifices* in matrimonio rato non conſummato multoties diſpenſaſſe: & nihilominus doctrinam illam, quæ harum diſpenſationum fundamentum eſt, valdè incertam eſſe, neque ad fidem pertinere (cùm contraria ſententia communis Theologorum ſit, atque, vt ait *Zanchez, probabiliſſima*) adeo manifeſtum eſt, vt nullus Doctor Theologus abſque ſumma impudentia id inficiari poterit.

Zanchez lib. 2. de matrim. diſp. 14. Vide etiam ſupra ſec.

9 *Tertiò, Leſſius* ait, *doctrinam iſtam de poteſtate diſpenſandi in voto ſolenni caſtitatis eſſe fundamentum pauciſſimarum quarundam diſpenſatinum, non tamen decretorum præſertim totam Eccleſiam concernentium, aut ſententiarum iudicialium, quibus decidatur tale coniugium ex parte rei eſſe legitimum & firmum: Nulla enim huiuſmodi decreta, aut ſententia reperiuntur*. Quaſi verò *inprimis*, vel huiuſmodi diſpenſationes ſi publicæ ſint, & quoad forum externum concedantur, abſque Bullis, decretis, ſeu conſtitutionibus *Pontificijs* concedi ſoleant (vnde *Azorius*, & *Sayrus* affirmant, *diplomata, & decreta Cæleſtini tertij diſpenſantis cum* Conſtantia *monacha hucuſque in Archiuio Romano aſſeruari*, & S. *Antoninus* ait, *ſe vidiſſe Bullas* Martini 5. & Eugenij 4. *diſpenſantium in matrimonio rato non conſummato*) vel ipſæmet diſpenſationes, cùm quædam Iuris relaxationes ſint, in ſe decretum aliquod, & præceptum ſaltem implicitè non contineant, quo decernitur, vt ipſe impunè & ſine moleſtatione vti poſſit diſpenſatione

Azor. tom. 1. li. 12. c. 7. dub. 1. *Sayr.* lib. 6. cap. 11. dub. 1.

Anton. 3. part. tit. 1. cap. 21. §.

tione; quod idem in priuilegijs, & legibus permiſſiuis cernitur, quæ alijs neceſſitatem imponunt, ne illi, cui priuilegium conceditur, negotium faceſſant. Fruſtra enim diſpenſatio, ſeu legis relaxatio alicui conceditur, aut permittitur, ſaltem in foro externo, niſi impunè, abſque moleſtia, aut reſiſtentia ea vti poſſit. Vnde diſpenſatio, ſicut & priuilegium, tametſi non reſpectu illius cui conceditur, reſpectu tamen aliorum præceptum ſeu obligationem inducit, vt Doctores tractantes de Legibus communiter docent. Et propterea quando Summus *Pontifex* diſpenſat cum Religioſo, vt matrimonium in foro externo contrahat, non ſolùm poteſt decernere iubendo vt tale matrimonium cenſeatur, ſeu habeatur legitimum in ordine ad praxim, quod *Leſsius* concedit, ſed etiam id de facto ſaltem implicitè iubet, alioquin enim cum eo quoad forum externum non diſpenſaret, neque talem religioſum ab obligatione non nubendi, quam promiſſio illa ſolemnis Deo facta induxit, & à pœna votum frangenti per legem impoſita quoad forum externum relaxaret.

9 *Deinde Leſsius* à decretis ſeu præceptis morum, de quibus in *minori* propoſitione primæ ſuæ rationis loquitur, iam ad doctrinam, ſeu decreta fidei ſatis doloſè transfugit illis verbis [*aut ſententiarum iudicialium, quibus decidatur tale coniugium ex parte rei eſſe legitimum, & firmum*] Quaſi verò ipſe aut in *maiori* propoſitione primę ſuæ rationis de decretis & ſententijs generatim non ſit locutus, aut in *minori* per decreta & ſententias, non etiam intelligat ea decreta & ſententias iudiciales,

diciales, quibus *Fredericus* ſecundus depoſitus eſt ab *Innocentio* 4. in Concilio *Lugdunenſi*, & *Henricus* quartus à *Gregorio* 7. in Concilio *Romano*, & plures alij *Reges*, ac *Principes* per decreta & ſententias Romanorum *Pontificum* ſuis Regnis, & dominijs priuati ſunt: Quæ tamen decreta & ſententiæ neque totam Eccleſiam, ſed Regna tantum particularia concernunt, neque eiuſmodi ſunt, quibus decidatur, tales depoſitiones ex parte rei eſſe legitimas & firmas. Quòd vero *Lateranenſe* Concilium nihil tale decreuerit, neque in eo decreto ſæpiùs inculcato (quod tamen neque propriè decretum ex Aduerſariorum ſententia eſſe poteſt, vt diximus) loquatur de *Principibus* ſupremis, ſed ſolùm de *inferioribus Dominis* ex *ſupremorum* conſenſu, & proinde qualecunque decretum illud ſit, non ſpirituali ſed temporali authoritate conditum fuerit, ſuperiùs copioſè admodum commonſtrauimus. An verò, & quando eiuſmodi coniugium diſpenſatione *Pontificis* nixum, de cuius validitate Doctores Catholici certant, in praxi cenſeri & haberi debeat aut non debeat pro legitimo, & quomodo error, deceptio, & iniuſtitia materialis, quicquid ſit de formali, in eo reperiatur, ſi *Pontifex* re quidem vera talem diſpenſandi poteſtatem non habeat, iam ſuprà etiam declarauimus.

10 Denique, *de licentia data Sacerdoti*, ait *Leſsius*, [e] *ad miniſtrandum Sacramentum Confirmationis, admitto illam doctrinam ſupponi vt fundamentum illius conceſsionis & miniſterij, poſita neceſsitate alicuius populi. Verùm nihil hic inordinati admitti ſuprà oſtenſum. Nulla*

e Nu. 35. pag. 67.

tamen decreta vidi hactenus, vel ſententias Iudiciarias huic doctrinæ tanquam fundamento innixas. Non nego tamen quin Pontifex poſſet ſtatuere ne ſic confirmati ſecundò confirmentur: quia Sacramentum iſtud non eſt omnino neceſſarium; & tanta eſt probabilitas fuiſſe primò validè collatum, vt poſſit vitari repetitio. Poſſet etiam permitti repetitio cum tacita vel expreſſa conditione, præſertim ſi ſententia illa ponatur eſſe incerta.

11 Sed *imprimis* vtrùm aliquid inordinati ex hac conceſſione ſequatur, necne, ſuprà etiam oſtenſum eſt. Hoc ſaltem hinc ſequitur, *maiorem* propoſitionem primæ meæ *Inſtantiæ* ex hac parte veram eſſe, & *maiorem* primæ ſuæ rationis falſam. Continet enim in ſe hæc conceſſio ſaltem implicitè decretum quoddam, conſtitutionem, & præceptum obligationem imponens alijs, ne eum, cui tale priuilegium conceditur, ab eo vtendo impediant. Hæc etenim licentia complectitur in ſe priuilegium quoddam, vt perſpicuum eſt: *Priuilegium* autem eſt *lex priuata aliquid ſpeciale concedens*, & vt rectè ait *Suarez*, & alij Doctores qui de Legibus tractant, *ſi abſolutè & non ad determinatum tempus feratur, eſt lex propriè dicta, vtpote perpetuitatem habens, nec finitur morte concedentis, in quo excedit vim præcepti, & conuenit cum lege, & in cæteris etiam ſeruat proportionem ad legem, & quamdiu durat per modum legis obſeruari debet.*

Suarez lib. 8. de Legibus cap. 1. nu. 2.

12 Ex quo conſequitur, non eſſe vniuerſaliter verum, quod *Leſſius* in *prima* ſua ratione aſſerit, nempe *doctrinam illam, quam Pontifices ſupponunt tanquam fundamentum ſuarum conſtitu-*

tionum eſſe certam, atque ad fidem pertinere. Quòd ſi *Leſſius*, qui in *maiori* ſua propoſitione de conſtitutionibus, ſeu decretis, atque ſententijs generatim, & abſque limitatione loquutus eſt, velit ea nunc difficultate preſſus reſtringere, vti videtur, ad decreta, conſtitutiones, & ſententias Iudiciarias, quibus decidatur, tales licentias & conceſsiones eſſe ex parte rei veras, firmas, & licitas; vt nunc de *Maiori* eius propoſitione nihil dicamus, quod attinet ad Summos *Pontifices*, qui ex ſententia doctiſsimorũ Theologorum in generalibus tam fidei quam morum decretis errare poſſunt, negamus *Minorem* propoſitionem ſui argumenti, quia nullum reperitur decretum, quo decidatur, depoſitiones *Principum* ſupremorum authoritate *Pontificis* factas ex parte rei eſſe legitimas & iuſtas: Atque ita de depoſitionibus, & diſpenſationibus atq; conceſsionibus & licentijs prædictis par omnino eſt ratio.

13 *Deinde*, quod *Leſſius* ait, *poſſe Pontificem ſtatuere, ne ſic confirmati ſecundo confirmentur, quia Sacramentum iſtud non eſt omnino neceſſarium, & tanta eſt probabilitas fuiſſe primò validè collatum, vt poſſit vitari repetitio*, mihi ſatis durum videtur, & valde incerto fundamento nititur: *Tum quia* non eſt adeo certum, vt ipſe prætendit, Sacramentum iſtud non eſſe iure diuino neceſſarium neceſsitate pręcepti ſaltem tempore perſequutionis ſi commodè haberi poſsit; *Tum* etiam *quia*, cùm vtriuſque partis ſit æqua ferè probabilitas, vt ſuprà oſtendimus, non video, quo iure poſsit Summus *Pontifex* prohibere, ne ſic confirmati denuo ſub conditione confirmentur, quamdiu

incertum eſt & admodum probabile, eos neque fructum Sacramenti, neque Sacramentum ipſum, ad quod ſuſcipiendum quando commodè poſſunt, poſita eius inſtitutione ius habent liberrimum, re quidem vera ſuſcepiſſe; neque enim fideli quiſpiam non ſolùm bono ſpirituali neceſſario, ſed etiam valde vtili abſque ſua culpa, vel alia vrgentiſſima cauſa, quam *Leſsius* hîc aſſignare non poteſt, priuari debet.

14 *Minor quoque propoſito*, ait *Leſsius*, *falſa eſt*, *nimirum* eam doctrinam quæ eſt fundamentum diſpenſationum debere eſſe certiſſimam, *vt ſuprà ſatis oſtenſum*. Scio *Minorem* propoſitionem meæ *Inſtantia* non ſolùm quoad hanc partem, quantum attinet ad diſpenſationes, ſed etiam quoad cæteras eius partes falſam eſſe. Neque enim ea de cauſa illam adduxi, vt oſtenderem, illam quoad aliquod eius membrum veram eſſe, ſed vt *Leſſius* ex eius falſitate perſpiceret, *maiorem* propoſitionem ſui argumenti ita generaliter, vt ab eo profertur, acceptam etiam falſam eſſe. Nulla ſiquidem ſufficiens ratio aſſignari poteſt, ob quam doctrina illa, quæ eſt fundamentum deſpoſitionum particularium, atque ad totam Eccleſiam non pertinentium, *certiſsima* eſſe debeat, & doctrina, quæ eſt fundamentum particularium diſpenſationum, & ad particulares perſonas aut Prouincias ſpectantium, *incerta* eſſe queat. Quod ſi *Leſsius* nunc, vt difficultatem effugiat, *maiorem* ſuam propoſitionem ad decreta tantùm generalia, & ad totam Eccleſiam pertinentia reſtringendam eſſe velit, cùm antea abſq; reſtrictione loquutus fuerit, fateor, *Concilium generа-*

nerale (nam de *Romano Pontifice* alia eſt ratio vt ſuprà oſtenſum) in decretis morum qui ad ſalutem neceſſarij ſunt, & ad totam Eccleſiam ſpectant, errare non poſſe: Sed tunc nego *Minorem* eius propoſitionem, nempè doctrinam hanc de poteſtate *Papali Principes* deponendi, aut pœnas temporales infligendi ſupponi vel à *Concilijs*, vel etiam à *Pontificibus* tanquam fundamentum alicuius eiuſmodi generalis decreti authoritate verè Eccleſiaſtica & non ciuili conditi, atque ad totam Eccleſiam pertinentis.

15 Atque hinc facilè ſoluitur quod *Leſſius* immediatè ſubiungit. *Addo*, inquit, [f] *parum bona fide in hoc argumento retorquendo videri Aduerſarios verſari, quia omittunt id in quo præcipua vis ponebatur: nimirum*, Quòd multa Concilia generalia hanc doctrinam (*de poteſtate Pontificis in temporalibus bono ſpirituali exigente*) tradunt, & tanquam fundamentum multorum canonum, & ſententiarum Iudicialium ſtatuunt. *Videbant enim id non habere locum in exemplis à ſe allatis. Non enim vlla Concilia generalia tradunt, aut Beatam Virginem in primo inſtanti Conceptionis ſanctificatam, aut Summum Pontificem poſſe hoc momentum Conceptionis, tanquam immaculatum iubere coli; aut poſſe ſimplici Sacerdoti poteſtatem adminiſtrandi validè Confirmationis Sacramentum concedere (Etſi enim Concilium* Florentinum *in inſtructione Armenorum id videatur inſinuare, non tamen clarè & abſolutè aſſerit eſſe validum) aut poſſe cum Religioſo profeſſo diſpenſare vt nuptias ineat. Nihil horum aſſeritur à Concilijs, aut ſupponitur tanquam fundamentum decretorum & Canonum. Unde*

[f] nu. 37. pag. 68.

Vnde apparet magnum diſcrimen inter doctrinam de poteſtate Eccleſiæ in temporalibus, & inter doctrinam de poteſtate ad ſupradictos actus. Illa enim apertè, abſolutè, & ſine ambiguitate aſſeritur à multis Concilijs Oecumenicis; hæc minimè. Illa ſtatuitur fundamentum & baſis plurimorum decretorum, & ſententiarum iudicialium maximi momenti, & totius pene Eccleſiaſticæ gubernationis; huic verò nihil tale competit. Multum verò intereſt vtrùm à Concilio Oecumenico aliquid aſſeratur an priuatim à Summo Pontifice aliquo caſu occurrente. Quanquam (vt ſupradictum eſt) nec ipſi Summi Pontifices poteſtatem ſibi ad actus ſupradictos, quos Aduerſarij obijciunt, tanquam indubitatam arrogent, aut eam ſibi competere abſolutè aſſerant.

16 Sed profectò *Leſſius* parum bona fide me in hoc argumento retorquendo tanquam omittentem id, in quo præcipua vis ponebatur, reprehendit. Tota enim vis ſui argumenti, vt antea viſum eſt, in hoc conſiſtit, quòd *hæc doctrina de poteſtate Papali Principes deponendi, & ſubditos à fidelitate abſoluendi proponatur, vel ſupponatur à Pontificibus, Concilijs, & Doctoribus tanquam fundamentum multorum Canonum, ſeu conſtitutionum, & ſententiarum iudicialium*, & *proinde ad fidem pertinere debeat*, Sed cùm iam *Leſſius* vidiſſet, hoc argumentum habere locum in exemplis à me allatis, primam illam ſuam rationem in hac ſua *Diſcuſſione* correxit, ſeu potiùs mutauit, & hanc loco eius peſſima fide ſubſtituit, nempe quòd *multa Concilia generalia vt* Lateranenſe, *& alia, hanc doctrinam (de poteſtate Pontificis in temporalibus bona ſpirituali exigente)*

tradant, & tanquam fundamentum multorum Canonum & ſententiarum ſtatuant, & proinde hac doctrina debeat eſſe certiſsima: Videbat enim, ſe hac ratione *primam* meam *Inſtantiam* aliquo colore eludere potuiſſe. Cùm tamen in illo argumento, quod in *Diſputatione* ſua *Apologetica*, ex qua illud deſumpſi, adduxit, neque de *Concilijs* tantùm generalibus, ſed de *Concilijs* indefinitè, & indiſcriminatim, atque etiam de *Pontificibus*, & *Doctoribus* loquutus fuerit, neque etiam dixit, quòd *multa Concilia generalia hanc doctrinam tradunt*, ſed ſolùm quòd *Pontifices, Concilia, & Doctores hanc doctrinam proponant, vel ſupponant tanquam fundamentum multorum Canonum, & ſententiarum iudicialium*. Si enim ibi dixiſſet multa Concilia generalia, & præſertim *Lateranenſe*, hanc doctrinam tradidiſſe, quòd *Papa* poteſtatem habeat *Principes* deponendi, hanc propoſitionem, cùm potiùs ad doctrinam fidei, quàm ad decreta morum pertineat, protinus abſque vlla hæſitatione negaſſem. Neque enim vel Concilium *Lateranenſe*, vel aliud Oecumenicum vnquam hanc doctrinam tradidiſſe, aut eam apertè, dilucidè, & ſine ambiguitate aſſeruiſſe, *Leſsius*, quicquid hîc dicat, demonſtrare poterit, vt partim ex dictis conſtat, & ex dicendis clariùs apparebit.

17 *Deinde* eadem planè ratione, iuxta Aduerſariorum principia, de infallibilitate *Summi Pontificis*, atque *Conciliorum generalium*, debita proportione ſeruata, philoſophandum eſt: cùm ipſi totam infallibilitatem Eccleſię in *Romano* Pontifice conſiſtere opinentur; adeo vt *Concilium*

lium generale ſine *Romano* Pontifice non niſi fallibiliter, *Romanum* verò Pontificem abſque *Concilio* generali infallibiliter definire poſſe imaginentur. Et conſequenter docent, in ijſdem decretis tam fidei, quàm morum ſtabiliendis, & in ijſdem diſpenſationibus, Indulgentijs, licentijs, & priuilegijs concedendis, in quibus, & eodem planè modo, quo *Concilia* generalia à *Pontifice* confirmata errare poterunt vel non poterunt, *Romanum* etiam Pontificem, in quo ſolo tota Eccleſiæ infallibitas, ex eorum ſententia, reſidet, pariter errare poſſe, vel non poſſe, ſi ſolus abſque *Concilio* generali definiat. Atque hæc cauſa erat, ob quam ego *tria* prædicta *Leſſij* argumenta ex eius principijs retorquens, *tria* exempla de decretis & conſtitutionibus *Summorum Pontificum*, *treſque* Inſtantias in illis fundatas illis oppoſuerim, cùm ex eius ſententia, definitiones, decreta, aſſertiones, indulta, diſpenſationes, conceſſiones, & priuilegia *Summorum Pontificum*, atque *Conciliorum generalium*, ſi eodem modo, ijſdemque ſeruatis conditionibus fiant, quod ad eorundem certitudinem, vel incertitudinem ſpectat, æquiparentur, eademque infallibilitas, idemque erroris periculum pariter in vtriſque, ſi caſus non ſit diſpar, reperiatur. Et nihilominus ex doctrina ſuperiùs tradita *Franciſci Suarez*, qui vult, Concilium *Tridentinum* ſuo decreto conſtitutionem *Sixti* quarti de Feſto Conceptionis B. *Virginis* celebrando approbaſſe, apertiſſimè colligitur, doctrinam, quam *Summi Pontifices*, & *Concilia generalia* ſupponunt tanquam fundamentum ſuarum Conſtitutionum, non ſemper certam eſſe, atque ad fidem pertinere.

18 Facile igitur eſt ex dictis, ad primam *Leſsij* obiectionem ſuprà à me relatam in forma reſpondere. Conſtat enim *Maiorem* illam propoſitionem, *Illa doctrina ad fidem pertinet, quam Summi Pontifices, Concilia, & Doctores vel proponunt, vel ſupponunt, tanquam certum fundamentum ſuarum conſtitutionum, & ſententiarum*, falſam eſſe. Nam neque conſtitutiones, & ſententiæ particulares etiam *Conciliorum generalium*, neque omnia earum fundamenta ad fidem pertinent, vt ex dictis perſpicuum eſt; neque etiam conſtitutiones, & ſententiæ generales *Summorum Pontificum*, omniaque earum fundamenta ex probabili *Pariſienſium*, aliorumque doctiſsimorum Theologorum, & Iuriſconſultorum ſententia ad fidem ſpectant.

19 Neque etiam *Leſsius* per *certum fundamentum* intellexit *fundamentum infallibile*, & quod errori obnoxium non eſt, ſed per *certum fundamentum* intellexit determinatum quoddam fundamentum, in quo ſenſu à *Cicerone* & alijs vocabulum illud [*certum*] ſæpiſsimè vſurpatur: Et propterea *Leſsius* tum in *minori* ſua propoſitione, tum etiam in tota *prima* ratione, quam in hoc Tractatu artificioſè concinnauit, vocabulum illud [*certum*] penitus prætermiſit, vt ita oſtenderet, ſe nullam planè vim in eo vocabulo [*certum*] poſuiſſe, ſed per *certum* fundamentum *determinatum* quodcunque fundamentum, ſeu *aliquod* fundamentum intellexiſſe. Sin autem per *fundamentum certum, fundamentum infallibile*, & doctrinam *de fide certò credendam* intelligere quis velit, tunc & *Maior* propoſitio quantum ſpectat ad ſolos *Pontifices*, vel falſa, vel incertà eſt, ſiue particularia

eorum decreta, conſtitutiones & ſententias, ſiue generalia & ad totam Eccleſiam ſpectantia reſpiciamus, & *Minorem* etiam, ſi de conſtitutionibus, & ſententijs generalibus ſola authoritate ſpirituali abſque neceſſario *Principum* conſenſu ſiue à *Pontifice*, ſiue à *Concilio* generali editis, non eſſe, ex ſententia quæ *pleriſque Doctoribus placet*, veritati conſonam, iam ſupra comprobauimus.

20 Quid autem Doctores etiam plurimi proponant vel ſupponant tanquam doctrinam de fide certam, ſi alij tametſi multo pauciores repugnent, ad certam & infallibilem faciendam fidem parum vel nihil intereſt. Nam *Theologorum etiam multorum teſtimonium*, vt rectè dixit *Canus*, *ſi alij contrà pugnant viri docti, non plùs valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipſorum, vel grauior etiam authoritas comprobarit. Vnde in Scholaſtica diſputatione plurium authoritas obruere Theologum non debet, ſed ſi paucos viros modò graues ſecum habet, poterit ſanè aduerſùs plurimos ſtare.*

Canus lib. 8. de locis. cap. 4.

SECTIO VI.

In qua ſecunda Authoris *Inſtantia defenditur, & quæ* Leſsius *contra eam obijcit diluuntur.*

1 SEcunda *Inſtantia*, quam ad ſecundam „
Leſij obiectionem infirmandam attuli, „
hæc erat.[a] *Deinde*, ſi Summus Pontifex expreſſè „
definiret, Eccleſiam habere talem poteſtatem „
(nempe concedendi Presbytero miniſterium „
confirmationis, diſpenſandi in voto ſolenni ca- „
ſtitatis,

[a] In Præfat. cit. nu. 60

“ ſtitatis, & indicendi Feſtum, quo honoretur ipſum
“ primum momentum Conceptionis B. *Virginis*
“ tanquam immaculatum) nemo Catholicus (ex
“ ijs præſertim qui *Papam* abſque *Concilio* generali
“ definientem non poſſe errare defendunt) dubi-
“ taret, quin ea res ad fidem pertineret : atqui
“ cùm ſupponit illud tanquam certum fundamen-
“ tum ſuarum conſtitutionum, & ſententiarum,
“ non minùs illud cenſetur aſſerere, quàm ſi ex-
“ preſſè definiret, ergo non minùs certum cen-
ſeri debet. Nomine antem *certi* fundamenti non intellexi *infallibile*, ſed aliquod determinatè fundamentum, vt antea dictum eſt.

[b] Nu. 38. pag. 71.

2 Iam ad hanc Inſtantiam *Leſſius* [b] ita reſpondet: *Omiſſa propoſitione (de qua multa dici poſſent) Reſpondeo, falſam eſſe ſubſumptionem, ut ex ijs quæ ſuprà diximus clarè conſtat : Falſum enim eſt, Pontificem ſupponere illam poteſtatem, tanquam fundamentum conſtitutionum, & ſententiarum pænalium, quibus immediatè irrogetur pæna, & priuetur quis bonis poſſeſſis, & fiat incapax & inhabilis ad actus legitimos, & acta eius reddantur irrita, & ſubditi liberentur ab obedientia, & vinculo Iuramenti, quo erant illi obſtricti &c. De hac enim poteſtate agitur in noſtro argumento. Poteſt quidem poteſtas, quæ non omnino certa, ſed probabilis, eſſe fundamentum alicuius diſpenſationis in aliquo impedimento, vel conceſſionis in Sacramentis adminiſtrandis, quia inde nihil incommodi, cùm agatur de fauore & beneficio, & nemo cogatur, nemo iure propinquo, ſeu in re obtenta ſpolietur. Non tamen poteſt eſſe fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, & iure ſuo ac dominio priuetur, & generales*

rales canones pænales ſtatuantur &c. Sed talis poteſtas certiſsimè, non dubiè debet competere. Nullus enim Iudex poteſt irrogare pænas adeo graues, aut condere decreta, quibus irrogentur, niſi conſtet illi talem poteſtatem conceſſam. Si enim id vllo modo eſſet dubium, poſſet reus excipere, & ei non parere. Hinc neque delegatis creditur in alicuius præiudicium, niſi authentico inſtrumento oſtendant ſuam poteſtatem, ita vt nulla ampliùs relinquatur iuſta dubitandi ratio.

3 Sed *inprimis*, tametſi de propoſitione multa dici poſſent ab ijs Catholicis, qui Summum *Pontificem Concilio* generali ſubijciunt, tamen à *Leſsio*, qui ſupremam & ſolam res fidei infallibiliter definiendi authoritatem in Summo *Pontifice* collocat, nihil dici poteſt, quod contra nos faciat. *Deinde* optimè noui, *ſubſumptionem* meam quoad aliquam eius partem falſam eſſe, vt ex ijs quæ ſuprà diximus perſpicuè conſtat, non tamen quoad eam partem quam ipſe impugnat. Veriſsimum enim eſt, & meam *ſubſumptionem*, & *maiorem* primæ ſuæ rationis propoſitionem, & conſequenter *ſubſumptionem* ſecundæ ſuæ rationis, ſi verborum proprietatem ſpectemus, ad pænales tantùm conſtitutiones, & ſententias non eſſe reſtringendas, vti nunc eas reſtringit, ſed de conſtitutionibus & ſententijs abſolutè, generaliter, & illimitatè, ſiue pænales, ſiue fauorabiles ſint, (dummodo verè & propriè conſtitutiones & ſententiæ *Pontificum*, aut *Conciliorum* ſint) intelligendas eſſe. *Illa*, inquit, *doctrina ad fidem pertinet, quam Pontifices, Concilia, & Doctores tanquam certum fundamentum ſuarum conſtitutionum,*

&

& ſententiarum vel proponunt, vel ſupponunt: Nulla hîc conſtitutionum reſtrictio, nulla ſententiarum limitatio; & propterea *ſecundum* eius *argumentum* ita etiam intelligi debet, vt *illa doctrina, quæ ſupponitur tanquam fundamentum conſtitutionum & ſententiarum Pontificiarum, & Conciliorum generalium* in genere, *non minùs certa cenſeri debeat, quàm ſi Summus Pontifex, vel Concilium generale eam expreſſè definiret:* ex qua propoſitione generali deinde conſequitur, doctrinam illam, quæ eſt fundamentum conſtitutionum, & ſententiarum pęnalium, veluti depoſitionum, relegationum, confiſcationis bonorum, incarcerationum &c. debere etiam eſſe certiſſimam, atque ad fidem pertinere.

4. Veruntamen, cùm pæniteat *Leſsium*, vti videtur, tam abſolutè, & abſque vlla reſtrictione locutum eſſe, & iam verba ſua, quantumcunque illimitata ſint, ad conſtitutiones, & ſententias tantùm pænales reſtringenda eſſe velit, nihil morabimur: Nam tametſi ita intelligantur, falſa tamen eſt *ſubſumptio* vtriuſque ſuæ rationis, quod attinet ad *Concilia generalia.* Neque enim vllum *generale Concilium* doctrinam hanc de poteſtate *Summi Pontificis Principes* deponendi ſupponit tanquam fundamentum alicuius decreti generalis, in quo pænæ temporales vel *Principibus* vel ſubditis authoritate verè ſpirituali, atque à *Chriſto* Domino Prælatis Eccleſiaſticis conceſſa (de qua ſola iam quæſtio eſt) iuxta ſententiam, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, infligendæ decernuntur, vt ex dictis conſtat, & ex dicendis magis manifeſtum fiet: Nam in decretis morum particula-

ticularibus *Concilium generale* non tantum in fundamento decreti, ſed etiam in decreto ipſo, ex ſententia *Melchioris Cani*, per ignorantiam errare poſſe ſuperiùs commonſtrauimus. Vnde ſi *Leſſius* de decretis iſtis particularibus loquatur, falſa etiam eſt *poſtrema* pars propoſitionis, quam in *ſecunda* ſua ratione ſubſumit, cùm perſpicuum ſit, doctrinam illam, quæ eſt fundamentum decreti & ſententiæ particularis, non ita certam eſſe oportere, atque ſi ipſamet doctrina à *Concilio* generali expreſſè definita eſſet: Tametſi etiam *Leſſius* demonſtrare non poterit, reperiri aliquod omnino *Concilij* generalis decretum, aut ſententiam particularem, quæ *Principibus* ſupremis pænas temporales infligendas eſſe decernit: nam decreta *Conciliorum* etiam generalia reperiri, in quibus pænę temporales inferioribus Dominis ex ſupremorum conſenſu, ſeu authoritate ciuili illis ex *Principum* priuilegijs conceſſa, non ſpirituali illis à *Chriſto* Domino communicata infligendæ decernuntur, nullum planè inconueniens eſſe, ſæpiùs affirmauimus.

5 Quòd igitur *Minor* propoſitio huius ſecundæ meæ Inſtantię quoad ſecundam eius partem, nimirum, quòd *doctrina quæ eſt fundamentum illorum decretorum, diſpenſationum, &* conceſſionum *debeat eſſe tam certa, ac ſi expreſſe definita eſſet*, falſa ſit, nihil omnino contra me facit. Non enim eam alia de cauſa propoſui, quàm vt ex illius falſitate Lector perſpiceret, falſum etiam eſſe, quod *Leſſius* in ſecunda parte ſuæ rationis ſubſumit, nempe quòd *doctrina illa quam Pontifices ſupponunt, vt fundamentum ſuarum conſtitu-*

tionum, ſententiarum, & depoſitionum tam certa eſſe debeat, ac ſi expreſſè definita fuiſſet.

6 In eo autem quod *Leſsius* ait, *poteſtatem, quæ non omnino certa ſed probabilis eſt, non poſſe eſſe fundamentum quo immediatè aliquis puniatur, & iure ſuo, ac Dominio priuetur, & bonis poſſeſsis ſpolietur &c. Sed talis poteſtas certiſsimè, non dubiè debet competere*, libenter cum eo conuenimus. Et propterea viderit *Leſsius* quo iure, quaue iniuria *Pontifices* illos, qui *Reges* ac *Imperatores* ſuis Regnis & Dominijs priuarunt, ab iniuſtitia excuſet, illoſque *Principes*, eorumque ſubditos vt inobedientes & Sedi Apoſtolicæ rebelles condemnet, qui eiuſmodi depriuationum ſententijs non obtemperarunt, quandoquidem *Pontifices* illi non adhuc authentico aliquo inſtrumento oſtenderint talem ſuam depriuandi *Principes* poteſtatem, quam ſibi à *Chriſto* Domino delegatam eſſe prætendunt; *Nullus autem Iudex poteſt irrogare pœnas adeo graues, aut condere decreta quibus irrogentur, niſi conſtet certiſsimè illi talem poteſtatem conceſſam. Si enim id vllo modo eſſet dubium poſſet reus excipere, & ei non parere. Hinc neque delegatis creditur in alicuius præiudicium, niſi authentico inſtrumento oſtendant ſuam poteſtatem, ita vt nulla ampliùs relinquatur iuſta dubitandi ratio.*

7 Quòd autem poteſtas hæc *Principes* deponendi, & pęnas temporales infligendi Summo *Pontifici* certiſſimè non competat, ſed de ea tum *Principibus* tum ſubditis adhuc relinquatur iuſta dubitandi ratio, nimis manifeſtum eſt; *cùm magna fuerit ſemper, teſte Ioanne Azorio* Ieſuita, *inter*

Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 5. q. 8.

Imperatores Regeſque ex vna parte, & ex altera parte inter Romanos Pontifices controuerſia, an in certis cauſis ſit ius, & poteſtas Summo Pontifici priuandi Reges Regno ſuo: cùm *de hac re certent Scholaſtici, & adhuc ſub Iudice lis ſit,* ait Trithemius, *an Papa poſſit Imperatorem deponere:* cùm *poteſtas Eccleſiaſtica,* vt inquit *Almainus, nullam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione diuina infligere poſsit, immò nec incarcerare, vt pleriſque Doctoribus placet, ſed ad ſolam pænam ſpiritualem extendatur, vtputa Excommunicationem, reliquæ autem pænæ quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo ſint:* cùm, teſte *Petro Pithæo, viro,* vt ait *Poſſeuinus,*[c] *verè erudito, & antiquitatis ſedulo perquiſitore,* in libro, quem collegit libertatum Eccleſiæ Gallicanę authoritate Senatus in lucem edito anno 1594. (vt alios plurimos Authores à me alibi[d] citatos nunc taceam) Regnum Francię ſemper hanc maximam vt certam approbauit, quòd *Papa Regnum Franciæ eiuſque pertinentias dare in prædam non poſſit, neque eo Regem priuare, & non obſtantibus quibuſcunque monitionibus, excommunicationibus, vel Interdictis quæ per Papam ferri poſſunt, Subditi tamen obedientiam pro temporalibus debitam Regi præſtare teneantur, neque in ea per Papam diſpenſari, aut abſolui queant.*

Trithem. in Chron monaſt. Hirſaug. ad annum. 1106.

Almain. in lib. de Dominio naturali ciuili & Eccleſ. in probatione 2. concluſionis.

Petrus Pithæus, & Regnum Franciæ.

c Verbo *Petrus Pithæus.*

d In *Apologia* nu. 4. & ſeq. & in *Diſputat. Theolog.* cap. 3. ſec. 2. & in *Conſuetat.* Anglic. *Tho. Fitz.* part. 1. per totum.

8 Ex his *duo* ſatis perſpicuè colligi poſſunt. *Primum* eſt, non poſſe Summum *Pontificem*, iuxta principia *Leſſij* iam poſita, quę tamen non ſatis conſona ſunt ijs quæ antea docuerat, vel licentiam concedere Religioſo profeſſo vt nuptias

ineat, vel in matrimonio rato non conſummato diſpenſare, in præiudicium tertiæ perſonæ, quæ per talem conceſſionem, aut diſpenſationem iure ſuo ac dominio, quod legitimè poſſidet, inuita & reluctans ſpoliatur, quamdiu probabile eſt, talem concedendi, & diſpenſandi poteſtatem Summo *Pontifici* non competere, nec teneri eum, qui iure ſuo ex tali diſpenſatione priuatur, parere Summo *Pontifici*, ſed poſſe eum excipere, niſi authentico inſtumento oſtendat *Pontifex* ſuam poteſtatem, ita vt nulla ampliùs relinquatur iuſta dubitandi ratio: tametſi non negauerim, vt antea dictum eſt, poſſe quidem poteſtatem, quæ non omnino certa ſed probabilis eſt, eſſe fundamentum alicuius diſpenſationis in aliquo impedimento, vel conceſſionis in ſacramentis adminiſtrandis, & ſimilibus, in quantum nemini præiudicium affert, & agitur de fauore & beneficio, & nemo cogitur, nemo iure ſuo, ac dominio ſpoliatur.

9. *Alterum* eſt, *ſubſumptionem* ſecundæ rationis *Leſsij* falſam eſſe, neque enim verum eſt, *Concilium* aliquod generale ſupponere doctrinam illam de poteſtate Eccleſiæ *Principes* ſupremos deponendi tanquam fundamentum alicuius conſtitutionis, aut ſententiæ ſiue pænalis ſiue fauorabilis, & propterea negando *minorem* illam propoſitionem quoad hanc partem, ad illam in forma reſpondendum eſſe; In quo autem ſenſu altera pars *minoris* vera & falſa ſit, nempe, quòd doctrina illa, quæ ſupponitur tanquam fundamentum conſtitutionis, aut ſententiæ

Eccleſiaſticæ debeat eſſe non minùs certa, quàm ſi *Concilium* generale illam doctrinam expreſsè definiret, antea etiam declaratum eſt.

SECTIO VII.

In qua tertia Authoris *Inſtantia defenditur, & quæ* Leſsius *contra eam adducit refelluntur.*

1 TErtia *Inſtantia*, quam ad tertiam *Leſsij* rationem confutandam adduxi, hæc erat.
[a] Præterea, de fide eſt, *vt Aduerſarij ſupponunt*, ,,
Summum *Pontificem* non poſſe errare in doctrina, ,,
& præceptis morum, docendo generatim ,,
aliquid eſſe licitum quod eſt iniquum, aut iniquum ,,
quod licitum, aut etiam aliquid per ſe iniquum ,,
præcipiendo; talis enim error non minùs ,,
pernicioſus eſt fidelibus, quàm error in fide; atqui ,,
ſi Summus *Pontifex* non haberet poteſtatem ,,
in ſolenni religionis voto diſpenſandi, aut non ,,
poſſet ſimplici Presbytero facultatem tribuere, vt ,,
vnctione Chriſmatis baptizatos confirmet, errare ,,
poſſet in doctrina & præceptis morum, & quidem ,,
circa res grauiſſimas. Docet enim Sacramentum ,,
Confirmationis à ſimplici Presbytero ,,
confectum verum Sacramentum eſſe. Item, ,,
Principe Monialem profeſſam ex diſpenſatione ,,
Pontificis in vxorem accipiente, matrimonium ,,
illud eſſe ratum & validum, & liberos ex illis ,,
naſcituros legitimos eſſe, atque in Regno ſuccedere ,,
oportere. Et non obſtante, quod proximi ,,

[a] in *Præfat.* cit. nu. 61.

“ Regis conſanguinei ius in Regnum ob defectum hæredis legitimi ſibi vendicarent, poſſet procul dubio Summus *Pontifex*, iuxta Aduerſariorum doctrinam, ſubditis præcipere, atque Cenſuris conſtringere, vt prolem ex tali matrimonio, vtpote legitimo, ſuſceptam pro vero, indubitato, & legitimo ſuo *Principe* agnoſcant: Quæ omnia falſa erunt, neque ſolùm falſa, ſed etiam pernicioſa, quia per ea ſubditi ad iniurias inferendas incitabuntur, & vel inuiti, & reluctantes compellentur, & *Principes* inceſtus, & ſacrilegia perpetrandi liberam à Summo *Pontifice* licentiam obtinebunt. Errat ergo Eccleſia in doctrina morum, & conſulit ſacrilegia, atque præcipit iniuſtitiam, & Cenſuris ſuis ad illam adigit; atqui hoc aſſerere eſt hæreticum, ergo illud vnde ſequitur, nimirum Summũ *Pontificem* non habere poteſtatem in ſolenni Religionis voto diſpenſandi, & ſimplici Presbytero, vt Sacramentum Confirmationis conficiat, facultatem impertiendi.

2 Iam ad hanc Inſtantiam *Leſsius* ita reſpondet. [b] *Reſpondeo, Sicut reliquas obiectiones clarè & facilè ſuprà expediuimus, ita quoque & has nullo negotio ex ijs quæ dicta ſunt, expediemus. Falſum enim eſt quod ſubſumitur. Etſi enim ex parte rei non conueniret ei illa poteſtas diſpenſandi, tamen vt ea licitè vtatur, ſufficit magna probabilitas, vt ſuprà oſtenſum.*

[b] nu.40.pag. 74.

3 Sed vtrum ipſe meas *obiectiones* clarè & facilè expediuerit necne, Lector eruditus iudicet; eadem enim facilitate ego aſſero, me eius etiam *rationes*, & *obiectiones* clarè, & facilè expediuiſſe, & hanc quoque nullo negotio ex eius principijs,

cipijs, atque ex ijs quæ dicta ſunt, expediam. Si enim falſum eſt quod in mea *Inſtantia* ſubſumitur, falſum ſimiliter eſt, quod ipſe in ſua ratione ſubſumit. Nam ſi ſufficit magna probabilitas, vt *Pontifex* licitè vtatur poteſtate diſpenſandi in ſolenni caſtitatis voto, quantumuis cedat in grauiſſimum alterius præiudicium, & priuet eum regno, Dominio, alioue iure temporali quod legitimè poſſidet, etiamſi ex parte rei talis poteſtas *Pontifici* non competeret; ex ijſdem etiam principijs ſequitur, ſufficere magnam probabilitatem, vt *Pontifex* licitè vtatur poteſtate *Principes* deponendi, & in iuramento fidelitatis diſpenſandi, etiamſi ex parte rei non conueniret illi talis poteſtas. Et proinde nec clarè, nec facilè, nec omnino *Leſſius* hanc partem meæ *Inſtantiæ* expediuit, aut expedire poterit.

4 Sed, iuxta meam ſententiam ſæpius relatam, non ſufficit magna probabilitas vt *Pontifex* licitè vtatur poteſtate diſpenſandi, vel in temporali fidelitate iuramento firmata, vel in ſolenni voto religioſæ caſtitatis, vel in matrimonio rato non conſummato, ad hunc effectum, vt quis ea re quam legitimè poſſidet, inuitus ſpolietur. Et ſi ſufficeret magna probabilitas, vt quis licitè alium aggrediatur, illumque è Regno, & dominio quod legitimè poſſidet, vi & armis exturbare conetur, à fortiori ſufficiet magna probabilitas, vt ille qui inuaditur, vijs licitis ſe defendat, tametſi alioquin homo priuatus ſit, & ſi *Princeps* eſt vt in eos, qui illum inuadũt, tanquã in hoſtes publicos, & Regni ſui perturbatores manu hoſtili, & armis

ſecularib’ authoritate publica vtẽdo licitè inſurgat.

5 *Neque inde ſequitur*, ait *Leſsius*, *ipſum Pontificem poſſe errare in doctrina*, *& præceptis morum*, *idque circa res grauiſsimas. Nam falſum eſt, illum docere* (*nempe definiendo ex Cathedra*, *& authoritate Pontificia*) *Confirmationem à ſimplici Sacerdote collatam eſſe verum Sacramentum. Immo nec poteſt id definire ſuppoſita incertitudine poteſtatis* (*quam tamen ſuppoſitionem falſam exiſtimo*) *ſed ſufficit illi eſſe valde probabile*, *quòd ſit verum Sacramentum. Similiter falſum eſt*, *illum ſimili modo docere Matrimonium cum Moniali profeſſa*, *obtenta diſpenſatione*, *eſſe ratum*, *& validum ex parte rei. Neque id docere poſſet*, *quamdiu de poteſtate diſpenſandi cum tali dubitari poteſt*: *ſed ſolùm vult*, *& declarat*, *tale matrimonium pro rato*, *& firmo habendum*, *quamdiu de contrario non conſtat*; *ad quod ſufficit magna probabilitas illius poteſtatis*, *& impedimenti ſublati*, *ut ſuprà oſtenſum.*

6 Sed *inprimis*, ſi ex eo quòd *Pontifex Principes* depoſuerit, & ſubditos à Iuramento fidelitatis abſoluerit, ſequatur, ipſum docere, *Principes* per ſummi *Pontificis* ſententiam eſſe verè & ex parte rei depoſitos, & ſubditos eſſe verè, ſeu ex parte rei abſolutos, ex hoc etiam quòd *Pontifex* Sacerdoti Sacramentum *Confirmationis* præſertim extra caſum neceſsitatis adminiſtrandi facultatem tribuat, & in voto ſolenni caſtitatis in graue præiudicium alterius, qui inde dominio temporali quod legitimè poſsidet ſpoliatur, cum Religioſo diſpenſauerit, ſequitur, ipſum docere, & *Confirmationem* à ſimplici Sacerdote cum tali facultate collatam eſſe verum *Sacramentum* ex parte rei,

&

& Matrimonium cum *Moniali* profeſſa obtenta diſpenſatione eſſe ratum & validum verè, & ex parte rei. Veruntamen *Leſſius* iam diuerticula quærit, vt vim noſtri argumenti effugiat. Nam verbum illud [*docere*] quo abſolutè & abſque vlla limitatione in ſua ratione vſus eſt, iam in mea *Inſtantia* ad *doctrinam* ſeu definitionem ex *Cathedra* reſtringit; In quo ſenſu ſi accipiendum eſſe velit, nego, *Concilium* aliquod generale, vel etiam aliquem *Summum Pontificem* vnquam docuiſſe, ſeu decreto aliquo generali totam Eccleſiam obligante ex *Cathedra* definiuiſſe, *Principes* per *Papam* Regnis ſuis abdicatos, eſſe verè & ex parte rei depoſitos, & ſubditos ab eorum fidelitate verè & ex parte rei abſolutos: Et tametſi aliquis Summus *Pontifex* id forſan ex *Cathedra* definiret, eius tamen definitiones ex *Cathedra*, niſi à *Concilio* generali confirmentur, non facere fidem infallibilem *Theologi Pariſienſes* cum pluribus alijs à me alibi citatis [c] probabiliter arbitrantur.

7 *Secundò*, id quod *Leſſius* ait, nempe *poteſtatem Summi Pontificis licentiam Presbytero concedendi, vt Sacramentum Chriſmatis conferat non eſſe incertam*, ſi intelligat non eſſe incertam doctiſſimis Theologis tam antiquis, quam recentioribus, apertiſſimè falſum eſt, vt ſuprà oſtenſum; Dicere autem non eſſe *incertam* ipſi Summo *Pontifici*, tametſi alijs illo longè doctioribus, & qui hanc controuerſiam diligentiſſimè examinarunt, *incerta* ſit, merum figmentum eſt, & abſque vllo prorſus fundamento probabili ad difficultatem non dilucidandam, ſed eludendam à *Leſſio* excogitatum; & quantumuis id verum eſſet, vim mei argumenti

---

[c] Vide ſuprà ſec. 4.

non tolleret, vt ſupra [d] etiam monſtratum.

8 *Tertiò*, ſicut *Pontifex* non poteſt docere, Matrimonium cum *Moniali* profeſſa obtenta diſpenſatione eſſe ratum & validum ex parte rei, quamdiu de poteſtate diſpenſandi cum tali dubitari poteſt, ſed ſolùm vult & declarat, tale matrimonium pro rato & firmo habendum, quamdiu de contrario non conſtat, ad quod ſufficit magna probabilitas illius poteſtatis, & impedimenti ſublati, vt *Leſsius* hîc affirmat, pari ratione, & ex ijſdem planè principijs dici poteſt, Summum *Pontificem* non poſſe docere, *Principem* illum, qui per ſententiam Summi *Pontificis* Regali ſuo iure priuatus eſt, eſſe depoſitum verè & ex parte rei, aut ſubditos illius eſſe verè, & ex parte rei à fidelitate abſolutos, quamdiu de poteſtate *Principes* deponendi, & ſubditos a fidelitate abſoluendi dubitari poteſt; ſed ſolùm vult & declarat *Pontifex*, talem depriuationem pro rata & firma habendam, quamdiu de contrario non conſtat, ad quod ſufficit magna probabilitas illius poteſtatis; atque ita ex hoc capite *certitudo*, quam *Leſsius* prætendit, iſtius poteſtatis *Principes* deponendi iuxta ipſiuſmet principia colligi non poteſt.

9 Veruntamen *quartò* ſicut licitum non eſt *Pontifici* velle, aut declarare tale matrimonium pro rato & firmo habendum, ad hunc effectum, vt quis hæreditatem temporalem in præiudicium alterius abſque illius conſenſu capiat, quamdiu probabiliter conſtat, Summum *Pontificem* non habere poteſtatem taliter diſpenſandi, neque magna probabilitas illius poteſtatis alterum à iure ſuo defendendo impedire poteſt, ſed ſufficit illi ad hæreditatem ſuam, quam legitimè poſſidet, cuſtodi-

[d] ſec. 1. nu. 21. & ſeq.

ſtodiendam magna probabilitas, Summo *Pontifici* talem poteſtatem diſpenſandi non competere, vt ſupra oſtenſum eſt: ita etiam non eſt licitum *Pontifici* velle aut declarare, talem *Principis* depoſitionem, & ſubditorum abſolutionem pro rata & firma habendam, quamdiu de contrario probabiliter conſtat; neque magna probabilitas illius poteſtatis *Regem* à iure ſuo tuendo impedire poteſt, ſed abſque vlla dubitatione ſufficit illi, & ſubditis ſuis magna probabilitas, quòd *Pontifex* non habeat poteſtatem *Principes* deponendi, & ſubditos à fidelitate abſoluendi, ad Regnum, quod legitimè poſſidet, aduerſùs quoſcunque qui ſub eo pretextu illud inuadunt, vi & armis defendendum, & ſi ſubditi ſunt, tanquam contra Proditores, & *læſæ Maieſtatis* reos procedendum.

10 *Vnde vlteriùs ſequitur*, ait *Leſſius*, [e] *liberos pro legitimis habendos, & in regno ſuccedere debere. Quia vtroque iure filij cenſendi legitimi, qui ex matrimonio bona fide (etſi alterius tantùm partis) contracto nati fuerunt, quamuis ob occultum impedimentum irrito; vt patet, extra. Qui filij ſint legitimi cap.* Ex tenore, *cap.* Cum inter. *& cap.* Peruenit.

[e] nu. 40 p. 75.

11 Sed *inprimis*, quòd vtroque iure, id eſt, canonico, & ciuili filij cenſendi ſint legitimi, qui ex matrimonio bona fide vnius tantùm partis contracto nati fuerint, quàmuis ob impedimentum huic parti occultum ſed alteri notum irrito, non ita certum eſt, vt *Leſſius* ſupponere videtur. Nam *Gloſſa* in leg. *Qui contra*, Cod. *de inceſtis nuptijs*, quærens an filij ſint legitimi, quando matrimonium ex aliquo impedimento ex præceptis

legum, vel *Principum* conſtitutionibus orto, eſt nullum, Reſpondet, *id non eſſe cautum in lege. Sed dico*, ait eadem *Gloſſa*, *eſſe legitimos ſi vterque ignorauit, licèt nullum ſit matrimonium, ſicut in adoptiuis contingit, qui ſunt legitimi ſine matrimonio, & hoc dicitur reſcripſiſſe* Alexander *ex priuilegio cuidam; Vbi autem alter ſciuit, illi qui ſciuit non ſunt legitimi, ſed ignoranti ſic.* Vide etiam eodem titulo legem, *Si quis*, & *Gloſſam* ibidem.

12 Exiſtimo tamen *ſecundo*, iure ſaltem canonicò filios pro legitimis habendos eſſe quoad ea, de quibus poteſtas Eccleſiaſtica diſponere poteſt, qui ex matrimonio bona fide vnius tantùm partis contracto, quamuis ob impedimentum alteri parti occultum irrito nati fuerint: Sed hoc intelligendum eſt, quando publicè & in facie Eccleſiæ contrahunt, & de nullo impedimento publico probabiliter conſtat. At in caſu noſtro res aliter ſe habet. Nam, quamdiu publicè probabile eſt, *Papam* non habere poteſtatem in ſolenni caſtitatis voto diſpenſandi, non obſtante diſpenſatione, adhuc de priori impedemento voti ſolennis publicè & probabiliter conſtat; & proinde non niſi probabiliter cenſendum eſt, impedimentum illud per diſpenſationem ſublatum eſſe, aut filios ex tali matrimonio natos eſſe legitimos, & in Regno ſuccedere oportere, quæ tamen probabilitas iuri alterius, qui in legitima illius poſſeſſione manet, præiudicare non debet, vt antea oſtenſum.

13 *Vtrùm autem*, ait *Leſſius*, *poſſit Summus Pontifex ſubditis præcipere, eoſque cenſuris conſtringere, vt prolem ex tali matrimonio ſuſceptam pro vero & legitimo Principe agnoſcant, non ita perſpicuum*

eſt, quia hactenus exemplum non vidimus. Sed mirum eſt, quòd *Leſsius* in hac quæſtione diſſoluenda adeo vacillet, ac ſi ipſe exemplis, & factis *Pontificum* magis quàm ratione perſpicua atque euidenti moueatur. Neque enim dubium aliquod eſſe poteſt, quin ſi filij pro legitimis habendi ſint, & in Regno ſuccedere debeant, vti *Leſsius* antea conceſſit, poſſit Summus *Pontifex* ſubditis præcipere, eoſque Cenſuris conſtringere, vt *Principi* ſuo legitimo iniuriam non faciant, & proinde prolem ex tali matrimonio ſuſceptum pro vero & legitimo *Principe* agnoſcant. Vnde *Leſsius* non ſatis ſibi conſtans infrà hoc certum eſſe abſque hæſitatione affirmat.

Vide infrà nu. 20.

14 *Sed eſto*, ait *Leſsius*, [f] *fateamur poſſe; nihil inde incommodi. Sufficit enim ad hoc magna ibi probabilitas. Hoc enim ipſo quo matrimonium cenſetur validum, proles cenſenda legitima, & debita eſt ei ſucceſsio in regno. Vnde fieret ei iniuria, ſi prætextu impedimenti matrimonij non admitteretur. Quare ſicut ipſa bello ius ſuum proſequi poſſet, ita Summus Pontifex poſſet illam armis ſpiritualibus iuuare, & Cenſuris compellere populum ad eam ſuſcipiendam.*

[f] nu. 40. p. 76.

15 Sed falſum eſt, vt antea diximus, ſufficere ad hoc magnam probabilitatem. Et pari ratione, & ex ijſdem principijs dici poſſet, ſufficere magnam probabilitatem, vt *Principes* deponat, & ſubditos à fidelitate illis debita abſoluat. Hoc enim ipſo, quo matrimonium probabiliter tantùm cenſetur validum, proles etiam probabiliter tantùm cenſenda eſt legitima, & ſucceſsio in regno ei non niſi probabiliter debita. Vnde non fieret ei iniuria, ſi ob probabile illud Matrimonij impedimentum,

mentum, ad Regnum ab eo qui illud abſque vllo probabili dubio illud legitimè poſsidet, aut ad illud ius habet certum & indubium, non admitteretur. Quare nec proles ipſa bello ius ſuum tantùm probabile aduerſus legitimè & indubiè poſſidentem proſequi poteſt, nec Summus *Pontifex* poteſt illam armis ſpiritalibus iuuare, & Cenſuris compellere populum ad eam, legitimo ſuo Rege, aut hærede indubio renitente, ſuſcipiendam, ſed abſque vlla dubitatione aut controuerſia, tam *Rex*, & hæres indubius, quam ſubditi aduerſus omnes, qui ſub ſolo prætextu tituli probabilis Regnum inuadere niterentur, tanquam in hoſtes inſurgere, & armis Secularibus non ſolùm per modum defenſionis, ſed etiam authoritatiuè, vt ita loquar, & per modum licitæ vindictæ etiam vſque ad internecionem perſequi poſſent. Nolo tamen in præſenti negare, magnam probabilitatem ſufficere, vt matrimonium illud ratum & validum cenſendum ſit, quoad aliquos matrimonij effectus, nempe vt ita diſpenſati ſimul cohabitent, & ius coniugale ſibi inuicem reddant, atque vt proles habeatur legitima quoad ſpiritualia, & vt ad ſacros Ordines abſque alia diſpenſatione promoueri queat, cum hæc in *Pontifice*, quâ Paſtor ſpiritualis eſt, ſint poteſtate; ſed ſolam probabilitatem ſufficere, vt proles inde ſuſcepta fiat legitima quoad temporalia abſque *Principis* conſenſu, aut vt hæredem alias indubiè legitimum è iuris ſui poſſeſsione inuitum excludat, de quibus *Princeps* tantùm temporalis, & non *Pontifex* diſponendi poteſtatem habet, hoc *Leſsius* nulla ratione ſolida vnquam demonſtrare poterit.

16 *Simile cernitur, ait Leſsius, quotidianis exemplis in omnibus tribunalibus. Nam latâ ſententiâ pro altera parte, fit executio aduerſùs alteram, eaque compellitur etiam pænis, & rerum ablatione ad præſtandum iudicatum. Et tamen non eſt certum, illam ſententiam ex parte rei eſſe iuſtam, ſed ſolùm id eſt probabile, cum ſolùm opinionibus Doctorum nitatur.*

17 Veruntamen id, quod quotidianis exemplis in omnibus tribunalibus cernitur, longe abſimile eſt. Illud enim, quod hic ait *Leſsius*, verum duntaxat eſt, quando certò conſtat, Iudicem habere poteſtatem cauſam illam iudicandi, eamque terminandi; In quo caſu ſi Iudex muneribus corruptus ferat ſententiam etiam manifeſtè iniquam, fiet exequutio aduerſùs reum, qui compelletur etiam pænis, & rerum ablatione ad præſtandum iudicatum, neque illi, qui iniuſtè condemnatus eſt, alia via relinquitur ad ſe defendendum, quàm ad ſuperius tribunal, ſi Iudex ille ſupremus non fuerit, prouocando, cauſamque transferendo. Si autem incertum eſt, an Iudex ille poteſtatem habeat cauſam illam iudicandi, vtpote quia criminalis eſt, & pæna ſanguinis plectenda, & probabile eſt Iudicem illum de cauſis tantùm ciuilibus, & quibus pæna ſanguinis per legem non decernitur, non autem de criminalibus ſententiam ferre poſſe; ſeu quod idem eſt, ſi non tantùm cauſa de qua agitur, ſed etiam ipſamet poteſtas Iudicis incerta eſt, tunc nec Iudex poteſt ſententiam illam ferre, & ſi ferret poſſet reus excipere, & ei non parere, vt *Leſsius* paulò antè expreſſis verbis affirmauit.

Poteſtas, inquit, *quæ non omnino certa ſed probabilis, non poteſt eſſe fundamentum, quo aliquis immediatè puniatur, & iure ſuo, ac dominio priuetur, ſed talis poteſtas certiſsimè non dubiè debet competere. Nullus enim Iudex poteſt irrogare pœnas adeo graues, aut condere decreta quibus irrogentur, niſi conſtet illi talem poteſtatem conceſſam. Si enim id vllo modo eſſet dubium, poſſet reus excipere, & ei non parere. Hinc neque delegatis creditur in alicuius præiudicium, niſi authentico inſtrumento oſtendant ſuam poteſtatem, ita vt nulla ampliùs relinquatur iuſta dubitandi ratio.* Ita *Leſsius*. Nos autem hîc de ipſa Summi *Pontificis* poteſtate agimus, atque confidenter dicimus, incertum eſſe, an habeat poteſtatem in ſolenni caſtitatis voto diſpenſandi, & prolem inde ſuceptam legitimam quoad temporalia efficiendi, Principes ſupremos deponendi, ſubditos à temporali fidelitate abſoluendi, de rebus temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi, aut pænam vllam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex *Chriſti* inſtitutione infligendi.

18 *Neque tamen hinc ſequitur*, ait *Leſsius*,[g] *poteſtatem, & Iuriſdictionem coactiuam in eiuſmodi euentis fundari in re vel opinione incerta. Quia etſi non ſit certum ſpeculatiuè iuſtitiam, aut veritatem ſtare ab hac parte; tamen certũ eſt, poſtquã per ſentẽtiam probabilibus fũdamẽtis nixã res ei eſt adiudicata, Iudicem habere poteſtatẽ cogendi alteram partem, vt ſententia pareat. Simili modo etſi non ſit certũ ſpeculatiuè matrimoniũ eſſe validũ, tamen certum eſt in ordine ad praxim & humana negotia habendũ pro vilido, et proles habẽdas legitimas, ac veros hæredes in ſucceſſione hæreditatis & regni.*

[g] Nu. 41. pag. 77.

19 Sed obſeruet Lector, quam fraudulenter *Leſſius* illi fucum facere, & poteſtatem coactiuam Iudicis Secularis in cauſis temporalibus dirimendis poteſtati Summi *Pontificis* in ſolenni caſtitatis voto diſpenſandi, quæ poteſtates inter ſe diſſimillimæ ſunt, aſſimilare conetur. Incertitudo enim veritatis ſeu iuſtitiæ cauſæ de qua litigatur, non facit poteſtatem Iudicis, aut ſententiam ab eo latam eſſe incertam: quinimo omnes cauſæ, quæ in ius vocantur, incertæ & dubię ſunt vni ſaltem parti; alioquin de illis quæſtio non fieret, neque ſententiâ Iudicis ad eas decidendas multùm opus eſſet; neque quiſquam qui ſuæ menti compos eſt, de re certa atque indubia cum aliquo litem habebit: At incertitudo poteſtatis iudicandi ſententiam Iudicis reddit incertam, illi præſertim in cuius præiudicium lata eſt, *aduerſùs* quem proinde *poteſt reus excipere, & ei non parere, donec Iudex authentico inſtrumento oſtendat ſuam* poteſtatem, *ita vt nulla amplius relinquatur iuſta dubitandi ratio*, vt ſuperiùs ex *Leſſio* diximus: Neque in hoc caſu habet Iudex poteſtatem cogendi alteram partem, vt ſententiæ ſuæ quæ & ſpeculatiuè & practicè incerta eſt, pareat. Et ſimili modo cùm poteſtas ipſa Summi *Pontificis* in ſolenni caſtitatis voto diſpenſandi incerta ſit, non poteſt eſſe certum illi, in cuius præſertim præiudicium diſpenſatio illa conceditur, ſiue ſpeculatiuè, ſiue in ordine ad praxim & humana negotia, matrimonium illud eſſe habendum pro valido, & proles habendas legitimas quoad temporalia, ac veros hæredes in ſucceſſione hæreditatis, & regni. Fortaſſe etiam *Leſſius* affirmabit, ta-

metſi ponatur incertum eſſe, ſicut reuera eſt, an *Pontifex* habeat poteſtatem res fidei certò definiendi, tamen ſi ſemel aliquid definiret, definitionem illam, poſita nihilominus incertitudine poteſtatis, ab omnibus Catholicis habendam eſſe certam & de fide, quod tamen falſiſſimum eſt, & doctrinæ Card. *Bellarmini*, & communi Theologorum repugnans.

20 Atque hinc conſtat, falſa etiam eſſe quæ *Leſſius* proximè ſubiungit. *Similiter*, inquit,[h] *certum eſt, talem prolem habere ius ſe tuendi aduerſus inuaſorem, qui erat ſucceſſurus, ſi ea proles nata non fuiſſet, & cogendi populum armis vt ſe admittat. Denique certum eſt, Summum Pontificem poſſe ſua authoritate, & Cenſuris, ſi opus eſt, illam prolem iuuare, vt ius ſuum obtineat, aduerſarios eius compeſcendo, quia poteſt iniuriam prohibere. Itaque hac poteſtas coactiua Pontificis non fundatur immediatè in doctrina incerta, ſed in certiſſima, & toto orbe, omnibuſque tribunalibus recepta; etſi poteſtas diſpenſandi in aliquo caſu in doctrina non adeo certa fundari poſſit.*

21 Sed *imprimis* obſeruet Lector, quàm apertè *Leſſius* ſibi ipſi contradicat. Nam paulo antea dixerat, *non ita perſpicuum eſſe, quia hactenus exemplum non vidimus, vtrùm poſſit Summus Pontifex ſubditis pracipere, eoſque Cenſuris conſtringere, vt prolem ex tali matrimonio ſuſceptam pro vero & legitimo Principe agnoſcant:* Nunc autem ait, *certum eſſe, Summum Pontificem poſſe ſua authoritate & cenſuris, ſi opus eſt, illam prolem iuuare, vt ius ſuum obtineat, aduerſarios eius compeſcendo, quia poteſt iniuriam prohibere.* Sed forſan quæ

antea *Leſsio* certa ſunt, non ſunt iam illi adeo perſpicua.

22 *Deinde*, cùm ipſamet Summi *Pontificis* poteſtas in ſolenni caſtitatis voto diſpenſandi incerta ſit, non poteſt vlla ratio probabilis, etiam ex *Leſsij* principijs, aſſignari, ob quam ſententiæ, aut aliæ actiones quæ ex hac incerta poteſtate tanquam fundamento dependent, certæ eſſe debeant illi, in cuius graue præiudicium cedunt. Nam tametſi *poteſtas, quæ non omnino certa, ſed probabilis, poſsit eſſe fundamentum alicuius diſpenſationis, quando inde nihil incommodi tertiæ* perſonæ obuenit, *ſed agitur tantùm de fauore & beneficio, & nemo cogitur, nemo iure propinquo, ſeu in re obtenta ſpoliatur*; non tamen poteſt eſſe fundamentum diſpenſationis, quando inde ſequitur graue incommodum alteri, qui ex tali diſpenſatione priuatur iure ſuo, ac dominio temporali, atque hæreditate, ad quam ius habet legitimum, propinquũ, & ante illam diſpenſationem omnino indubitatum, vt *Leſsius* antea ſatis apertè affirmauit.

23 Non igitur certum eſt, ſed omnino falſum, prolem ex tali incerta diſpenſatione, ſeu diſpenſandi poteſtate ſequutam habere ius certum, ſed tantùm probabile & incertum ad hæreditatem vel Regnum, quod alter vel legitimè poſſidet, vel ad illud ius indubitatum habet. Et proindè neque certum eſt, ſed omnino falſum, prolem talem poſſe alterius Regnum quod legitimè poſſidet, vel alioquin tanquam hæres proximus iure indubitato poſſeſſurus eſſet, inuadere, aut populum armis cogere, vt eum admittat; neque certum eſt, ſed omnino falſum, poſſe Sum-

mum *Pontificem* ſua authoritate & Cenſuris prolem illam iuuare, vt illud ius ſuum, quod duntaxat incertum eſt, obtineat, & alteri ius ſuum, quod indubie poſſidet, eo renitente eripiat. Quin potiùs certiſſimum eſt, & abſque vlla planè controuerſia, poſſe alterum, qui in legitima iuris ſui poſſeſſione manet, ſe defendere, & populum armis cogere, vt eum aduerſus quoſcunque aggreſſores, qui ſub prętextu dubij atque incerti iuris eũ inuadere præſumunt, iuuet, & Summum *Pontificem* non tantum poſſe, ſed etiam teneri ſua authoritate & Cenſuris, ſi opus fuerit, illi opem ferre, aduerſarios eius, & qui iniuſtè illum aggrediuntur, compeſcendo, *quia poteſt, & debet iniuriam prohibere.*

24 Atque hæc poteſtas *Pontificis coactiua* vt loquitur *Leſsius* (quæ meliùs *coercitiua* dici debet) ſua authoritate & Cenſuris iuuandi eum, qui alioquin in legitima ſui iuris, aut Regni poſſeſſione abſque vllo dubio, vel incertitudine manet, aduerſùs eos, qui ſub prętextu incerti iuris, illum inuadere, atque è poſſeſſione ſua deturbare nituntur, non fundatur in doctrina incerta, ſed in certiſſima, & toto orbe, omnibuſque tribunalibus recepta, & in approbatis vtriuſque Iuris regulis fundata, cùm *in cauſa dubia ſiue incerta melior ſit conditio poſſidentis*, & *cùm ſunt partium iura obſcura fauendum ſit reo potiùs quàm actori*; Quòd autem doctrina *Leſsij* ſit omnino incerta, neque in aliquo tribunali recepta, vt ipſe hîc affirmat, ſuperiùs etiam monſtratum. Non nego tamen, quin poteſtas diſpẽſandi in aliquo caſu in doctrina non adeo certa fundari poſſit, quando de fauore

&

& beneficio tantùm agitur, & nullum præiudicium tertiæ perſonæ inde neceſſariò conſurgit.

25 Et in eodem ſenſu intelligendum eſt, quod *Leſſius* poſtea addit. *Simili modo*, ait *Leſſius*, *Ius ad ſic vel ſic contrahendum in doctrina ſpeculatiuè incerta fundari poteſt: poſito tamen contractu certum eſt, eum qui ſic contraxit immediatè Ius habere ad rem obtinendam; & poſſe illud tueri. Infinita enim ſunt, quæ etſi ſpeculatiuè incerta, practicè tamen ſunt certiſſima, vt Theologis probè notum eſt.* Nullus enim contractus, qui probabiliter cenſetur inualidus, tertiæ perſonæ, quæ rem aut ius ſuum abſque vlla dubitatione probabili legitimè poſſidet, præiudicare debet, neque ſufficit, vt ille qui contraxit, poſſit rem illam, quam tertia illa perſona poſſidet, ea inuita obtinere, aut obtentam detinere. Iam autem non diſputo, neq; ad rem facit, vtrùm Ius ad ſic vel ſic contrahendum in doctrina ſpeculatiuè incerta fundari poſſit, ita vt poſito contractu (ſi ſolos ipſos contrahentes reſpiciamus, qui ſponte, & non coacti ita contraxerunt) ille qui ſic contraxit, immediatè ius habeat ad rem ab altero contrahente obtinendam, & poſſit illud tueri. Certum etiam eſt plurima reperiri, quæ etſi ſpeculatiuè incerta, practicè tamen ſunt certiſſima, cum non ſint de eadem re *formaliter* accepta, ſed circa obiecta *formaliter* diuerſa verſentur, vt Theologis probè notum eſt, ſed hanc diſtinctionem præſenti controuerſię haud rectè accommodari poſſe eſt etiam certiſſimum.

26 *Ex quibus patet*, ait *Leſſius*, [1] *vana eſſe*

---

[1] nu. 42. pag. 78.

quæ in ſubſumptione adduntur: nimirum, ea quæ antè commemorata ſunt, falſa eſſe, & non ſolùm falſa, ſed etiam pernicioſa, eo quòd per ea ſubditi ad iniurias inferendas incitabuntur, & compellentur &c.

Quia etſi fortè Pontifex ex parte rei talem poteſtatem diſpenſandi non haberet; tamen quia probabiliſſimum eſt habere, diſpenſatio habenda eſt valida, & conſequenter matrimonium inde ſequutum, & proles cenſenda legitima, & ius ſucceſſionis eis arrogandum, & abrogandum ei qui alioquin erat ſucceſſurus, & Pontifex poteſt armis ſpiritualibus illas iuuare aduerſus eos, qui nituntur impedire. Hæc omnia non ſolùm non ſunt falſa & pernicioſa, ſed veriſſima & iuſtiſſima, & communi Theologorum & Iuriſperitorum doctrina conſentanea. Vnde etiam falſum eſt, quòd ſubditi per ea ad iniurias inferendas incitabuntur & compellentur, *cùm ſit iuſtum officium legitimo ſucceſſori debitum.*

27 *Similiter falſum eſt*, quòd Principes inceſtus & ſacrilegia perpetrandi liberam à Summo *Pontifice* obtinebunt licentiam. *Quia in vſu talis matrimonij nullum eſt peccatum: ſicut neque cùm dubitatur an impotentia ſit perpetua, & conceditur triennium experiendi cauſa; aut cùm lite mota ſuper validitate matrimonij, ſententia ex teſtimonijs humanis fertur in fauorem matrimonij. Et alijs multis caſibus, in quibus ſpeculatiuè eſt incertum an matrimonium ſit validum, tamen omnium iudicio vſus illius eſt licitus; immo alter alteri tenetur debitum reddere. In rebus enim, & negotijs humanis non requiritur ad operandum ſpeculatiua certitudo, ſed ſufficit magna probabilitas, qua poſita reſultat*

certitudo practica in ordine ad operationem.

28 Veruntamen, ſi vana ſunt ea, quæ in *ſubſumptione* meæ *Inſtantia* adduntur, vana etiam erunt ea, quæ in *ſubſumptione* ſui argumenti adijciuntur, nimirum ea quæ antè commemorata ſunt, *falſa eſſe, & non ſolùm falſa, ſed etiam pernicioſa, eo quòd per ea ſubditi ad rebelliones & periuria incitabuntur, & vel inuiti & reluctantes Cenſuris compellentur*: nam me in hac *Inſtantia* ex Principijs *Leſsij*, & ad hominem argumentatum eſſe ſatis conſtat. Si enim vera ſunt quę *Leſsius* hîc dicit, pari etiam ratione dici poſſet, quòd etſi fortè *Pontifex* ex parte rei talem poteſtatem *Principes* deponendi, & ſubditos à fidelitate abſoluendi non habeat, quia tamen probabiliſſimum eſt habere, depoſitio illa & abſolutio habenda eſt valida, & conſequenter Regnum *Principi* illi depoſito abrogandum, & alteri qui ſucceſſurus eſt arrogandum, & *Pontifex* poteſt armis ſpiritualibus hunc iuuare aduerſus eos qui nituntur impedire; Quæ tamẽ omnia & falſa & pernicioſa eſſe, vti reuera ſunt, *Leſsius* in ſua obiectione contendit. Vnde etiam falſum non erit, quòd ſubditi per ea ad rebelliones & periuria incitabuntur & compellentur, cùm ſit iuſtum officium legitimo ſucceſſori debitum, & in vſu talis depoſitionis & abſolutionis nullum ſit peccatum. In rebus enim & negotijs humanis non requiritur ad operandum ſpeculatiua certitudo, ſed ſufficit magna probabilitas, qua poſita reſultat certitudo practica in ordine ad operationem. Atque ita quàm ſolidè *ſcilicet Leſsius* certitudinem *nouæ* ſuæ *fidei* de poteſtate *Papali Principes* deponendi, hac ſua *tertia*

tia ratione confirmauit, & quàm *facile*, & *nullo ſcilicet negotio* tertiam meam *Inſtantiam* expediuit, apud Lectorem eruditum iudicium eſto.

29 Nam quod magna probabilitas non ſufficiat ad *Regem*, vel hęredem Regni legitimum è poſſeſſione ſui Regni, aut iuris alioquin indubij excludendum, & quomodo idem planè argumentum, quo *Leſsius* hîc vtitur, aduerſùs ſeipſum in fauorem *Principis* qui deponitur, & ſubditorum qui à fidelitate abſoluuntur, retorqueri poſſit, ſatis eſt à me ſuperiùs commonſtratum. Cùm enim probabile admodum ſit, & *pleriſq; Doctoribus placeat*, non eſſe in Summo *Pontifice* poteſtatem *Principes* deponendi, aut vllam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex *Chriſti* inſtitutione infligendi, probabile etiam admodum eſt, talem *Principem* non eſſe ex parte rei depoſitum, neque ſubditos à fidelitate abſolutos. Et proinde ſufficit magna probabilitas tum *Principi* vt ius ſuum tueatur, tum *ſubditis* vt eum defendant, tum Summo *Pontifici*, vt eos qui illum aggrediuntur, ſua authoritate, & Cenſuris ſi opus eſt, compeſcat. *In rebus enim & negotijs humanis non requiritur ad operandũ ſpeculatiua certitudo, ſed ſufficit magna probabilitas, qua poſita reſultat certitudo practica in ordine ad operationem.* Quę quidem doctrina, vt antea diximus, diſpenſationibus & conceſſionibus *Pontificijs*, alijſque actionibus in opinione probabili fundatis (ſi inde nullum tertiæ perſonæ præiudicium oriatur, & quando tantùm agitur de fauore & beneficio abſque notabili alterius nocumento) accommodari poteſt.

30 Exempla autem quę *Leſsius* affert de licito vſu matrimonij, tametſi ſit dubium probabile de aliquo impedimento matrimonium irritante, noſtræ ſententiæ plurimùm fauent. Vera enim & propria ratio, (vt *Vaſquez* optimè explicauit) ob quam coniuges, qui bona fide contraxerunt, poſſint & debeant coniugale debitum reddere, etiamſi de aliquo impedimento probabiliter dubitauerint, fundatur in approbata illa Iuris vtriuſque regula à me ſæpius inculcata, *In cauſa dubia ſiue incerta melior eſt conditio poſsidentis.* Sola enim probabilitas impedimenti poſt matrimonium bona fide contractum ſequuta, non ſufficit, vt alter coniugum, alteri, qui in legitima ſui iuris poſſeſsione abſque vlla plane dubitatione manet, debitum coniugale licitè denegare poſsit, cùm nemo è certa ſui Iuris poſſeſsione, ob ius incertum alterius, aut dubium quodcunque probabile, abſque manifeſta iniuria deturbare queat. Atque ob hanc ipſam rationem ſæpiùs diximus, quòd non obſtante doctrina alioquin ſpeculatiuè probabili de poteſtate *Pontificis* vel *Principes* per ſententiam depriuationis deponendi, vel in ſolenni caſtitatis voto diſpenſandi, non poſsit *Pontifex* practicè vel *Principes* deponere, ſeu è regno, quòd legitimè poſſident, extrudere conari, vel cum aliquo in ſolenni caſtitatis voto diſpenſare, ad hunc effectum, vt alter legitima atque indubia ſui Iuris poſſeſsione priuari debeat.

Vaſquez to. 1. in primam ſecundæ diſp. 66. c. 4. nu. 21. & ſeq.

31 *Ex his perſpicuum eſt,* ait *Leſsius,* [k] *Eccleſiam non errare in doctrina morum, neque conſulere ſacrilegia, neque præcipere iniurias in ſupradi-*

[k] nu. 44 pag. 80.

ctis caſibus : etſi Aduerſarij non obſcurè hæc omnia admittant. Cùm enim ſuas Inſtantias, *ſuaque* exempla *quæ adducunt, velint eſſe inſolubilia, & ex ijs conentur oſtendere ſæpe Pontifices ex incerto fundamento procedere, & ſuper eo decreta iniurioſa & pernicioſa ſtruere, vt credamus mirum non eſſe, ſi in Iuriſdictione circa temporalia errent, & decreta iniqua, & pernicioſa illi ſuperſtruant, manifeſtum eſt quid in iſtis ſentiant.*

32 Sed quod nos admittamus, vti *Leſſius* affirmat, Eccleſiam errare in doctrina morum, & conſulere ſacrilegia, & præcipere iniurias in ſupradictis caſibus apertiſſima calumnia eſt. Neque enim nos in hac *tertia Inſtantia* probare contendimus, *Eccleſiam* errare in doctrina & præceptis morum, ſed *Pontificem*, qui non eſt *Eccleſia*, ſed vnicum tantum tametſi Principale illius membrum, in ſupradictis caſibus, & alijs plurimis errare poſſe, & nonnunquam etiam, iuxta principia ipſius *Leſſij*, per ignorantiam de facto errare. An autem & quomodo Eccleſia poſſit errare in decretis morum, & per ignorantiam præcipere, quod rationi Euangelioque aduerſatur, ſuperiùs ex doctrina *Cani* declarauimus.

33 Igitur quod nos hoc loco admittimus, eſt, Summum *Pontificem* non tantùm ex ſententia doctiſſimorum Theologorum, verum etiam, ex principijs, quæ *Leſſius* in tertia ſua obiectione, & eius defenſione ſupponit, nonnunquam per ignorantiam erraſſe in doctrina & præceptis morum, conſulendo, atque etiam præcipiendo rebelliones & periuria, quæ *materialiter* & ex parte rei talia ſunt: an autem eiuſmodi ignorantia conſcientiam eius

am eius culpatam in conſpectu Dei reddat necne, non eſt meum iudicare; *Sufficit* mihi, quòd ex ſententia, *quæ pleriſque Doctoribus placet*, ea præcipiat, ex incerto fundamento, quæ verè, & ex parte rei peccata, inceſtus, iniuriæ, rebelliones, & periuria ſint; Conſcientiam enim illius Deo, qui ſolus corda & renes ſcrutatur, iudicandam relinquo. Denique mihi nunquam animus erat *inſtantias*, atque *exempla inſolubilia*, vt *Leſsius* fingit, ſed probabilia, vt ſæpe proteſtatus ſum, adducere; hæc enim ad euidentes & certiſsimas, vti prætenditur, demonſtrationes infirmandas ſufficiunt, ſed Aduerſarius, qui firmiſsima nouæ ſuæ Catholicæ *ſcilicet* fidei de poteſtate *Papali Principes* deponendi fundamenta iacere prætendit, vult ſuas inſtantias, exempla, atque argumenta inſolubilia eſſe, quod quantum à veritate alienum ſit, ſuperiùs ſatis commonſtrauimus, & infra clariùs oſtendemus.

34 Ex dictis iam perſpicuum eſt, quàm facile ſit ad tertiam *Leſsij* obiectionem in forma reſpondere. Si enim *Maior* eius propoſitio de doctrina *definitiua*, ſeu *ex Cathedra*, aut de generalibus morum præceptis, vti nunc eam explicare videtur, intelligatur, eam veram eſſe libenter admittimus. Sed tunc *Minorem* omninò negamus. Nunquam enim *Eccleſia*, ſeu *Concilium generale* docuit, aut definiuit, vel Summum *Pontificem* habere poteſtatem *Principes* ſupremos ſuis dominijs temporalibus priuandi, vel *Principe* per ſententiam Summi *Pontificis* abdicato, omnes ſubditos ab eius obedientia eſſe ſolutos, & ditionem eius poſſe ab aliâ occupari, vel *Principe* publicè Excommunicato ſub-

to ſubditos à Iuramento fidelitatis eſſe abſolutos, ita vt non teneantur ei parere donec reconcilietur, aut ei parere non poſsint, ſi ſententia eſt denunciata. Nihil eiuſmodi de *Principibus* ſupremis *Concilium* aliquod generale docuit, definiuit, aut decreuit, vt ex ſupradictis ſatis conſtat, & ex dicendis magis perſpicuum fiet.

35 Quòd ſi Summi Pontifices, iuxta ſententiam, *quæ pleriſque Doctoribus placet*, nonnunquam per ignorantiam errauerint in particularibus ſuis decretis, diſpenſationibus, ſententijs, atque in *Principum* depoſitionibus, exiſtimantes, ſibi talem diſpenſandi & deponendi poteſtatem competere, hoc nihil obeſt infallibili *Eccleſiæ vniuerſalis* iudicio, atque doctrinæ. Vnde *Silueſter* de diſpenſationibus Pontificum loquens, affirmare non dubitat, *ſe vidiſſe Papam maiora facientem cum ſcandalo totius Chriſtianitatis. Et ſi quis putet*, ait *Caietanus*, *Romanum Pontificem non poſſe errare in huiuſmodi particularibus actionibus, putet etiam eum non eſſe hominem.* Et tametſi ex probabili doctiſsimorum Theologorum ſententia Summus *Pontifex* etiam in generalibus tam fidei quàm morum decretis errare poſsit, nullum tamen generale decretum proferri poteſt, in quo clarè decernitur, *Principes* ſupremos ob crimen aliquod per poteſtatem Summi *Pontificis* ſuis dominijs priuari poſſe, aut Prælatis Eccleſiaſticis vllam pænam ciuilem ex inſtitutione diuina infligendi poteſtatem conceſſam eſſe, vt ſuprà ad *Lateranenſis* Concilij, & omnia eiuſmodi *Pontificum* decreta reſpondentes, ſatis dilucidè commonſtrauimus.

Silu. verbo *votum* 4.q.5.

Caiet tom.1. opuſc. trac.15. de Indulg.c.8.

SECTIO VIII.

In qua alia ratio Authoris *defenditur, &* concluſio *omnium reſponſionum, quas ad* demonſtrationes *Aduerſariorum refutandas adducit, confirmatur, & quæ* Leſsius *contra eas obijcit refelluntur.*

1 SVpradictis *tribus Inſtantijs* ad *tres Leſsij obiectiones* refellendas à me adductis aliud argumentum, ſeu *Inſtantiam* his verbis adiunxi. [a] *Denique*, an non rationes, quibus Concilia ad aliquid definiendum inducuntur, ſunt veluti baſes quædam, quæ ab ipſis tanquam ſuarum definitionum atque decretorum fundamenta aut proponuntur aut ſupponuntur? & nihilominus nullus, vt opinor, Theologus affirmabit, illas eadem certitudine, atque ipſaſmet definitiones, à Catholicis recipiendas eſſe. *In Concilijs*, inquit Card. *Bellarminus*, [b] *maxima pars actorum ad fidem non pertinet. Non enim ſunt de fide diſputationes quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea quæ ad explicandum & illuſtrandum adferuntur, ſed tantùm ipſa nuda decreta, & ea non omnia, ſed tantùm quæ proponuntur tanquam de fide.* [c]

2 Ad hanc Inſtantiam *Leſsius* ita reſpondet. [d] *Si hoc argumentum, quod ad ſuam ſententiam confirmandam addunt, applicetur rei propoſitæ, ſententiam Aduerſariorum euertit. Si enim rationes quibus tanquam baſibus definitiones & decreta Pontificum & Conciliorum nituntur, poſſunt eſſe incertæ & ancipites, & nihilominus definitiones & decreta ipſa ſunt*

[a] In *Præfat.* cit. nu. 62.

[b] Lib. 2. de *Conc.* cap. 12.

[c] Vide etiam *Canum* lib. 6. de loc. cap. 8.

[d] nu. 45 p. 81.

ſunt recipienda tanquam certa & iuſta, ergo etiamſi ponamus doctrinam illam de poteſtate Pontificis in temporalibus non eſſe adeo certam, tamen neceſſario recipienda ſunt decreta & deciſiones, quæ illo tanquam fundamento nituntur. An hoc non eſt propriam ſententiam euertere?

3 Sed *inprimis* hoc argumentum non ad meam ſententiam confirmandam, ſed ad illam propoſitionem [nempe, *Illa doctrina ad fidem pertinet, quam Summi Pontifices, Concilia, & Doctores tanquam fundamentum ſuarum conſtitutionum & ſententiarum vel proponunt vel ſupponunt*] in qua *tres* obiectiones *Leſſij* præcipuè fundantur, refutandam à me adductum eſt. Quod ſanè argumentum ſi applicetur rei propoſitæ, nempe rationibus illis, quas *Leſsius* ad ſuam ſententiam confirmandam, & noſtram refellendam attulit, illud eas omnino euertere manifeſtum eſt. Si enim rationes illę, quibus tanquam baſibus ac fundamentis quibuſdam definitiones & decreta Conciliorum nituntur, poſſunt aliquãdo eſſe incertæ & ancipites, ergo falſa erit illa propoſitio vniuerſalis cui *Leſsij* rationes innituntur, nempe, *Illam doctrinam ad fidem pertinere, quam Summi Pontifices, Concilia, & Doctores tanquam fundamentum ſuarum conſtitutionum, & ſententiarum vel proponunt, vel ſupponunt*. An autem hoc ſit propriam meam ſententiam euertere vel *Leſsius* ipſe iudicet.

4 *Deinde Leſſius* in hac ſua Reſponſione ſupponit, doctrinam hanc de poteſtate *Pontificis* de temporalibus diſponendi, & pænas ciuiles infligendi ſibi ex *Chriſti* inſtitutione, & non ex con-

ceſſione *Principum* data, eſſe fundamentum cui aliqua decreta & deciſiones *Conciliorum* innituntur, quod tamen falſum eſſe nos ſemper affirmauimus.

5 *Præterea*, iſtud argumentum, quod *Leſſius* hîc ad meam ſententiam euertendam confecit, vitioſum eſſe, vtpote ex puris particularibus conſtans, nimis manifeſtum eſt. Hæc enim illius ſubſtantia eſt; Decreta & definitiones *Pontificum*, & *Conciliorũ* ſunt aliquando certò recipiendæ, etiamſi rationes & fundamenta, quibus innitũtur, ſunt incertæ: ergo decreta quibus *Principes* deponuntur, ſunt certò recipienda, etiamſi poteſtas deponendi, cui tanquam fundamento innititur, non ſit adeo certa: Ac ſi ita argumentaretur; Poteſt quis nonnunquam vti poteſtate incerta, quando nimirum agitur tantùm de fauore & beneficio, ergo ſemper poteſt vti poteſtate incerta etiam quando agitur de pæna & præiudicio. Quòd ſi *Leſſius* dicere velit, ſe de omnibus, & de non aliquibus tantùm *Pontificum* & *Conciliorum* decretis loquutum eſſe, præterquàm quòd ipſe vocabulum illud [*Pontificum*] ex ſuo addidit, & ex meis principijs non arguit, falſum eſt, decreta omnia particularia *Pontificum*, vt nihil de *Concilijs* dicam, ſemper a fidelibus certò recipienda eſſe.

6 *Reſpondet* igitur *ſecundò*; *Vel eſt ſermo de definitionibus dogmaticis ad fidem pertinentibus; vel de decretis aut præceptis pertinentibus ad mores. Si agatur de definitione dogmatica, falſum eſt, præcipuum fundamentum, quo tanquam baſi Concilium in definiendo nititur, poſſe eſſe incertum.*

Hoc enim fundamentum non eſt aliud quàm Verbum Dei ſcripto vel traditione acceptum. Nihil enim Concilium definire poteſt, niſi quod ex hoc fundamento infallibili deductum eſt: vt apertè inſinuat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 4. in principio, cum ait,* Euangelicam doctrinam, quæ partim ſcriptis libris, partim ſine ſcripto traditionibus continetur, eſſe fontem omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ. *Rationes verò probabiles, & ſcripturæ teſtimonia non omnino conuincentia interdum admiſcentur, non vt fundamenta, quibus definitio nitatur, ſed vt adminicula ingenij, vberioris doctrinæ & explicationis gratia.*

7 *Si verò agatur de decretis morum, non eſt neceſſe rationem, qua Concilium monetur ad tale decretum faciendum, eſſe omnino certam & infallibilem, ſed ſufficit eſſe probalilem: nimirum quòd tale commodum inde videatur ſequuturum, vel tale incommodum tollendum aut euitandum. Certa tamen debet eſſe talis decreti iuſtitia, præſertim ſi ad totam Eccleſiam pertineat, illamque conſtringat.*

8 Sed profectò *Leſſius* in hac ſua Reſponſione non tam ſeriò & ſincerè agere, quàm vel ludere vel illudere videtur. Quis enim ſani iudicij Chriſtianus imaginari poteſt, verbum Dei, vel ſcripto, vel traditione acceptum, eſſe incertum; aut verba illa, *Quodcunque ſolueris* &c. *Paſce oues meas*, *Non haberes in me poteſtatem* &c. *Ego & pater vnum ſumus*, & cætera omnia Sacræ Scripturæ teſtimonia, in eo ſenſu quo à Spiritu ſancto prolata ſunt, non eſſe veriſſima, & certiſſima? Per *rationes* igitur, quibus tan-

quam *fundamentis Concilia* & *Pontifices* ad aliquod dogma fidei definiendum inducuntur, non intelligo verbum Dei in eo ſenſu, quo à ſpiritu ſancto prolatum, ſed quo à *Pontificibus* & *Concilijs* intellectum eſt. Et has *rationes* ſeu *fundamenta* dico fere ſemper eſſe *incertas*, niſi talem eſſe verbi Dei ſenſum, quem Patres concipiunt, firmo aliquo ac ſtabili Patrum decreto, aut alia ratione æquipollenti cognoſcatur. Atque hoc verba illa Card. *Bellarmini* à me addita clariſſimè confirmant: *In Concilijs*, inquit, *maxima pars Actorum ad fidem non pertinet* &c. Vnde ſequitur, nullam rationem, nullum fundamentum ex Sacra Scriptura allatum, quo *Concilia* ad aliquid definiendum inducuntur, ad fidem pertinere, niſi decreto aliquo proponatur à *Concilio* (quod rariſſimè contingit) tanquam de fide: Raro autem aut nunquam tale vel tale Scripturæ teſtimonium eſſe tantùm probabile & non omnino conuincens *Concilij* Patres aſſerunt: Et hoc abundè ſufficit, ad illam propoſitionem *Leſſij*, nempe *Illa doctrina ad fidem pertinet, quam Summi Pontifices, Concilij & Doctores tanquam fundamentum ſuarum conſtitutionum & ſententiarum vel proponunt, vel ſupponunt*, *omnino infirmandam*.

9 *Secundò*, quod attinet ad decreta vel præcepta morum, nemo fere ad intelligendum tam hebes eſt, vt exiſtimare queat, *Leſſium* per fundamentum conſtitutionum & ſententiarum, iuſtitiam tantùm ipſarum, & non cætera omnia fundamenta, ex quibus earum iuſtitia dependet, vt quòd communi fidelium bono non aduerſentur, quòd à legitima poteſtate procedant, &

eiuſmodi, in ſuis rationibus intellexiſſe. Vnde ipſemet non ſolùm contendit, depoſitiones *Principum* authoritate *Pontificia* factas iuſtas eſſe, verùm etiam doctrinam de poteſtate Eccleſiaſtica *Principes* deponendi certiſſimam eſſe atque ad fidem pertinere, quia alioquin depoſitiones illæ, ſi fundamento tantùm probabili & poteſtate incerta niterentur, omnino iniuſtæ, & *Principibus* iniurioſæ eſſent, quod ſanè veriſſimum eſt, ſed *Leſsij* principijs non ſatis conſonum, vt ſuprà declaratum. Quapropter cùm ad legis cuiuſcunque iuſtitiam neceſſarium ſit tanquam fundamentum, finis, & ratio legis, ſeu Legiſlatoris, & quòd communi ſubditorum bono non repugnet, &c. ſi fundamentum iſtud incertum fuerit, incertum etiam erit an lex illa verè & ex parte rei ſit iuſta, tametſi quoad nos iuſta cenſenda ſit, & obſeruanda donec certò conſtet, eam verè & ex parte rei eſſe iniuſtam, & communi Reipublicæ bono diſſentaneam.

10 *Deinde*, quòd decreta etiam ad totam Eccleſiam pertinentia tanquam iuſta à fidelibus cenſenda & obſeruanda ſint, donec de iniuſtitia conſtet, & nihilominus fundamentalis illorum decretorum ratio ad fidem non pertineat, quin etiam ex ſententia doctiſſimorum Theologorum incerta ſit, ſuperiùs commonſtrauimus, vt patet ex decretis de aliquo in Sanctorum numerum referendo, de Feſtiuitate Conceptionis *Virginis*, & ſimiliter corporeæ eius in cælum Aſſumptionis celebranda, quorum fundamentales rationes doctiſſimi Theologi ſuperiùs [e] relati incertas eſſe confidenter aſſerunt, & nihilominus decreta illa

[e] Sect. 4.

illa tanquam iuſta obſeruanda eſſe, cùm fauorabilia, non odioſa ſint, nemo inficiabitur: vt hinc *Leſſius* clarè perſpicere poſſit, quantulam vim, illa ſua propoſitio, *Illa doctrina ad fidem pertinet, quam Pontifices, Concilia, & Doctores tanquam fundamentum ſuarum conſtitutionum & ſententiarum vel proponunt, vel ſupponunt*, ad certum fidei dogma ſtabiliendum ſuppeditare queat. Sed quàm diſpar ratio ſit de alijs decretis, quatenus vel directè, vel conſequenter pœnalia & odioſa ſunt, & tertiæ perſonę iniurioſa, & quomodo poteſtas Legiſlatoris ad ea condenda certa eſſe debeat, & non tantùm probabilis, vt aliquem è legitima ſui iuris poſſeſſione excludere valeant, in ſuperioribus copioſè declaratum.

11 *Denique* cum Aduerſarij ſuam doctrinam de poteſtate *Pontificis Principes* deponendi tanquam *de fide certam* comprobandam, & meam vt *hæreticam* vel *erroneam* condemnandam, Eccleſiæ vocem, conſenſum, & doctrinam conclamitare ſoliti eſſent, pro concluſione & coronide omnium Reſponſionum, quibus facillimè hanc eorum calumniam repelli poſſe mihi perſuadebam, hanc diſtinctionem inter vocem, doctrinam, & conſenſum Eccleſiæ firmiter credentis, & probabiliter tantùm opinantis, Lectori ſtudioſo his verbis proponendam, eiuſque memorię commendandam eſſe cenſui[f].

12 Quapropter inter vocem, doctrinam, & ,,
conſenſum *Eccleſiæ* firmiter credentis, aut aliquid ,,
de fide definientis, & eiuſdem probabiliter tan- ,,
tùm opinantis, magnum diſcrimen conſtitu- ,,

---

[f] In *Præfat.* cit. nu. 63.

“ endum eſſe nemo ambigere poteſt. Qui enim
“ vocem *Eccleſiæ* firmiter credentis audire contemnit,
“ eum in errorem, aut hæreſim prolabi nemo
“ Catholicorum inficiatur; Qui vero *Eccleſiæ* probabiliter
“ tantùm opinantis doctrinam ſufficienti
“ ratione motus, non amplectitur, eum nequaquam
“ hæreſeôs, erroris, aut temeritatis periculo
“ ſeſe exponere, Doctores Catholici, quorum authoritatem
“ doctiſſimi noſtri Aduerſarij facilè admittent,
“ diſertis verbis affirmat. Nam *Alphonſus*
“ *Salmeron*, & *Franciſcus Suarez*, viri ſane eruditiſſimi,
“ pro immaculata B. *Virginis* Conceptione
“ confirmanda totius Eccleſiæ Catholicæ praxim,
“ & conſenſum producunt, & nihilominus contrariam
“ opinionem abſque vllo læthalis culpę periculo
“ defendi poſſe, tum ipſi apertè concedunt,
“ tum abſque graui pecccato denegare non poſſunt.
“ *Nos*, inquit *Salmeron* [g], *vniuerſæ pene Eccleſiæ*
“ *conſenſum opponimus, & Vniuerſitatum omnium*
“ *concordem ſententiam*. Et *Suarez*, *Secundum*
“ *fundamentum*, inquit, [h] *ex Eccleſiæ authoritate*
“ *ſumendum eſt; & primùm totius Eccleſiæ fere vniuerſalis*
“ *conſenſus: Et præſertim ab hinc ducentis*
“ *annis fermè omnes Eccleſiaſtici Scriptores, Epiſcopi,*
“ *vniuerſæ ~~fere~~ Religiones, & Academiæ ſubſcripſerunt.*

13 Iam *Leſſius* hanc quidem diſtinctionem approbat: *Sed probandum illis erat*, ait ipſe, [i] *doctrinam & conſenſum Eccleſiæ de poteſtate Pontificis in temporalibus (bono ſpirituali poſtulante) eſſe tantùm probabiliter opinantis, qualis eſt doctrina de ſanctificatione B. Virginis in primo inſtanti Conceptionis; non autem firmiter credentis aut definientis.*

Nos

[g] Ad.Rom. 15.diſ.51.§. *Deinde.*

[h] *Tom.* 2. diſp.3.ſec.3.

[i] Nu. 45. pag.83.

Nos enim multis argumentis, & teſtimonijs Conciliorum nixi non dubitamus eſſe doctrinam firmiter credentis, & tanquam dogma indubitatum proponẽtis. Cuius etiam ſignum eſt, quòd Pontifices, aut Concilia, aut Doctores nunquam dicant id eſſe probabile, aut poſſe contrarium ſine errore teneri, ſicut de immaculata Conceptione in primo puncto infuſionis animæ ſæpe indicant, ſed abſolutè tanquam dogma apud Catholicos incontrouerſum aſſerunt, & proponunt. Vnde etiam per 500. & ampliùs annos hæc doctrina nulli Scriptori fraudi fuit, ſed liberè in omnibus Regnis, & Academijs Catholicis tradita. Solùm à duodecim vel quindecim annis quibuſdam politicis ſuſpecta eſſe, & publicè traduci capit tanquam in poteſtatem ſecularem iniuria: nimirum poſt inuectam & propagatam noui Euangelij lucem per quam de omnibus Eccleſiæ dogmatibus permiſſum ambigere: per quam antiqua quæ diſplicent (eo quòd non ſeruiant inſtituto) conuellere, & noua pro commodo ſubſtituere, & dogmata præſenti ſtatui politico accommodare.

14 Sed cuiuis profectò, qui æquus rerum æſtimator eſt, & non contendendi, quodq; ſemel licit temerè protulerit, pertinaciter defendendi cupidus, ſatis perſpicuum eſſe poteſt, me euidenter comprobaſſe, quantum reſpondenti opus eſt, doctrinam hanc de poteſtate *Pontificis Principes* deponendi, pœnaſque ciuiles ex inſtitutione diuina infligendi, non eſſe *Eccleſiæ* firmiter credentis, ſed probabiliter tantùm opinantis, cùm *de hac fuiſſe ſemper à temporibus* Gregorij *Papæ VII. qui primus omnium Romanorum Pontificum Imperatorem deponere præter morem maiorum auſus*

eſt, magnam inter Catholicos controuerſiam ex Io. Azorio, Io. Trithemio, Iacobo Almaino, & *Petro Pithao,* vt alios plurimos a me alibi citatos nunc taceam, clariſſimè commonſtrauerim: Adeo vt quod *Leſſius* hîc tam imperitè, audacter, & inuerecundè affirmat, nempe *Doctores nunquam dicere doctrinam hanc, quæ negat Pontifici talem Principes deponendi, & pænas ciuiles infligendi poteſtatem eſſe probabilem, aut poſſe ſine errore teneri, & contrariam doctrinam per quingentos & ampliùs annos* (nam prioribus ſeculis incognita erat) *nulli Scriptori fraudi fuiſſe,* ſed *liberè in omnibus Regnis & Academijs Catholicis vt indubitatum fidei dogma traditam, & ſolùm à duodecim vel quindecim annis quibuſdam politicis ſuſpectam fuiſſe, & publicè traduci cœpiſſe, tanquam poteſtati ſeculari iniurioſam,* tam magnum & impudens, pace eius dixerim, mendacium eſt, vt nemo vir doctus, qui *Theologorum* & *Iuriſprudentium* libros, & *Imperatorum* ac *Regum* vitas, atque acta, & præſertim *Henrici* 4. *Philippi, Othonis* 4. *Frederici* 2. *Ludouici* Bauari, *Philippi* Pulchri, vt alios recentiores taceam, vel oſcitanter perlegerit, illud abſque ſumma inuerecundia affirmare poſſit. Quare autem plures Catholici Scriptores, quorum opera extant, illi doctrinę magis faueant, quàm oppoſitæ, plures rationes à me alibi [k] allatas, quas D. *Schulkenius* ſilentio præterijt, Lector videre poterit.

15 Quòd autem *Leſſius* in noua ſua Catholica *ſcilicet* fide prædicanda adeo præceps ſit, vt non dubitet, doctrinâ ſuam eſſe Eccleſiæ firmiter credentis, & tanquam dogma indubitatum proponen-

[k] in *Apolog.* nu. 449 459.

ponentis, & proinde contrariã Catholicorum vt hæreticam vel ſaltem erroneam condemnantis, plùs ſibi ſua temeritas, qui viros Catholicos & illi tum pietate tum doctrina haud forſan inferiores tam præcipitanter condemnat, quàm illis nocet. Neque enim inuſitatum eſt, proh dolor, nouis hiſce Theologis, Scripturarum & Conciliorum, vt falſò prætendunt, authoritate nixis, noua fidei Catholicæ dogmata fidelibus obtrudere, & qui illis repugnant, tanquam hæreticos, aut impios Catholicos ſub ſpecioſo pietatis prætextu maledictis laceſſere, vt ex quæſtionibus de auxilijs gratię, de authoritate *Papæ* & *Concilij*, & de hac Summi *Pontificis* in temporalibus Monarchia, atque de nupera inter ipſos, & Presbyteros *Appellantes* controuerſia, non leuia teſtimonia accipi poſſunt. Sed certè tum charitati, tum humilitati Chriſtianæ magis conſentaneum, & propriæ ipſorum ſaluti, & bonę etiam ſui nominis exiſtimationi magis conſultum foret, ſi ipſam veritatem à plurimis ipſorum iam agnitã ampliùs impugnare, ſuaſque opiniones, & Scripturarum, atque Conciliorum explicationes, pro indubitatis fidei dogmatibus fideli populo obtrudere deſiſterent, atque in viros Catholicos pios ac eruditos, quique ſuam doctrinam, & omnia ac ſingula quæ pro ea confirmanda afferri ſolent, argumẽta, accuratiſſimè expenderunt, adeo licenter debacchari, eoſq; tanquam hęreticos, aut de fide Catholica non rectè ſentientes tam immaniter, verbis, ſcriptis & opere perſequi iam tandem metu ſaltem vltionis diuinæ perhorreſcerent.

SECTIO IX.

In qua tacita Leſsij excuſatio, *quòd* Diſputationem *ſuam* Apologeticam *iamdiu typis impreſſam non hactenus euulgauerit*, & expreſſa *eiuſdem quorundam aliorum qui tales libros vt ſeditioſos flammis adiudicarunt*, accuſatio, *perſpicuè refelluntur.*

1 POſtquam in *Præfatione* ſæpiùs citata me, meamque doctrinam ob omni hæreſeôs, erroris, ſcandali, & temeritatis nota vindicaſſem, atque ad omnia *Concilia* à Card. *Bellarmino* contra *Barclaium* allata, & præſertim *Lateranenſe* reſpondiſſem, & præterea tres prædictas *Leonardi Leſsij* rationes, eo vt vidiſtis modo confutaſſem, aliam obiectionem poſtremo loco, de qua *Angli* apud nos *Ieſuita* plurimùm tunc gloriati ſunt, his verbis adieci. [a] “*Poſtremo loco* obijciunt Aduerſarij librum quendam, qui inſcribitur, *Diſputatio Apologetica pro poteſtate Summi Pontificis*, à *Leonardo Leſſio*, vt ipſi aiunt, viro vtique doctiſſimo compoſitum, in quo clarè, perſpicuè, atque euidenter ex Scripturis, Sanctis Patribus, Concilijs, & tredecim efficaciſſimis rationibus demonſtrari aſſerunt, penes *Pontificem* eſſe poteſtatem *Principes* abdicandi, iſtamque veritatem non ſolùm eſſe concluſionem Theologicam, quæ errori opponitur, ſed de fide etiam expreſsè definitam, ita vt contraria opinio

[a] nu. 65.

nio abſque manifeſta hæreſi ſuſtentari non poſſit.

2 Maximis equidem laudibus librum iſtum à nonnullis efferri ſæpiùs audiui, illumque à viro pererudito, ſi verum eſt quod iſti aiunt, confectum eſſe denegare non poſſum. Veruntamen, ſi liber hic tam apertè, vt iſti gloriantur, demonſtrat, quare in lucem non prodit, ſed tanquam negotium perambulans in tenebris, in conſpectum paucorum, eorumque duntaxat, qui illi applaudere exiſtimantur, venire permittitur? Vtrùm hæc boni operis argumenta ſint, an potiùs non exiguæ in tua cauſa diffidentiæ indicia non obſcura, temetipſum, vir doctiſſime, qui huius libri Author es, Iudicem appello. Præcurſorem tuum Anglicum. qui anno integro iam elapſo tam grandia de hoc tuo libro pollicitus fuerat, illiuſque Summarium confecerat, ſed ita ſummatim, vt ne vnam quidem ex clariſſimis tuis demonſtrationibus clarè perſpicere quis valeat, in manus omnium Catholicorum veniendi poteſtatem facitis: Et tamen liber ipſe, quem vacillantibus animis plenè ſatisfacturum eſſe Præcurſor ille tuus promiſerat, nec prece nec pretio comparari, neque ab omnibus Catholicis promiſcuè, ſed à paucis admodùm, idque cum pactione ſolenni, ne eum alijs communicent, conſpici poteſt.

3 An forſan veremini librum illum, qui doctrinam de fide credendam, atque idcirco ad ſalutem neceſſariam apertiſſimè demonſtrat, cunctis fidelibus iiſque præſertim, quos à fidei tramite errare certò creditis, diuulgare? Libros æquè periculoſos, & qui iuxta huius Regni leges

> ges ſub pœna capitis prohibentur, in manus omnium Catholicorum abſque delectu venire ſinitis, & librum iſtum tam neceſſarium, vtpote fidei dogmata, vt prętenditis, apertè demonſtrantem, iiſque in rebus, quæ ad iura *Principum*, Summique *Pontificis* ſpectant, in publicum prodire tantopere formidatis? At vereor ne aliter res ſe habeat, quàm quidam apud nos hîc iactitant. Si enim vera ſunt quæ audio (præterquam quòd *imperare* temporalia cum *diſponere* de temporalibus confundere videaris, & ſubditi ex tua ſententia vi ſola excommunicationis à vinculo fidelitatis liberentur, & *Breuia Apoſtolica* ad certam aliquam Prouinciam directa, quæ ab *Eudæmon-Ioanne* [b] *litera priuata* appellantur, & in quibus ne verbum quidem de *Principum* depoſitione habetur, eam tamen doctrinam, vt rem de fide certam, definiant) quædam ex tuis exemplis, quæ ex antiquis Patribus adducis, vt hanc tuam de *Principum* depoſitione doctrinam veteri Eccleſiæ cognitam eſſe oſtendas, non tam ad abdicationem *Principum* authoritate *Pontificis*, quàm ad eos à populo deponendos, & priuata authoritate etiam occidendos tendere videntur. Sed nolo ampliùs rem iſtam exaggerare: tempus eſt, &c.

14 Iam *Leſſius* tametſi non proprio nomine, ſed D. *Singletoni* perſonam induens, ad hanc reſponſionem refellendam, vti videtur, collimans, vt ſe à libro ſuo non euulgando excuſet, totam illius ſupprimendi cauſam, culpamque in alios conijcere his verbis conatur. [c] *Nec deſunt quidam magnæ quibuſdam locis authoritatis, qui adeo in hac quæſtione*

[b] in *Præfat.* Paraleli *Torti.*

[c] nu 46. pag. 85.

ſtione ſeruent, vt etiamſi plurima ex parte illorum tum ab hæreticis, tum à politico Catholicis contra hanc poteſtatem ſcribantur, eaque ſcripta miris laudibus extollantur ab Aduerſarijs tanquam inuicta, nullo tamen modo permittant Catholicis vt reſpondeant; dira omnia vel ipſis Scriptoribus, vel eorum neceſſarijs & coniunctis minitantes. Quæ cauſa eſt, vt nonnulli antiquæ fidei Catholici eruditione præſtantes vel non reſpondeant ſcriptis; vel ſi reſponderint, labores ſuos ad tempus premant maioris mali declinandi cauſa. Dura profectò & iniqua conditio, qua Aduerſarijs liberè antiquam doctrinam refutantibus, & poteſtatem Eccleſiæ ſcriptis plurimis vndique oppugnantibus, minæ grauiſſimæ intentantur Catholicis, ſi reſponderint; quamuis eo ipſo ſuam diffidentiam, & cauſæ quam tuentur imbecillitatem ſatis prodant. Si enim confidunt, & nihil ſibi propoſitum niſi veritatem & iuſtitiam habent, cur non patiuntur rem vltrò citróque diſcuti? Cur tantopere reformidant Catholicorum reſponſiones? Cur minis & terroribus eas, ne lucem aſpiciant, comprimunt? Non ita ſæuitur in eos, qui vel Sanctiſſimam Trinitatem, vel diuini verbi Incarnationem, vel Euchariſtiæ myſterium, vel alia Religionis Chriſtianæ capita oppugnant.

5 Sed *inprimis* non æquo animo ferret Aduerſarius, ſi ego eum vel Monarchomachum, vel pſeudo aut neotero-Catholicum appellarem, (eo quòd tum fundamenta iaciat, ex quibus ſupremos Mundi Monarchas in aliquo caſu authoritate ſaltem Summi *Pontificis* vel palam vel clanculum quauis arte aut ſtratagemate interfici licitè poſſe apertè colligatur, tum fidem nouam, & non verè Catholicam ſeu vniuerſalem, ſed ſibi

pauciſque alijs peculiarem ac propriam, *Patribuſque* antiquis incognitam, in quo nouæ non antiquæ fidei, vt hîc ſe iactat, *Catholicum* ſe demonſtrat, pro fide *verè Catholica* & antiqua venditare, atque fidelibus quaſi per vim obtrudere præſumat) ſicut ipſe me politico-Catholicum per opprobrium nuncupat, cùm tamen ego verum inter politiam Chriſtianam, & Religionem Catholicam, & proprias *Eccleſiaſticæ* & *politicæ* poteſtatis functiones, obiecta & pænas, quas ipſe confundit, verè, ſincerè, & abſque vllis inuolucris, aut verborum integumentis iuxta *Chriſti* Domini inſtitutionem, Eccleſiæ primitiuæ praxim, & antiquorum Patrum doctrinam apertiſſimè diſtinguam.

6 *Deinde*, quoſnam *Leſsius* hîc *per quoſdam magnæ quibuſdam locis authoritatis*, quorum metu à libro ſuo euulgando deterritus eſt, intelligat, non eſt difficile admodùm coniectare. Nemini enim dubium eſſe poteſt, quin per eos potiſſimùm *Senatum Pariſienſem* deſignet, cuius decreto ſimilis liber Card. *Bellarmini* paulo ante *Romæ* excuſus [d] *de poteſtate Summi Pontificis in temporalibus aduerſus Gulielmum Barclaium* ſub pæna *læſæ Maieſtatis* proſcriptus erat, [e] vtpote qui *falſam & execrabilem doctrinam contineret, ad euerſionem poteſtatum ſupremarum à Deo conſtitutarum pertinentem, ſubditos ad rebellionem, & ad machinandum in Principum capita, ditioneſque, atque ad turbandam tranquillitatem, pacemque publicam incitantem*; Et ſub eadem pæna *Doctoribus, Profeſſoribus, alijſque inhibitum, ne dictam propoſitionem in Scholis, Collegijs, alijſue locis tractent, diſputent, ſcribant, & vel directè,*

[d] *Romæ* anno Domini 1610. & poſtea *Coloniæ* 1611.

[e] *Parijs* die 26. Nouemb. 1610.

directè, vel indirectè doceant. An iam, obſecro, veriſimile eſt, vel *Leonardum Leſsium* in Belgia, vel alios ſuæ *Societatis* Theologos in *Gallia* commorantes, ſi hanc ſuam doctrinam pro poteſtate *Pontificis Principes* deponendi ab vniuerſis fidelibus *fide Catholica* neceſſariò credendam eſſe, ipſimet verè & ex animo crederent, à *fide Catholica* palam confitenda, prædicanda, & defendenda, cùm præſertim neceſſitas eam propugnandi, ne omnino periclitetur, iam vrgeat, metu pænarum temporalium, aut *Regiæ* indignationis abſterritos fore?

7 Sed vt eos paulo arctiùs conſtringam, dicant mihi ingenuè, quid ſentiant de *Prælatis, Paſtoribus,* & *Doctoribus Gallo-Francis*, qui Catholicos illos ex Senatu *Pariſienſi*, qui librum Card. *Bellarmini* aduerſus *Barclaium*, & alterum eiuſdem ſub *Adolphi Schulckenij* nomine aduerſus *Widdringtonum*, & tertium *Franciſci Suarez* aduerſus *Sereniſsimum* magnæ Britanniæ *Regem*, & recens fidelitatis Iuramentum eius authoritate in *Anglia* ſtabilitum, & ab eo ſcriptis publicis egregiè propugnatum, vt ſeditioſos ſub pæna perduellionis proſcripſerunt, & denique, qui nouam *Fidelitatis* iurandæ formulam, *Anglicana*, vt fatetur Illuſt. *Card. Peronius*, [f] *paulo acerbiorem, & immodeſtiorem*, Regi *Chriſtianiſsimo* in publicis Regni Comitijs ab eo confirmandam propoſuerunt, alioſque Regis *Chriſtianiſsimi* Miniſtros, qui hanc nouam, *Catholicam*, ſi Deo placet, *fidem* totis viribus impugnant, non ſolùm vt hæreticos, aut *fidei Catholicæ* impugnatores non condemnant, verùm etiam à communione Eccleſiaſtica, & Sacramentis pu-

[f] En **Harangue** pag. 102.

tis publicè percipiendis eos non arcent? Vel enim fateri neceſſe eſt, *Præſules* illos, *Paſtores*, atque *Doctores*, indigniſſimos *Chriſti* Domini Miniſtros eſſe, qui ſancta danda canibus, & Sacramenta hæreticis, atque fidem Catholicam perſequentibus conferenda permittunt, & fortaſſe conferunt, (quod cogitare nefas) vel certè, quod veriſimilius eſt, doctrinam hanc pro poteſtate *Pontificis Principes* deponendi, non eſſe eorum iudicio *fide Catholica* credendam, aut inter talia *fidei* dogmata habendam, quæ abſque graui hæreſeôs, erroris, temeritatis, alteriuſue criminis noxa impugnari nequeant.

8 Adeo vt hinc conſtet, hanc *Leſſij* excuſationem vanam omnino & confictam eſſe, & vel inexcuſabilem ſui, ſuorumque, qui intrepidi *Catholicæ* & *Apoſtolicæ fidei* propugnatores, & præcipui nunc temporis anteſignani haberi volunt, puſillanimitatem arguere, quos minæ & timor hominum à fide, vti prætendunt, *verè Catholica* propugnanda, cùm eam defendendi, ne naufragium patiatur, neceſſitas iam inſtat, omnino deterrent; vel certè, quod veriſimilius, ſuam diffidentiam, & cauſæ quam tuendam ſuſceperunt, imbecillitatem ſatis prodere. Si enim confidunt, hanc ſuam doctrinam, quam *fidem* eſſe *Catholicam* vaniſſimè iactant, tanquam indubitatum *fidei Catholicæ* dogma ab ipſis clarè & perſpicuè demonſtrari poſſe, cur ſuam *fidem Catholicam* ſi non ſuo, ſaltem aliorum nomine, Card. *Bellarmini*, *Leonardi Leſſij*, atque aliorum exemplis freti, palàm defendere, eamque illis Catholicis, qui de ea plurimùm dubitant, manifeſtam reddere tantopere

pere reformidant? An forſan vel *Sanctiſſimam Trinitatem*, vel diuini *Verbi Incarnationem*, vel *Euchariſtiæ* myſterium, vel alia *Religionis Chriſtianæ* capita, ſi impugnarentur, aut in dubuim vocarentur, metu mortis, aut indignationis *Regiæ* palam profiteri, ſcriptiſque publicis tueri adeò pertimeſcerent? Diſinant igitur præ pudore iam tandem Chriſtiano populo fuçum facere, iſtamque *fidem Catholicam* in gratiam *Pontificum* ab ipſiſmet fabricatam verbo tenus profiteri, quam factis negant.

9 *Præterea*, ſimilis planè Inuectiua, quâ *Leſſius* contra *quoſdam magnæ quibuſdam locis authoritatis* vſus eſt, in *Summum* Pontificem & *Illuſtriſſimos* Romanæ Inquiſitionis *Cardinales* potiori ratione retorqueri poteſt, qui libros *antiquæ fidei* Catholicorum, hanc doctrinam pro poteſtate *Papali Principes* deponendi non verè, ſed fictè falsèque *Catholicam* nuncupatam eſſe euidenter demonſtrantium, more inſolito, & verbis tantùm generalibus, nullumque particulare dogma, quod fidei boniſue moribus aduerſetur, nominantes proſcribunt, & Authori ipſorum, niſi ſe quamprimùm purgauerit, nullum tamen crimen à quo ſe purgare debeat indicantes tametſi id ſcire ſæpiùs ab illis quàm humillimè petierit, minas grauiſſimas intentant, neque doctrinam hanc, vti ipſi prætendunt, peſtiferam & ab omnibus deteſtandam, à qua me purgare debeam, declarare adhuc volunt: qui hoc ipſo vel nimiam ſuam puſillanimitatem, & *fidei Catholicæ* profitendæ timiditatem apertiſſimè detegunt, qui inſtantiſſimè rogati *fidem*, quam prætendunt

Catholicam, publicè profiteri præ timore hominum reformidant, & quam ab alijs prædicandam eſſe velint, ipſimet palam agnoſcere pertimeſcunt; vel quod veriſimilius, ſuam diffidentiam, & cauſæ, quam tuentur, imbecillitatem ſatis produnt.

10 Si enim confidunt, & nihil ſibi propoſitum, niſi ipſiſſimam veritatem, & fidem *verè Catholicam* habent, Cur tantopere reformidant Catholicorum Reſponſiones? Cur minis & terroribus eas, ne lucem aſpiciant, comprimunt? Cur *fidem* hanc *Catholicam* verbis diſertis palam profiteri adeo pertimeſcunt? Non ita ſilerent, aut *fidem Catholicam* agnoſcere, & declarare erubeſcerent, ſi quis vel *ſanctiſſimam Trinitatem*, vel diuini *Verbi Incarnationem*, vel *Euchariſtiæ* myſterium, vel alia *Religionis* capita impugnaret, ſed iſta protinus ab omnibus fidelibus fide *verè Catholica* neceſſario credenda eſſe, verbis expreſſis, maximè ſi requiſiti eſſent, procul dubio declararent. Adeo vt *Leſsius*, dum ſuum ſilentium, ſeu libri ſui ſuppreſſionem ob humanæ indignationis metum excuſare, & culpam in alios conijcere prætendat, *Summum Pontificem*, atque *Illuſtriſsimos Cardinales*, vel culpandæ timiditatis, & tacitæ *fidei* quam *Catholicam* prætendunt, abnegationis, vel execrandæ ſimulationis, & *fidei Catholicæ*, quam ab alijs publicè confitendam, prædicandam, & defendendam eſſe velint, manifeſtæ incredulitatis reos eſſe, & quòd vti *verè Catholica* ſuſtentari queat, ſe omnino diffidere, apertiſſimè conuincat.

11 Sed quare *viri illi magna authoritatis* ita

deſæuierint in hanc doctrinam pro poteſtate *Pontificis* in temporalibus, prout paucis ab hinc annis à quibuſdam recentioribus, & præſertim *Societatis Ieſu* Theologis, qui vltra modum præ cæteris in hac quæſtione feruent, propugnata eſt, *Leſsius* aliquam huius rei cauſam ex parte attingit, ſed eam diminutè admodùm & mutilatè proponit. *Sed, inquiunt*; ait ille, [g] *Sententia Catholicorum, quæ Summo Pontifici poteſtatem in temporalibus aliquo euentu concedit, eſt iniuria in poteſtatem politicam & Regiam, atque adeo in totum Laicorum Ordinem: Vnde nullo modo eſt permittenda, ſed mox opprimenda, & etiam pœnis vindicanda. Itaque tanquam rem certam, manifeſtam, & quæ in controuerſiam vocari non poteſt, ſtatuunt Summo Pontifici talem poteſtatem non competere, ſed iniquè vſurpatam cum iniuria dignitatis Regiæ, & iuſtæ ordinatæque politiæ. Rem miram. Eam doctrinam, quæ paſſim in omnibus Academijs, & Prouincijs Catholicis tot ſeculis fuit communis, quæ tot ſcriptorum libris abſque vlla haſitatione tradita, quam non ſolùm Pontifices & Concilia Oecumenica ſed etiam ipſi Reges & Imperatores abſque vlla dubitatione ſunt ſequuti, repentè ita damnari, & in tantam deteſtationem & abominationem adduci, vt nulla hæreſis magis ſit execrabilis.*

[g] Pag.86. nu.47.

12 Sed veram, propriam, & integram huius rei rationem *Leſsius* more Cauſidicorum diſſimulat, vt ita peſsimam cauſam, quam propugnandam ſuſcepit, plauſibiliùs defendat, & illos *magnæ authoritatis viros* non leui reprehenſione dignos eſſe viris imperitis faciliùs, & cum ma-

iori probabilitatis ſpecie perſuadeat. *Duæ* etenim rationes inter alias meo quidem iudicio potiſsimę aſsignari poſſunt, ob quas *Senatores illi ſapientiſsimi*, & antiquæ libertatis *Eccleſiæ Gallicanæ*, atque ſupremæ *Maieſtatis Regiæ* conſeruatores vigilantiſſimi, hanc doctrinam pro poteſtate *Pontificis Principes* ſupremos deponendi, & de rebus temporalibus diſponendi paucis ab hinc annis vehementius quàm antea inſectati fuerint. *Prima* eſt, eo quòd paucis tantùm abhinc annis doctrina hæc à quibuſdam recentioribus Theologis tanquam indubitatum *fidei Catholicæ* dogma, abſque vlla ſufficienti ratione vel authoritate, quæ rem *de fide* certam facere valeat, propugnari cæpit, & non ſicut aliæ quæſtiones Theologicę diſputari ſolent, in quibus pertractandis integrum relinquitur viris eruditis quid ſibi magis placitum fuerit ſentire, poſtquam rem totam, & ſingularum rationum pondera hinc illincque afferri ſolita æqua lance ſincerè penſitauerint.

13 Quamdiu enim doctrina hęc pro poteſtate *Papali Principes* deponendi tanquam *probabilis* duntaxat propugnata fuerit, neque vlla eam ſequendi conſcientijs fidelium neceſsitas impoſita, optimè viderunt viri illi perſpicaciſsimi, nullum omnino periculum *Principum* Capitibus, aut Coronis, tametſi per ſententiam Summi *Pontificis* ſuo règnandi iure priuarentur, apud viros eruditos ac pios creari poſſe. Nam *inprimis*, veriſsimam & receptiſsimam Theologorum, & Iuriſperitorum ſententiam eſſe probè nouerunt, quòd ſubditi omnes *Regi*, ſeu *Principi* ſuo obedientiam & fidelitatem præſtare, eumque aduerſùs omnes,

nes, qui illum, aut Regnum eius inuadunt, defendere teneantur, donec certò conſtet, eum vel inique & in ſummam veri & legitimi *Regis* iniuriam Regnum vſurpaſſe, vel omni regnandi iure (ſiue ſponte & per voluntariam ceſsionem, ſiue per ſententiam Superioris, ſi quem fortaſſe habeat, & ſi talis ſententia contra eum ferri poſſit) verè excidiſſe. Sicut etiam in bello tum offenſiuo, tum præſertim defenſiuo, ex communi omnium Theologorum ſententia, tenentur ſubditi *Principi* ſuo bellum inſtruenti opem ferre, illumque defendere, nec militiam ſubterfugere, niſi de iniuſtitia belli tum offenſiui, tum præſertim defenſiui certò, ac euidenter illis conſtet. *Deinde*, non minori certitudine illis *Senatoribus* notum erat, non poſſe certò & euidenter conſtare, vllum omnino regnandi ius *Principi* per ſententiam Summi *Pontificis* abdicato ademptum eſſe, quamdiu probabile tantùm eſt, & non certum, penes *Pontificem* eſſe poteſtatem *Principes* abdicandi; cùm probabilitas hæc, quantumuis magna eſſe ſupponatur, nihil omnino impediat, quo minùs contraria quoque doctrina, nempe talem poteſtatem *Pontifici* non competere, etiam valde probabilis eſſe queat; & proinde probabile etiam ſit, nullo prorſus regnandi iure *Principem* per talem *Pontificis* ſententiam priuatum eſſe. Atque hæc noſtra doctrina clara eſt, perſpicua, ex ſe notiſsima, & nullis verborum præſtigijs, integumentis, aut captiunculis inuoluta.

14 Sed cùm iam paucis ab hinc annis recentiores quidam Theologi Card. *Bellarminum* præ-

cipuè imitati, contra antiquorum Theologorum placitum, doctrinam hanc pro poteſtate *Pontificis Principes* deponendi, pœnaſque ciuiles ex *Chriſti* inſtitutione infligendi, veluti *certam*, & ab omnibus fidelibus *fide Catholica* neceſſariò credendam ſupponere, & contrariam non tam *ſententiam* quam *hæreſim* eſſe (in ſummam *Regiæ Maieſtatis*, quæ iuxta concordem veterum Patrum, & Doctorum ſententiam in temporalibus ſuprema eſt, & ſoli *Deo* ſubdita) depreſſionem atque iniuriã palam docere, & prædicare cœpiſſent, tempus erat, vt tam *Principes* ipſi, quàm fideles eorum Miniſtri ac ſubditi expergefierent, & Regalibus iuribus conſeruandis inuigilarent; neque quempiam, ſub ſpecioſo religionis Catholicæ promouendæ prætextu, ſupremam *Regum* in temporalibus poteſtatem conculcare, & ſacrata eorum colla iugo alterius, cui in temporalibus ſubditi non ſunt, ſubijcere impunè permitterent. Atque hæc vna & præcipua, vti opinor, cauſa erat, ob quam *Senatus Pariſienſis* pluribus Edictis decreuit, ne quis nouam hanc de poteſtate *Papali Principes* deponendi, atque antiquis Patribus, & Theologis incognitam *fidem*, & paucis tantùm ab hinc annis in maximam *Principum* ſupremorum iniuriam à quibuſdam recentioribus inuentam, & vehementiſsimè per fas & nefas propugnatam, deinceps verbo aut ſcripto defendere, ſub pæna *læſæ Maieſtatis* præſumeret.

15 Non igitur *Senatores* illi tanquam rem *ſpeculatiue* certam, manifeſtam, & quæ in controuerſiam vocari non poſſit, ſtatuunt Summo *Pontifici* talem poteſtatem non competere, vt

Leſsius comminiſcitur, ſed cùm notum ſit, ſententiam illam Catholicorum, quæ Summo *Pontifici* poteſtatem de temporalibus diſponendi, & *Principes* ſupremos abdicandi aliquo euentu concedit, tanquam rem de *fide certam*, manifeſtam, & quæ in controuerſiam vocari non poſſit, eſſe nouam, antiquis Patribus & Theologis incognitam, à quibuſdam recentioribus paucis tantùm ab hinc annis excogitatam, & acerrimè propugnatam, & præterea non ſolùm poteſtati politicę & *Regali*, atque adeo toti Laicorum: immo etiam & Clericorum, qui *Regibus* ſubiecti ſunt, Ordini, iuſtæque & ordinatæ politiæ iniurioſam; verùm etiam *Principum* coronis, & Capitibus valde periculoſam, ſtatuunt illi *Senatores*, idque iure merito, eam nullo modo permittendam, ſed mox opprimendam, & grauiſſimis etiam pœnis vindicandam eſſe.

16 Sunt itaque iſti recentiores Theologi præſertim *Ieſuitæ*, qui plùs alijs in hac quæſtione feruent, qui tanquam rem certam, manifeſtam, & quæ in controuerſiam vocari non poſſit, ſtatuunt Summo *Pontifici* talem poteſtatem cum iniuria dignitatis *Regiæ*, & iuſtæ ordinatæq; politiæ. Nos autem iam ſolùm contendimus, eam non eſſe certam ſed valde dubiam, antiquis Patribus incognitam, quingentis tantùm ab hinc ſeculis, *nouo & ante ea ſecula inaudito*, vt ait *Onuphrius*, [h] *Gregorij* Papæ *VII.* exemplo in Scholas Catholicorum inuectam, ſed ab *Imperatoribus*, *Regibus*, & *Doctoribus* vſque in præſentem diem continuò impugnatam. Ideoque non mirum, quòd à tempore eiuſdem *Gregorij* poteſtas hæc paſſim in

[h] Vide verba *Onuphrij* infra par. 3. ſec. 2. nu 7.

omnibus Academijs, & Prouincijs Catholicis à plurimis Theologis, & Iuriſconſultis in gratiam *Pontificum* ob rationes à me alibi [i] allatas, neque à D. *Schulkenio* impugnatas propugnata fuerit. Sed quòd doctrinã iſtam *Conciliũ* aliquod Oecumenicũ tradiderit, aut ſequutum fuerit, falſum eſſe partim antea de *Lateranenſi* Concilio agens, & magis particulatim inferiùs, quando cætera *Concilia* diſcutiemus, commonſtrabimus.

17 Sed mirum profectò eſt, qua fronte *Leſſius* tam confidenter affirmare auſus fuerit, *ipſos etiam Reges & Imperatores hanc doctrinam abſque vlla dubitatione ſequutos eſſe*, cùm & ſuus *Azorius* expreſsè aſſerat, *magnam fuiſſe ſemper inter Romanos Pontifices ex vna parte, & Imperatores & Reges ex altera de hac doctrina controuerſiam*, & hiſtoriæ etiam, quæ res geſtas *Regum* ac *Imperatorum* narrant, contrarium planè indicent, vt ſuprà [k] inſinuauimus, & infra magis expreſsè oſtendemus. Quòd ſi fortaſſe *Rex*, aut *Imperator* quiſpiam pro priuato ſuo vel publico Regni commodo hanc doctrinam ſequutus fuerit, hoc cæteris, qui eam non ſunt amplexati, præiudicare non debet. Neque tamen vix vnicum *Imperatorem* aut *Regem* *Leſſius* reperiet, qui, quando de ſeipſo deponendo agebatur, hanc doctrinam ſequutus fuerit, niſi mera deſperatio, vtpote qui non alia via quàm in gratiam *Pontificis* redeundo inimicorum impetus declinare poterat, eum coegiſſet. Neque vllatenus dubito, quin *Carolus* V. ſi *Clemens* VII. eum deponere aggreſſus fuiſſet, hanc doctrinam in ſuis Dominijs proſcribere voluiſſet, ſicut etiam eo tempore quo inter ipſum &

eun-

[i] in *Apolog.* nu. 449. 459.

[k] part. 1. ſec. 3. nu. 27. 28.

[l] part. 3. ſec. 4. nu. 11.

eundem *Pontificem* diſcordia erat, *quadam Edicta in Hiſpania publicauit contra authoritatem Sedis Apoſtolicæ, & ſubditis ſuis interdixit, ne cauſas beneficiales illius Regni in Curia Romana tractarent.* [m]

18 Quoniam igitur doctrina hæc quorundam Catholicorum, quæ poteſtatem *Principes*, qui in temporalibus ſupremi ſunt, deponendi, atque de eorum temporalibus diſponendi aliquo euentu tanquam rem *certam*, manifeſtam, & quę in controuerſiam vocari non poſſit, Summo *Pontifici* concedit, repente in toto Orbe Chriſtiano paucis ab hinc annis concepta, atque in lucem edita eſt, cum ſumma dignitatis *Regiæ*, & iuſtæ ordinatæque politiæ iniuria, non mirum quòd repente etiam paucis ab hinc annis damnata fuerit, & in tantam deteſtationem & abominationem adducta, vt nulla hæreſis ſtatui politico, & ſupremæ *Regum* poteſtati, (cui hęc doctrina ex diametro repugnat, non item aliæ quæuis hæreſes, quæ ſupremam *Principum* Secularium in temporalibus authoritatem non euertunt) magis pernicioſa excogitari queat.

19 *Altera cauſa*, ob quam *viri illi magnæ authoritatis* doctrinam hanc pro poteſtate Summi *Pontificis Principes* deponendi, atque de omnibus temporalibus diſponendi etiam vt *probabiliter* traditam, tanquam ſeditioſam, & *Principibus* periculoſam meritò proſcribere poterant, hæc erat: Quoniam hæc doctrina, ex cuius principijs, vt alibi [n] demonſtrauimus, manifeſtè conſequitur, penes *Pontificem* eſſe poteſtatem *Principes* ſupremos non ſolùm dominijs, verùm etiam

[m] *Franciſcus Guicciardinus* lib. 17. ſuæ hiſtor. ad annum. 1526.

[n] in *Apolog.* nu. 43. & ſeq.

vita, quæ in rebus temporalibus proculdubio annumeranda eſt, priuandi, populo pręcipiti & imperito, qui inter *ſpeculationem* & *praxim*, ſeu doctrinam *ſpeculatiue* traditam, & *praxi* applicandam diſtinguere non valet, anſam facillimè præbet ſeditiones & tumultus in Republica concitandi, atque *Principes* ſupremos, ſub prætextu tacitæ ſaltem aut præſumptæ Summi *Pontificis* licentiæ, quauis arte aut ſtratagemate, ſi id communi animarum ſaluti neceſſarium eſſe iudicauerit, interimendi. Plebs enim indocta quando audit *probabile* admodum eſſe, poſſe Summum *Pontificem* in ordine ad bonum ſpirituale de omnibus temporalibus diſponere, & poſſe quemlibet cum licentia Summi *Pontificis Principes* excommunicatos, aut *Eccleſiæ*, ſeu *Pontifici*, quos pro eodem ſupponit, inobedientes, ſi *Eccleſiæ* neceſſitas id poſtulauerit, è medio tollere, facillimè ſibi perſuadere poterit, tacitam, præſumptam, aut alioquin ipſo naturali iure debitam Summi *Pontificis*, & ipſius *Chriſti* Domini licentiam ſibi eſſe conceſſam, ſi vel *Pontifex* talē licentiam iniuſtè, atque in Religionis Chriſtianæ atque animarum perniciem denegauerit, vel tale factum poſtquam exequutioni mandatum fuerit, vti veriſimile eſt, non improbare voluerit.

20 Atque ex hac doctrina ſceleſtiſſimi illi *Regicidæ*, qui noſtris temporibus *Chriſtianiſſimos* Francorum *Reges* crudeliter enecarunt, & qui *Regem* noſtrum *Sereniſſimum* cum *Regina*, *Regia* ſobole, tribuſque Regni *Ordinibus* puluere tormentario barbarorum inſtar è medio tollere conati ſunt (quos tamen *Deus Optimus Maximus*

ſingulari ſua prouidentia à rabidiſſimo illorum furore præſeruauit) occaſionem fortaſſe ſumpſerunt imaginandi, tam execranda, & planè diabolica facinora, licita, iuſta, Deoque acceptiſſima fore. Ideoque impijſſimus ille Archiproditor *Catesbeius* ex verbis & animo Summi Pontificis *Clementis* VIII. (*qui Anglos Catholicos hortatus eſt, vt poſt obitum Reginæ Elizabethæ neminem, quantumcunque propinquitate ſanguinis niteretur, ad Angliæ ſceptrum tenendum admitterent, niſi verè Catholicum, & qui fidem Catholicam omni ope & ſtudio promouere iureiurando promitteret*) tacitam *Pontificis* licentiam Regem noſtrum Sereniſſimum è medio tollendi hoc argumento collegit; *Quos reijcere tunc licuit, eijcere nunc licet; Æquè licuit curare iam ne pergàt potiri, atque tum ne potiretur Rex, Curare nos Catholicos hoc voluit* Clemens, *igitur ea res curæ iam mihi erit.* Vide detectionem calumniæ 12. Doctoris *Schulkenij* à num. 25.

21 Quapropter iure optimo præfati *magnæ authoritatis viri* doctrinam hanc etiam vt *probiliter* traditam proſcripſerunt, quæ apud plebem indoctam pariter ac pręcipitem *Principum* Coronis ac capitibus periculum creare poterat. Neque enim vlli vel mediocriter erudito ignotum eſſe poteſt, poſſe *Principes* politicos ex vi ſuæ poteſtatis politicæ legem ferre, ne quis ſuorum ſubditorum ſub pæna capitis *doctrinam non neceſſariam*, quantumcunque probabilis *ſpeculatiuè* reputetur, ex qua ſuis Capitibus, vel Coronis periculum imminere poteſt, verbis vel ſcriptis docere, aut defendere directè vel indirectè præſumat. Itaque

Senatores illi prudentiſsimi praxim potiſsimum reſpicientes, etiam tanquam rem certam, manifeſtam, & quæ in controuerſiam vocari non poſsit, non tam ſtatuunt quàm ſtatutum & notum ſupponunt, Summo *Pontifici* talem poteſtatem *Principes* deponendi, & pænas ciuiles infligendi in ordine ad *praxim* non competere, quamdiu probabile tantùm eſt, & non certum *ſpeculatiuè* talem poteſtatem pænas ciuiles infligendi ſibi ex inſtitutione diuina conceſſam eſſe; Atque hoc etiam *Leſsij* principijs conſentaneum eſſe ſuperiùs commonſtrauimus. Nam *poteſtas tantùm probabilis*, ait Leſsius, *non poteſt eſſe fundamentum, quo immediate aliquis puniatur, & iure ſuo ac Dominio priuetur. Nullus enim Iudex poteſt irrogare pœnas adeo graues, aut condere decreta quibus irrogentur, niſi conſtet illi talem poteſtatem conceſſam. Si enim id vllo modo eſſet dubium poſſet reus excipere, & ei non parere, &c.* Quod igitur Iudici ſeu Summo *Pontifici* talis poteſtas probabiliter tantùm competat, idem eſt quoad *praxim*, ac ſi *certum* eſſet talem poteſtatem non omnino ei competere: Cuius doctrinę veritas potiſsimùm fundatur in veriſsima, & notiſsima illa Iuris vtriuſque regula ſæpiùs à me relata, *In cauſa dubia ſiue incerta melior eſt conditio poſsidentis.* Iam reliqua proſequamur.

22 *Sed hoc eſt artificium Diaboli*, ait *Leſſius*,[o] *qui ſub ſpecie quæſtionis politicæ cauſam ſuam agit ad Religionis euerſionem.* Sed nos tam facile contrarium affirmamus, hoc eſſe artificium Diaboli, qui ſub ſpeciè quæſtionis ad Religionem pertinentis cauſam ſuam agit, ad dignitatis *Regiæ* & iuſtæ ordina-

[o] nu.48. pag. 87.

dinatæque politiæ à Deo inſtitutæ euerſionem. Quòd ſi Aduerſarij obijciant; *Virtus & vitium prout bono ſpirituali prodeſt & obeſt, ad poteſtatem Eccleſiaſticam proculdubio ſpectant, ſed diſpoſitio temporalium, & inflictio pœnarum ciuilium nonnunquam virtus, & vitium eſſe poſſunt, ergo diſpoſitio temporalium, & inflictio pœnarum ciuilium nonnunquam ad poteſtatem Eccleſiaſticam ſpectat.* Hæc *obiectio* per aliam ſimilem refelli aut explicari poteſt. Regicidia & homicidia prout bono temporali aduerſantur, ad poteſtatem politicam procul dubio ſpectant, ſed adminiſtratio Sacramentorum nonnunquam Regicidium eſſe poteſt, vt ſi quis pane venenato Euchariſtiam *Principi* adminiſtraret, aut aqua venenata eum baptizaret, aut Chriſmate venenato eum confirmaret, ergo adminiſtratio Sacramentorum ad poteſtatem politicam nonnunquam ſpectat.

23 Sed tota vis huiuſmodi argumentorum, vt alibi [p] annotauimus, ex diſcrimine inter poteſtatem *directiuam*, & *coercitiuam* atque vtriuſque poteſtatis proprios actus, & obiecta clariſſimè innoteſcit. Sicut enim Regicidia & homicidia in quacunque materia reperiuntur, quatenus bono temporali & paci publicæ repugnant, ad poteſtatem politicam, vt *directiua* eſt, pertinent, cuius proprium & formale obiectum eſt pax & perturbatio publica, ſeu bonum & malum temporale, hoc quidem fugiendum, illud autem amplectendum, & proinde ab ea ſub pœnis temporalibus, quæ proprium & formale poteſtatis politicæ, vt *coercitiua* ſeu *punitiua* eſt, obiectum conſtituunt, præcipi aut prohiberi poſſunt; ita virtus & vitium

in qua-

[p] In *Confutat.* Anglic. *Tho. Fitzherb.* part. 3. cap. 6.

in quacunque materia reperiuntur, veluti in rerum temporaliū diſpoſitione, & inflictione pænarum ciuilium, quatenus ſpirituali animarum bono proſunt, aut nocent, ad poteſtatem Eccleſiaſticam, prout *directiua* ſeu *præceptiua* eſt, ſpectant, cuius proprium & formale obiectum eſt bonum & malum ſpirituale, ſeu mors & vita ſpiritualis, illa quidem vitanda, hæc autem procuranda & conſeruanda: & proinde ab ea ſub pænis ſpiritualibus quæ proprium & formale poteſtatis Eccleſiaſticæ vt *coercitiua* ſeu *punitiua* eſt obiectum conſtituunt, precipi aut prohiberi poſſunt. Vnde ex priori argumento non magis ſequitur, poſſe Summum *Pontificem* de temporalibus diſponere, aut pænas temporales infligere, quia diſpoſitionem temporalium, & pænarum temporalium inflictionem nonnunquam præcipere poteſt, quàm ex poſteriori ſequatur, poſſe *Principem* politicum de ſpiritualibus diſponere aut Sacramenta adminiſtrare, & pænas ſpirituales infligere, quia hanc vel illam illicitam Sacramentorum adminiſtrationem, aut Excommunicationem ſuorum ſubditorum manifeſtè iniuſtam, quatenus bono publico aduerſatur, & ſeditiones ac tumultus in Republica excitant, nonnunquam prohibere poteſt. Quoniam igitur nulla reductio, reſpectus, aut ordo vel rerum & pænarum temporalium ad bonum ſpirituale, vel rerum & pænarum ſpiritualium ad bonum temporale efficere poteſt, vt pænæ temporales ſint pænæ ſpirituales, & diſpoſitio rerum temporalium ſit diſpoſitio rerum ſpiritualium, propterea neque poteſtas Eccleſiaſtica pænas ciuiles infligere, & de rebus ciuilibus diſponere, nec poteſtas ciuilis pænas ſpirituales infligere, & de rebus ſpiritualibus diſponere poteſt.

24 *Porro tria potiſſimum*, ait *Leſſius*, *in hoc Diabolus molitur*, *quæ valde procliue eſt conſequi, idque neceſſaria quadam conſequutione, ſpectata hominum huius æui conditione.* Primò, *vt animos Principum à Sede Apoſtolica auertat, eiuſque odium illis inijciat, tanquam ipſa iniquè ſibi hanc poteſtatem in Regiam dignitatem, & politicam Regum adminiſtrationem varijs technis & fraudibus vſurparit. Principum animis à Sede Apoſtolica alienatis, ſtatim alienantur animi Magnatum, Senatorum, Conſiliariorum, Magiſtratuum, atque adeo totus Laicorum Ordo*, & *ſimul Eccleſiaſticorum Ordo, niſi idem ſentiat, ſuſpectus, & exoſus redditur.*

25 Sed qui artificio Diaboli, quantum in ipſis eſt, ſpectata hominum huius æui conditione, animos *Principum* à *Sede Apoſtolica* auertunt, eiuſque odium illis inijciunt, ſunt iſti recentiores Theologi, qui in ſummam *Regiæ* dignitatis, ac *Principum* temporalium (qui iuxta concordem veterum Patrum doctrinam *à Deo ſecundi ſunt*, & *ſolo Deo minores*, & nemini mortalium in temporalibus ſubiecti) iniuriam ac depreſſionem, & nimiam poteſtatis *Pontificiæ* in temporalibus exaltationem, *fidem nouam* & antiquis Patribus & Theologis incognitam, contra notiſsimas fidei Catholicæ regulas procudere, & varijs technis ac fraudibus per fas & nefas fideli populo obtrudere conati ſunt. Nos autem periculoſam hanc *Principum* offenſionem, quam Theologi iſti perniciosè accendere nixi ſunt, extinguere, atque ex

Principum animis dimouere ſatagimus, dum illis notum facimus, Religionem Chriſtianam, & rectam, ordinatámque politiam ſimul cohærere optimè poſſe, cùm vtrique poteſtati proprios ſuos fines & terminos, quos egredi neutri liceat, *Chriſtus* Dominus præfixerit, ita vt nec *Principes* iura *Pontificum*, nec *Pontifices* iura *Principum* inuadere debeant, ſed ſuis finibus contenti ſeinuicem iuuent, & nec *Princeps* gladium ſpiritualem, nec *Pontifex* Iuriſdictionem temporalem ſibi vſurpet. Quòd igitur tam Laici illi, quàm Eccleſiaſtici, qui nouam hanc fidem profitentur, ſuſpecti & exoſi *Principibus* reddantur, gratias habeant *nouis* hiſce Theologis, qui ſub ſpecie religionis *noua* fidei dogmata in ſummam *Regiæ Maieſtatis* iniuriam abſque vllo fundamento fabricare non formidarunt. Et quis vir prudens ac pius ſibi verè, & ex animo perſuadere poterit, *Chriſtum* Dominum talem in temporalibus poteſtatem ſuæ Eccleſiæ Paſtoribus concedere voluiſſe, quæ futuris temporibus *Principum* Chriſtianorum quos Eccleſiæ ſuæ *Protectores* conſtituit, odium implacabile & inextinguibile, ſpectata tam *Pontificum*, quàm *Principum* fragilitate, in Eccleſiam ſuam, eiuſque Paſtores concitatura eſſet.

q pag.88. 26 *Secundò*, ait *Leſſius*, *vt hominibus perſuadeat, Eccleſiam ſaltem à 500. annis in grauiſsimo errore verſari, errando in re maximi momenti, nimirum circa ſuam poteſtatem & regimen ouilis Chriſti. Neque ſolùm erraſſe, ſed fraudibus & violentia iniquè ſibi vſurpaſſe poteſtatem ſoli Chriſto congruentem, idque ſub ſpecie religionis, & officij Paſtoralis. Vnde manifeſtè ſequitur, Eccleſiam* Chriſti, *quam conſtat errare non poſſe, iam à multis ſeculis concidiſſe.*

27 Sed de hoc infrà[r] fuſiùs: Interim dico, falſum eſſe, me vnquam in animo habuiſſe hominibus perſuadere, *Eccleſiam Chriſti* vel per modicum temporis in grauiſſimo errore verſatam eſſe, aduerſùs quam portas inferi non eſſe præualituras *Chriſtus* Dominus promiſit. Si autem quidam *Pontifices* circa ſuam poteſtatem, & regimen ouilis *Chriſti* in diſpenſationibus, licentijs, & decretis ſuis ſæpiùs errauerint, *temporalium dominorum terminos aliquoties inuaſerint, de ſalute animarum parum curauerint*, & alia ſuo officio indigna quæ refert *Aluarus Pelagius*, & *cum ſcandalo totius Chriſtianitatis, vt* ait *Silueſter, fecerint*, nihil *Eccleſiæ* vniuerſali, quæ & ſanctiſſima eſt, & *columna* ac *firmamentum veritatis*, incommodat. Sed caueat *Leſſius*, ne ſi *Pontificem* pro *Eccleſia* ſubſtituat, ipſemet hominibus perſuadeat, *Eccleſiam* ſaltem per quingentos annos in grauiſſimo errore tam circa fidem quàm mores verſatam eſſe, & poteſtatem ſibi non debitam ſaltem per ignorantiam, vt odioſa illa *fraudis*, & *violentiæ* nomina, de quibus infra[ſ] nunc pertranſeam, iam à multis ſeculis vſurpaſſe.

28 *Tertiò* ait *Leſſius, vt hominibus perſuadeat, vel ſaltem ſuſpicionem vehementem moueat, totam Religionem Chriſtianam eſſe inuentum humanum, varijs artibus, dolis, & terroribus ſub ſpecie pietatis ex ambitione introductum ad obtinendum dominatum non ſolùm in ſacris, ſed etiam in temporalibus.*

29 Attamen non ego, qui ex meo cerebro noua *fidei* dogmata non procudo, ſed antiquam

Eccle-

[r] *Part.* 3. ſect. 1, nu. 6.

[ſ] Nu. 6. cito.

Eccleſia fidem iuxta approbatas veterum Patrum, & Theologorum regulas declaro, ſed potius Aduerſarij (qui ſupremam Romani *Pontificis* tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus Monarchiam paucis ab hinc ſeculis excogitatam, tanquam fidei Catholicæ, ſed antiquis Patribus incognitæ dogma indubitatum varijs artibus, dolis & terroribus ſub ſpecie pietatis defendere ſatagunt) quantum in ipſis eſt, omnibus perſuadere, vel ſaltem ſuſpicionem vehementem mouere nituntur, totam Religionem Chriſtianam eſſe inuentum humanum, varijs artibus, dolis & terroribus ſub ſpecie pietatis ex ambitione introductum ad obtinendum dominatum non ſolùm in ſacris, ſed etiam in temporalibus. Vnde à quibuſdam Catholicis doctrina ac pietate prçſtantibus ſæpiùs andiui, ſe propria experientia didiciſſe, difficillimum eſſe his temporibus viro alicui erudito, atque in Religione *Proteſtantium* enutrito perſuadere, vt Religionem Catholicam amplectatur, ſi horum recentiorum Theologorum, qui Religionis Catholicæ præcipui aduerſus hæreticos Antagoniſtæ haberi volunt, doctrinam, & principia tum ſpeculatiua tum practica diligenter examinauerit, cùm eorum principia ſiue ad fidem ſiue ad mores ſpectantia nimis extrauagantia, & neque *Eccleſia* primitiuæ, neque Sanctorum *Patrum* ſequentibus poſt ſeculis doctrinæ & praxi admodum conſentanea eſſe videantur, vt potiùs ex *Proteſtanti Atheum*, quàm Catholicum efficere valeant. Ex quibus patet, verba illa quæ *Leſſius* protinus ſubiungit, non mihi, ſed ſibimet meliùs accommodari poſſe.

30 *In primo*, ait *Leſsius*, *diſponit* Pr*incipum & Laicorum omnium animos ad contemptum Eccleſiæ, & odium Ordinis Eccleſiaſtici, ac proinde ad ſchiſma, & hæreſin, vt per ſe manifeſtum eſt, & ipſa experientia ſatis conſtat. Nihil enim æquè animos circa veritatem excæcat, & contraria omnia ſentienda, dicenda, & facienda impellit, ac odium, præſertim ſi ſpecie quadam rationis ſit ſubnixum. In* ſecundo *facit hæreticos, Exiſtimare enim Eccleſiam in ſuis dogmatibus & decretis morum errare poſſe, aut erraſſe hæreſis eſt. In* tertio *facit Atheos.* P*utare enim Religionem Chriſtianam eſſe inuentum humanum, Atheiſmus eſt. Ex quibus perſpicuum eſt, quanti momenti ſit hæc controuerſia (etſi ſpeciem politicæ quæſtionis præ ſe ferat) de poteſtate Eccleſiæ in temporalibus bono ſpiritali exigente. Si enim falſum eſt, Eccleſiam talem poteſtatem habere, & Summi Pontifices iniquè eam ſibi arrogarunt (vt quidam politici vnà cum hæreticis contendunt) ſequuntur manifeſtè mala illa, quæ generatim attigimus. Itaque non exiſtimo vllum penè eſſe articulum in Chriſtiana Religione, cuius denegatio ſit magis periculoſa ſtatui Eccleſiæ, & plures in hæreſim, & odium Eccleſiæ poſsit præcipitare. Quod etſi ex dictis ſatis conſtare videatur, tamen manifeſtius fiet, ſi magis in particulari incommoda demonſtremus, quæ ex ea apertè ſequuntur.*

31 Sed quòd *fides* hæc noua, & antiquis Patribus incognita, atque in Scholas Theologorum, in maximam P*rincipum* ſupremorum iniuriam recens inuecta grauem P*rincipum* indignationem tam in Eccleſiaſticos, quàm in Laicos qui eam profitentur, concitet, atque P*rincipum*,

&

& *Laicorum* omnium animos ad contemptum *Eccleſiæ*, & odium Ordinis Eccleſiaſtici, ac proinde ad ſchiſma, hæreſim, & Atheiſmum diſponat, non mihi, qui prætenſæ iſtius Catholicæ fidei nouitatem & falſitatem detego, ſed recentioribus iſtis Theologis, qui eam abſque ſufficienti fundamento confinxerunt, & varijs artibus, dolis, & terroribus ſub ſpecie pietatis propugnare ſtudent, vitio vertendum eſt. Quapropter affirmare non dubito, doctrinam hanc, prout ab iſtis Theologis, tanquam indubitatum *fidei Catholicæ* dogma, ſub ſpecie religionis eſt tradita, eſſe inuentum humanum, & abſque ſufficienti ratione confictam, ſupremis *Principibus* ſummè iniurioſam, eorumque Coronis ac Capitibus valde periculoſam, & proinde è Scholis Theologorum meritò explodendam, & ab omnibus Catholicis ſummopere deteſtandam. Neque ex noſtra doctrina ſequitur, vel *Eccleſiam* in ſuis dogmatibus, & decretis morum erraſſe, vel aliud quodcunque incommodum, quod verè incommodum cenſeri debet, conſequi, ex ijs quę dicta ſunt, ſatis conſtat, & ex dicendis fiet magis manifeſtum.

PARS

PARS TERTIA.

IN QVA VIGINTI INCOMMODA, QVÆ *LESSIVS* EX NOSTRA SENTENTIA manifeſtò conſequi falſò, imperitè, & *fraudulenter affirmat, clariſsimè refutantur*, & quædam *Illuſtriſsimi Cardinalis Peronij* fraudes artificioſæ perſpicuè deteguntur, & refelluntur.

SECTIO PRIMA.

In qua quinque *prima incommoda, huic falſa ſuppoſitioni potiſsimùm innixa, quòd ex mea ſententia Eccleſia in doctrina, & præceptis morum à multis iam ſeculis errauerit, perſpicuè refutantur.*

1 IN pręcedentibus huius *Diſcuſsionis* partibus, vti vidiſtis, *Leſsius* quaſdam *Reſponſiones* à me allatas impugnare conatus eſt, ſed fruſtra. Iam in hac *tertia* & vltima parte ſuæ *Diſcuſsionis Viginti* incommoda recenſet, quæ ex mea doctrina apertè conſequi fruſtra etiam demonſtrare contendit. Quæ omnia incommoda ab eo allata, huic generali tanquam fundamento innituntur, nimirum, quòd iuxta meam ſententiam

tiam *Eccleſia Chriſti* à multis iam ſeculis, ſaltem à 500 annis, nempe à tempore *Gregorij* VII. *qui primus omnium Romanorum Pontificum præter morem maiorum*, vt ait *Onuphrius*, *Romanum Imperatorem deponere auſus eſt*, in ſuis dogmatibus & decretis morum grauiſſimè errauerit, quod tamen falſiſſimum eſſe ſuperius oſtendimus. Et tametſi vniuerſa hæc incommoda ex diſtinctione ſuprapoſita inter poteſtatem Eccleſiaſticam, quæ Prælatis Eccleſiaſticis ex inſtitutione diuina, & quæ ex conceſſione, priuilegijs, aut conſenſu *Principum* illis competit, facillimè, iuxta doctrinam *quæ pleriſque Doctoribus placet*, diſſoluantur; Vt tamen Lector magis clarè, & diſtinctè perſpiciat, *prætenſam* hanc iſtorum recentiorum *Catholicam fidem*, iſtiuſmodi incommodis ſubnixam, tantoque impetu propugnatam, non ſatis firmiter fundatam eſſe, ea omnia ſigillatim diſcutiemus.

Vide verba *Onuphrij* infra ſect. 2. nu. 7.

2 *Primò ſequitur*, ait *Leſsius*,[a] *Eccleſiam à multis iam ſeculis (ſaltem à 500 annis) erraſſe in Doctrina maximi momenti, vtpote fundamentali in tota pene gubernatione; docendo ſe habere poteſtatem à* Chriſto *Domino ſtatuendi in certis euentis de temporalibus ſuarum ouium, etiam* Regum *&* Principum, *cum nullam talem poteſtatem habeat. Hic enim error longè pernicioſior erit, magiſque intolerabilis, quàm error circa aliquod Sacramentum, v.g. Sacramentum Confirmationis, vel* Pœnitentiæ *(nimirum peccata interna non eſſe neceſſario confitenda, numerum non eſſe exprimendum) vel Extremæ vnctionis, vel Matrimonij; tum quia in plurium iniuriam & perniciem redundabit; tum quia Eccleſia ſua poteſtas,*

[a] Nu. 49. pag. 90.

proſus, quos quotidie vtitur, qua tot canones & decreta condit, qua tot ſententias iudiciarias & ſingulos dictat, maximè perſpecta eſſe debent. Et tamen nemo Catholicus dixerit, eam circa aliquod Sacramentum erraſſe, aut errare poſſe; docendo aſſertè aliquid eſſe Sacramentum conferens gratiam, quod non eſt; aut non eſſe quod verè eſt; aut non eſſe neceſſarium, quod verè eſt neceſſarium; Hoc enim omnium iudicio cenſetur hæreticum. Quòd ſi hæreſis eſt dicere, Eccleſiam erraſſe in re minus neceſſaria, quanto magis hæreſis erit, ſi dicatur erraſſe in dogmate, quod maximè cognitu neceſſarium.

3 Sed falſum eſt, vt antea diximus, illud incommodum ex mea ſententia ſequi; tametſi nullum incommodum eſſe affirmet *Canus*, quòd *Eccleſia in decretis morum particularibus, & in priuatis præceptis & legibus per ignorantiam errare, & id quod rationi Euangelicoque aduerſatur, præcipere poſſit*, ſicut etiam poſſe *Romanos Pontifices* in generalibus tam fidei quàm morum decretis, ſi abſque *Concilio* generali definiant, errare; nullum eſſe incommodum *Theologi Pariſienſes*, quos plures doctrina & pietate præſtantes ſequuntur, non improbabiliter opinantur. Quòd enim Summi *Pontifices* in particularibus ſuis decretis, diſpenſationibus, licentijs, depoſitionibus, ſententijs, aliiſque actionibus, non tantùm errare queant, ſed etiam aliquoties de facto errauerint, non magis incommodum eſſe cenſent *plerique Doctores*, quam dicere eos eſſe homines, & inſtar aliorum hominum ignorantiæ, fragilitati, malitiæ, aliiſque humanis infirmitatibus ob-

Caiet. ſecunda ſecundæ q. 39. ar. 2.

Caiet. tom. 1. Opuſc. tract. 15. de Indulg. cap. 8.

Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. ar. 4.

Eſtius in 4. diſt. 38. §. 6.

noxios. *Poteſt perſona Papæ*, ait Caietanus, *tyrannicè gubernare, & tanto faciliùs, quanto potentior eſt, & neminem in terris timet vltorem. Et ſi quis putet, Romanum Pontificem non poſſe errare in iſtis particularibus actionibus; putet quoque ipſum non eſſe hominem.* Et ſæpe *Pontifices* ex ſententia *Thomiſtarum* diſpenſantes in ſolenni caſtitatis voto, & in matrimonio rato non conſummato errarunt, *ſequentes*, vt ait *Sotus*, *Canoniſtarum ſententiam.* Quia *Pontifices*, vt rectè ait *Eſtius*, *in diſpenſationibus, vt in alijs quibuſdam, non ſemper ſequuntur opiniones certò veras, ſed eas, quæ vel ſimpliciter, vel apud eos quorum vtuntur conſilio ſunt magis probabiles, vel pro tempore magis ad praxim vtiles Eccleſiæ.*

Silu. votum 4. q. 5.

Aluar. Pelag. l. 1. de planctu Eccleſ. ar. 15.

4 Sed *Silueſter* paulo liberiùs loquitur: Reſpondens enim argumento ex facto *Papæ* in ſolenni caſtitatis voto diſpenſantis deſumpto, aſſerere non dubitat, *ſe etiam vidiſſe Papam facientem maiora cum ſcandalo totius Chriſtianitatis.* Et *Aluarus Pelagius* Ioannis Papę 22. ſummus quondam Pœnitentiarius, & alioquin acerrimus directæ Summi *Pontificis* in temporalibus Monarchię propugnator, Eccleſiæ ſtatum ſuo tempore deplorans, contra Vicarios Chriſti *cum bona eorum venia* in hæc verba prorumpere non pertimeſcit. *Ad te ergo, mea mater Eccleſia, cuius ipſe (Papa) eſt caput, verto ſtilum. Dic mihi, vbi ſunt illi Romani Pontifices,* Petrus *dico, & alij poſt eum Succeſſores eius legitimi. Martyres quaſi omnes vſque ad tempora hac infelicia glorioſi, Confeſſores lucidi, Doctores illuminatiſſimi, &c. Regnant in cœlis cum illo, cuius fuerunt Vicarij authorita-*

itate & ſanctitate fideliſſimi ſectatores. Poſt quos multis centenarijs annorum fuerunt multi Romani Pontifices ſanctam Dei Eccleſiam numero & meritis fidelium ampliantes, & Eccleſiam triumphantem ciuibus eorum imitatoribus reparantes. Surrexerunt, iam ſunt multa tempora, eorum Succeſſores authoritate, ſed diſſimiles in ſanctitate, Romano Pontificatui ſe ingerentes, procurantes, vſuram ante promotionem non paciſcentes, & conuenientes, & promittentes; Aurum cumulantes abſque menſura; Parentes ditantes, & exaltantes, & conſanguineos promouentes; In delicijs viuentes; Amicos dignificantes, plurimumque alios conculcantes; In Babylonia, id eſt, Roma ſecundum Hieronymum turres & palatia ædificantes; Guerras nutrientes; Partem tenentes in Italia, cum ſit vna Eccleſia; Bona Eccleſiarum diſſipantes; Indignos promouentes; In curribus & elephantibus & dextrarijs, pretioſis veſtibus, familia ampliſſima militum & baronum armatorum, & in mundi potentia gloriantes; temporalium dominorum aliquoties terminos inuadentes; De ſalute animarum parum curantes; Et quid plura? quæ carnis ſunt ſapientes. Vide, Domine, & conſidera, quia ſponſa tua nimis humiliata eſt; Eius potentia in gentibus diminuta eſt; Eius miſericordia quaſi extincta eſt. Ad cuius confugiemus conſilium? Tranſlata eſt verè, ſcilicet virtutum gloria de Iſrael. Manda, Remanda. Mitte quem miſſurus es, obſecro, ſanctum Vicarium tuum aliquem Eccleſiam conformare. Ita *Aluarus.*

5 Quomodo autem *Nicolaus* primus, *Celeſtinus* tertius, *Bonifacius* octauus, & *Ioannes* vigeſimus ſecundus (quibus etiam *Vrbanus* ſecun-

dus [b] addi poteſt, niſi verba eius multo benigniùs quàm ſonant, exponantur) etiam in decretis ſuis, ac Literis errauerint, alibi [c] declarauimus. Quæ omnia licet paulo illubentiùs nunc commemorare ea tantùm de cauſa volui, vt *Leſſium*, cæteroſque Aduerſarios, in quorum ore ſpecioſum *Eccleſiæ* nomen, quam omnes Catholici vt ſanctam & infallibilem ſuſpiciunt ac venerantur, tam frequens eſt, admonerem, ne mala & periculoſa fraude *Romanos Pontifices Eccleſiæ* loco ſubſtituant, atque ita viris imperitis cum magno ipſorum periculo, & non minori *Eccleſiæ ſanctæ* iniuria & ſcandalo perſuadeant, aut non leuem ſuſpicandi cauſam adminiſtrent, *Romanorum Pontificum* errata *Eccleſiæ ſanctæ*, quæ eſt *ſponſa Chriſti, columna & firmamentum veritatis*, & neq; *maculã* neq; *rugã habens*, attribuenda eſſe. Falſum igitur eſt, quod *Leſſius* mihi imponit, ex mea ſententia ſequi, quòd *Eccleſia* vel per tantillum temporis in doctrina maximi momenti, vtpote fundamentali, in tota pene gubernatione, errauerit: Neque enim *Leſſius* adhuc probauit, vel probare poterit, *Eccleſiam* vnquam docuiſſe, ſe habere poteſtatem à *Chriſto* Domino ſtatuendi, ſeu diſponendi in certis euentis de temporalibus ſuarum ouium, etiam *Regum* & *Principum*: Nam pœnas temporales, quibus vtitur, eſſe ex iure purè poſitiuo & conceſſione *Principum*, non autem *Chriſti* Domini, iuxta ſententiam *quæ pleriſque Doctoribus* placet, ſuperiùs commonſtrauimus.

6 *Secundò ſequitur*, ait *Leſſius* [d] *Eccleſiam non ſolùm tot ſeculis erraſſe, ſed etiam voluntariè,*

---

[b] in cap. *Excommunicatorum* 23.q.5.

[c] in *Diſput. Theolog.* c.10. ſec.2.nu.47.

[d] pag.91.

& ex ambitione erraſſe, peruertendo de induſtria doctrinam veteris Eccleſiæ & Sanctorum Patrum de poteſtate Eccleſiæ, & inuehendo nouam illi contrariam; idque ad inuadendam Principum Iuriſdictionem, & politicam gubernationem ad Principes pertinentem, quod ſanè grauiſſimum eſt flagitium. Neque id ſolùm ad Summos Pontifices, ſed etiam ad Concilia tum generalia, tum prouincialia, & ad omnes Doctores Catholicos, qui tot ſeculis floruerunt, pertinet, qui conſenſerunt, & hanc poteſtatem Sedi Apoſtolicæ aſſeruerunt. Quomodo Catholicus & filius Eccleſiæ cenſeri poteſt, qui tam atrox facinus, tam iniquam machinationem ex ambitione profectam, tantam doctrinæ veteris Eccleſiæ voluntariam corruptelam matri ſuæ impingit? Quid irati hoſtes ampliùs dicere poſſent?

7 Sed *imprimis*, cùm deſtructo fundamento dirui etiam ædificium, quod ſuperſtruitur, neceſſe ſit, & hôc *ſecundum* incommodum *priori* tanquam fundamento nitatur, ſatis conſtat ex mea doctrina non ſequi, *Eccleſiam tot ſeculis voluntariè & ex ambitione erraſſe peruertendo de induſtria doctrinam veteris Eccleſiæ, &c.* cùm ex ea non ſequatur, vti diximus, Eccleſiam per aliquantulum temporis in tali errore verſatam eſſe, aut *Concilium* alquod generale talem poteſtatem *Sedi Apoſtolicæ* aſſeruiſſe. Quòd verò nonulli Summi *Pontifices*, aut *Concilia* prouincialia, & plurimi etiam Doctores Catholici multis ſeculis ſaltem per ignorantiam errauerint, ſequuti opiniones, quæ ſibi magis probabiles videbantur, nullum omnino incommodum eſſe ex ſententia doctiſſimorum Theologorum ſuperiùs oſtendimus.

8 *Deinde* mirum eſt, qua fronte, & conſcientia vir Religioſus, & celebris Theologiæ Profeſſor conſequentiam tam *falſam*, *impiam*, & plurimis Theologis pietate ac doctrina præſtantibus *iniurioſam* confingere potuerit: *Falſam*; quoniam ex eo quod aliqui *Pontifices*, *Concilia*, aut *Doctores* in rebus maximi momenti, vtpote in doctrina de poteſtate *Eccleſiaſtica* aliquot ſeculis errauerint, non ſequitur, eos voluntariè, de induſtria, & ex ambitione, ſed ſolùm ex ignorantia erraſſe, proprias vel aliorum opiniones ſequutos, & quæ ſibi magis probabiles, *vel pro tempore*, vt ait *Eſtius*, *magis ad praxim vtiles Eccleſiæ videbantur*. *Impiam*: Quoniam error voluntarius, de induſtria, & ex ambitione, præſertim in re maximi momenti nunquam ſine culpa eſt, at error per ignorantiam inuoluntariam ſæpiſſimè vitio caret, Sed Summis *Pontificibus*, & *Paſtoribus* Eccleſiæ id vitio grauiſſimo vertere, quod ab omni culpa ante Dei tribunal excuſari poteſt, *impium* eſt: *Iniurioſam* denique, Quoniam eos omnes *Doctores* Catholicos pios, ac eruditos, qui aſſerunt, Summos *Pontifices* vel proprias vel *Canoniſtarum* opiniones, & quæ ſibi magis probabiles & pro tempore ad praxim Eccleſiæ magis vtiles, ſequutos, in aliquibus rebus maximi momenti per aliquot ſecula erraſſe, *impietatis* accuſare, ac ſi dicerent, *Pontifices* illos voluntariè, de induſtria, & ex ambitione tanto tempore in errore verſatos eſſe, cùm tamen nihil tale dicant, à nemine abſque ſumma eorum *iniuria* affirmari poteſt.

9 *Tertiò ſequitur*, ait *Leſsius*, [e] *Eccleſiam non ſolùm*

[e] nu, 51. pag. 92

fidem erraſſe, & peruertiſſe de induſtria veterem
doctrinam, ſed etiam erraſſe in plurimis ſuis decretis,
& præceptis morum, idque pernicioſè & grauiſſimè,
mue ſtudioſè & ſcienter iniqua decreta feciſſe. Con-
didit enim Canones plurimos, quibus ſtatuit de Iuri-
bus temporalibus Laicorum, vt infrà oſtendemus: qui
nones tutò poterant contemni tanquam irriti & iniu-
rioſi, vtpote abſque legitima poteſtate, per vſurpa-
tam iniquè Iuriſdictionem conditi. Condidit etiam
alios canones, quibus declarat ſubditos Principi hære-
tico, vel notoriè excommunicato non teneri obedire,
non obſtante Iuramento fidelitatis aut homagij, quo illi
erant obſtricti. Denique per edicta generalia ſæpiùs
præcepit, & Cenſuris compulit ſubditos non obedire
tali Principi, & recedere ab eius imperio, & illi reſi-
ſtere, eoque expulſo alium acceptare. Quibus om-
nibus quid poteſt in gubernatione eſſe iniquius, nocen-
tius, aut magis peruerſum? Quomodo in decretis &
præceptis morum poteſt errari pernicioſiùs? Nam
per talia integra regna incitantur ad rebelliones & ſe-
ditiones contra ſuos legitimos Principes; incitantur
ad periuria, ad fidei datæ violationem, ad maximas
iniurias ſuo Principi inferendas. Nec ſolùm incitan-
tur, ſed grauiſſimis interdum præceptis, pœnis tem-
poralibus & cenſuris Eccleſiaſticis compelluntur, vt
ab obedientia recedant, idque totum ſub ſpecie pieta-
tis, & religionis.

10 Quartò ſequitur, Eccleſiam multis ſeculis er-
raſſe, & etiamnum per totum orbem errare in praxi
iudiciaria, & vſu tribunalium ferendo ſententias in-
iuſtas, & exequutiones iniquas faciendo aduerſus
Laicos, dum eos pœnis pecuniarijs, quas ipſa irrogare
non poteſt (iuxta Aduerſariorum ſententiam) ple-
ctit:

erit : ac proinde omnia tribunalia Eccleſiaſtica eſſe iniqua & tyrannica, vtpote ex Iuriſdictione vſurpata. Neque dici poteſt conceſſu Principum id facere. Hoc enim ſuprà perſpicuè refutatum eſt.

11 *Quintò ſequitur, poſſe tutò contemni Eccleſiæ decreta, præcepta, ſententias & Cenſuras (quibus de temporalibus Laicorum ſtatuit ac diſponit) tanquam nullas, & intollerabilem errorem continentes. Immo quando de Principum, qui Catholicam religionem oppugnant, vel Eccleſiæ ſunt rebelles, iuribus diſponit, ſubditos non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri non parere ; ſed debere eius mandata & Cenſuras tanquam iniquas contemnere, eò quòd ad rebellionem, ſeditiones, & periuria impellant.*

12 Sed hæc incommoda ex ſupradictis perſpicuè refelluntur, cùm *primo incommodo* quod *Leſſius* attulit, tanquam fundamento innitantur. Neque enim ex mea ſententia ſequitur, *Eccleſiam* vel de induſtria, vel omnino veterem doctrinam peruertiſſe, aut in aliquo decreto & præcepto morum præſertim generali erraſſe, aut iniquum aliquod decretum omnino, multo minus ſtudioſè & ſcienter feciſſe ; Neque *Eccleſiam* condidiſſe Canonem aliquem, quo ſtatuit ſeu diſponit de iuribus temporalibus Laicorum abſque *Principum* temporalium authoritate & conſenſu : aut quo declarat ſubditos *Principi* hæretico vel notoriè excommunicato non teneri in temporalibus obedire ; aut per edicta generalia aliquando præcepiſſe, & Cenſuris compuliſſe ſubditos non obedire tali *Principi*, & recedere ab eius imperio, & illi reſiſtere, eoque expulſo alium acceptare. Hæc quidem aſſerit *Leſſius*, ſed adhuc nullo ſolido argumento

mentoro probauit, vt ex dictis conſtat, aut inferius probat, vt etiam ex dicendis conſtabit.

13 Similiter, neque ex mea ſententia ſequitur, *Eccleſiam* multis ſeculis erraſſe, & etiamnum errare in praxi judiciaria & vſu tribunalium ferendo ſententias iniuſtas, & executiones iniquas faciendo aduerſùs Laicos dum eos pœnis pœcuniarijs plectit, & proinde omnia tribunalia Eccleſiaſtica eſſe iniqua & tyrannica vtpote ex Iuriſdictione vſurpata, & conſequenter poſſe tutò contemni *Eccleſiæ* decreta, præcepta, ſententias & Cenſuras (quibus de temporalibus Laicorum ſtatuit, ac diſponit) tanquam nullas, & intollerabilem errorem continentes: Has enim pœnas temporales Prælatos Eccleſiaſticos authoritate & conſenſu *Principum*, iuxta ſententiam *quæ plerisque Doctoribus placet*, infligere ſuperiùs perſpicuè aduerſus *Leſſium*, cuius omnia argumenta ibidem refutauimus, à nobis commonſtratum eſt. De ipſorum autem *Principum* ſupremorum, tametſi Catholicam religionem oppugnent, vel *Eccleſiæ* ſint rebelles, iuribus temporalibus *Eccleſiam*, ſeu *Concilium* generale vnquam diſpoſuiſſe *Leſſius* nulla ratione ſolida demonſtrauit, aut demonſtrare poterit; Quòd autem Romani *Pontifices* ſequuti proprias, aut aliorum præſertim *Canoniſtarum* opiniones, & quæ ſibi magis probabiles, aut pro tempore ad praxim magis vtiles Eccleſiæ videbantur, de *Regum* ac *Imperatorum* Iuribus, ac Dominijs temporalibus ſæpiùs diſpoſuerint, hoc neque *Eccleſiæ*, ſeu *Concilij* generalis infallibili iudicio obſtat, niſi *Leſſius* pro *Romano Pontifice* *Eccleſiam* accipere, & *Romani Pontificis* decreta,

ſententias, facta, atque errata, *Eccleſiæ* ſanctæ attribuere velit; Neque impedit quo minùs talium *Principum* ſubditi non ſolùm poſſint, ſed etiam teneantur *Principes* ſuos legitimos, & Regna ſua indubiè poſſidentes defendere, & Summorum *Pontificum* mandatis, quod ad temporalia attinet, non parere, quamdiu certum non eſt, poteſtatem Eccleſiaſticam ex inſtitutione diuina pœnas ciuiles, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. infligere poſſe, vt ſuperiùs ex principijs etiam *Leſſii* clariſſimè demonſtrauimus.

Sectio II.

In qua ſextum, ſeptimum, *&* octauum *incommodum decretis* Gregorij *VII.* Vrbani 2. *&* Gregorij *noni nixa, refutantur.*

1 SExto *ſequitur*, ait *Leſſius*, *erraſſe* Gregorium *VII. in decreto quod in Synodo Romana edidit his verbis:* Nos ſanctorum prædeceſſorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut ſacramento obſtricti ſunt, Apoſtolica authoritate à Sacramento abſoluimus: Et ne fidelitatem obſeruent omnibus modis prohibemus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant.

Quadruplex hîc error, vel impoſtura erit. 1 *Quòd ſanctis Pontificibus, qui eum anteceſſerunt, talia ſtatuta aſsignet. Si enim talia fecerunt, non ſancti ſed ſcelerati fuêre vt Aduerſarij volunt.* 2 *Quòd abſoluat ſubditos à iuramento fidelitatis, quo ſuo Principi erant obſtricti, cùm ad hoc poteſtatem non habeat.*

3 *Quòd*

Quòd prohibeat omnibus modis ne ſuo Principi delitatem ſeruent. 4 *Quòd dicat id ſe facere authoritate Apoſtolica, cum faciat authoritate ſibi ex bitione vſurpata.* In primo *erit iniurius in ſumos Pontifices.* In ſecundo *erit ſacrilegus abuſu ſuæ poteſtatis in ſoluendo iuramenti vinculo, & faet Principis ſubditos periuros.* In tertio *coget ad negãda tributa & obedientiam, & impellet ad rellionem.* In quarto *vtetur pernicioſa hypocriſi tribuens authoritati Apoſtolicæ, quod ſola ambitione & rannide vſurpauit. Hæc omnia clariſſimè ex hoc ecreto (quod generale eſt, & ad totam Eccleſiam, mniaque tempora ſe extendit) ſequuntur, ſi vera eſt Aduerſariorum ſententia. Hoc tamen decretum iam plus quam à 500 annis toto orbe fuit receptum tanquam iuſtiſſimum, & à Concilijs Oecumenicis laudatum, & in praxi ſeruatum. Itaque tota Eccleſia vnà cum Pontifice ijſdem erroribus, impoſturis, & ſceleribus fuit inuoluta. Haccine à Catholico ſine expreſſè, ſimplicitè dici poſſunt?*

1 Sed inprimis *Theologi Pariſienſes*, qui non ſolùm Summos *Pontifices*, ſed *Concilia* etiam prouincialia à Summo *Pontifice* approbata in generalibus tam fidei quàm morum decretis errare poſſe, & nonnunquam erraſſe arbitrantur, cito ſe de iſto incommodo & duobus ſequentibus expedirent, atque affirmare non dubitarent, non eſſe magnum aliquod incommodum, quòd vel *Gregorius* 7. in can. *Nos ſanctorum*, vel *Vrbanus* 2. in can. *Iuratos milites*, vel *Gregorius* 9. in can. *Abſolutos* errauerint, ſi decreta illa aut de abſolutione ſubditorum à fidelitate *Principibus* ſupremis debita intelligantur, aut facta eſſe authoritate

illa

Almani de authorit. Eccleſ. cap. 8.

illa *Eccleſiaſtica* ſeu *Apoſtolica*, quæ Apoſtolorum Succeſſoribus non ex *Principum* conceſſione conſenſu, ſed ex *Chriſti* inſtitutione competit, contendere quis velit; Quare ad illa Summorum *Pontificum* decreta, quæ obijci ſolent ad probandum, maiorem eſſe Summi *Pontificis*, quàm *Concilij* generalis authoritatem, liberè reſpondet *Iacobus Almainus*, quòd *omnes authoritates quæ regulariter adducuntur, ſunt ipſorum Summorum Pontificum, qui (vt in pluribus fimbrias ſuas nimis extendentes) ſibi attribuerunt, quod eſt Eccleſiæ proprium*, neque etiam addere dubitaſſet cum *Alberico Roxiato*, ſi de his aut ſimilibus decretis in ſenſu prædicto intellectis, quæſtio fuiſſet, quòd *Paſtores Eccleſiæ mittentes falcem in meſſem alienam* ſibi attribuerunt, quod eſt poteſtati politicæ proprium.

Alph. de *Caſtro* lib. 1. de hæreſ. c. 4.

3 Atque idem etiam *Almainus* nonnullos *Pontifices* in ſuis decretis, quæ in corpore etiam *Iuris Canonici* extant, contraria determinaſſe, & conſequenter vnum eorum erraſſe, & aliquos contra Euangelium ſtatuiſſe, quod quàm verum ſit non diſputo, ſed ſolùm quid *Almainus* ſentiat, iam refero. Illud tamen certum eſt, erraſſe *Celeſtinum* 3. & falſum, iniquum, atque ad adulteria perpetranda viam parans decretum condidiſſe, quodque olim in Corpore Iuris Canonici regiſtratum erat, *in quo publicè docuit*, & iuxta *Alphonſum de Caſtro* etiam vt *Papa declarauit, per hæreſim ita matrimonium ſolui, vt illi, cuius prior coniunx in hæreſim lapſus eſt, aliud coniugium inire liceat*, quam tamen doctrinam Concilium *Tridentinum* iam condemnauit: Sicut etiam

m falſum & animarum ſaluti pernicioſum erat decretum *Nicolai* primi in corpore Iuris Canonici nunc extans, in quo ſtatuit, *Baptiſmum in nomine tantùm Chriſti collatum abſque expreſſione trium perſonarum eſſe verum, & validum nec denuo iterandum.*

Concil. Trident. ſeſſ. 24. can. 5.
De Conſecr. diſt. 4. can. *A quodam Iudæo.*

4 Quin etiam *Doctores Pariſienſes* à Concilio *Lateranenſi* vltimo, in quo & *Pragmatica ſanctio* abrogata, & quæſtio de ſuperioritate *Papæ* ſupra vniuerſa *Concilia expreſſimè*, vt ait Card. *Bellarminus, erat definita*, eo quòd non generale & verè Oecumenicum eſſe contendebant, ad proximè futurum *Concilium* generale, vt infra videbimus, appellarunt, tametſi *Leo* Papa illud eſſe *Concilium generale* ſæpius *Concilio* id approbante affirmârit. Vndè *Leſſius* pari ratione dicere poſſet, Doctores illos, plures errores (ne dicam impoſturas, quæ errores, voluntariè, ſtudioſè, ſcienter, & de induſtria commiſſos ſignificant) illi *Pontifici* vnà cum toto *Concilio* attribuere non eſſe veritos. Et propterea rigidus iſte Cenſor non dubitabit ſatis temere, vti ſolet, iſtos etiam Theologos doctrina & pietate præſtantes, vel hæreſeôs vel ſaltem erroris (nam temeritas apud ipſum cenſura & crimen nimis leue eſt) condemnare: atque audacter reſpondere, vt alibi reſpondet, *hanc ſententiam de ſuperioritate Concilij ſupra Papam male audire apud Catholicos, ita vt paſſim cenſeatur erronea & hæreſi proxima, atque ab Eccleſia ſolummodo toleretur.*

Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 13.

5 Sed hanc eius Reſponſionem alibi [f] etiam copioſè refutauimus, Etenim hæc ſententia tum male apud quoſdam Catholicos, nimirum *Ro-*

manos

[f] In Præfat. citata nu. 27. & ſeq.

manos, tum *bene* apud *Pariſienſes* alioſque Cath licos audit; neque *paſsim*, id eſt, *vbique* & apu omnes erronea, aut hæreſi proxima, ſed apu plurimos veriſſima, & fidei Catholicæ proxim cenſetur: Vnde *Nauarrus* noſtri temporis ſcriptor, idemque *Theologus inſignis*, & *Iuris Canon ſcientiſsimus*, [g] expreſſe aſſerit, *maximam eſſe diſcordiam Romanorum & Pariſienſium de hac quæſtione, ita vt Romæ, vt ait Ioannes Maior, nemini permittatur tenere Pariſienſium & Panormitani ſententiam, nec rurſus Academia illa Pariſienſis patiatur vt contraria opinio aſſeratur in ea*: & doctiſſimus *Victoria* diſerte etiam aſſerit, *vtramque opinionem, vt ipſe putat, eſſe probabilem*. Neque ſententia *Pariſienſium* ab *Eccleſia* ſolummodò toleratur, ſicut meretricium, fœneratio, & quædam alia peccata publica nonnunquam ad maiora fugienda ſcandala in Regnis Chriſtianorum tolerantur, & permittuntur, id eſt, pœni legum ordinarijs ſæpenumero non plectuntur, qui tamen ea exercent, nunquam ad Sacramentorum participationem admittuntur, aut abſolutionis ſacramentalis beneficio, quamdiu in ijs perſiſtunt, frui poſſunt. At *Doctores Pariſienſes*, & qui eorum ſententiam ſequuntur, ad Sacrament Eccleſiaſtica admitti totius *Eccleſiæ Gallican* praxis (quam vt temerariam aut ſcandaloſam abſque graui temeritatis & ſcandali noxa nem condemnare poteſt) nimis manifeſtum perhibe teſtimonium. Ex quo neceſſariò conſequitur opinionem *Pariſienſium* non ſolùm ab *Eccleſi* tanquam hæreticam, erroneam, aut temerariam tolerari, & permitti, id eſt, non puniri, verùm eti

am

Nauar. in cap. Nouit. de Iudicijs, notab. 3. nu. 84.

g *Poſſeuinus* in verbo *Martinus Azpilcueta*.

Victor relect. 4. de poteſt. *Papæ* & Concil. propoſ. 3.

probabilem, & quæ abſque vllo hæreſeôs, erroris, temeritatis, alteriuſue peccati læthalis periculo defendi poſſit, ab *Eccleſia* approbari. Sed tametſi hæc *Pariſienſium* ſententia admodum probabilis ſit, pro hoc tamen *ſexto incommodo*, alijſque ſimili euitando ad prædictam *Almaini* reſponſionem confugere in præſentiarum opus non eſt.

6 *Reſpondemus* igitur *ſecundò*, iſtud *Gregorij* 7. decretum, iuxta ſententiam, *quæ plerisque Doctoribus placet*, factum eſſe non authoritate illa *Eccleſiaſtica* & *Apoſtolica*, quæ S. *Petro* cæteriſue Apoſtolis eorumque Succeſſoribus iure diuinò, & ex *Chriſti* inſtitutione competit, ſed illa authoritate *Eccleſiaſtica* & *Apoſtolica*, quam *Eccleſiæ* Prælati, & *Apoſtolorum* Succeſſores iure poſitiuo ac humano ex conceſſione, priuilegijs atque conſenſu *Principum* acceperunt: & proinde decretum illud *Principes* ſupremos comprehendere non poſſe, ſed vel ad B^{i}. *Petri* patrimonium, *in quo Summus* Pontifex *etiam ſummi Principis exequitur poteſtatem*, reſtringendum eſſe; vel ſi ad alias etiam Prouincias extendatur, non niſi ex beneplacito & conſenſu *Principum* vim obligandi habere poſſe. Quòd autem hæc *Reſponſio* non ex meo cerebro & abſque fundamento conficta, ſed probabilis admodum ſit, & plurimorum Doctorum ſententiæ conſona, ex eo patet, quòd *plerique Doctores*, vt ait *Almainus*, aſſerant, *poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere, immo nec incarcerare poſſe, ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extendi, vtpote Ex-*

communicationem, reliquasque earum partes, quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo, ſeu vt loquitur *Gerſon*, *ex conceſſione Principum eſſe*. Hæc autem poteſtas, & Iuriſdictio temporalis, quam Ius poſitiuum ex gratuito Principum Chriſtianorum conſenſu viris Eccleſiaſticis conceſſit, propter relationem ſeu applicationem ad perſonas ſacras, Eccleſiaſticas, atque Apoſtolorum ſucceſſores, rectè dici poteſt, *ſacra*, *Eccleſiaſtica*, *Apoſtolica*, immo & *ſpiritualis*, iuxta doctrinam *Gerſonij* ſuperiùs[h] relatam: Sicut etiam *Romanæ Eccleſiæ* territoria B. *Petri* patrimonium, eo quod dono Imperatorum ad B. Petri ſucceſſores pertinent, appellare *Innocentius* Papa 3.[i] nullum eſſe incommodum exiſtimauit.

7 *Deinde*, quod decretum iſtud *Gregorij* 7. non de abſolutione ſubditorum à fidelitate ſupremis *Principibus* debita intelligendum ſit, non leue etiam argumentum ex primis verbis, *Nos ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes &c.* quæ *Leſſius* etiam vrget, deduci poteſt, propterea quòd nullus ex *Gregorij* 7. prædeceſſoribus vllum *Imperatorem* aut *Principem* ſupremum depoſuerit, ſeu quod in idem recidit, eorum ſubditos à iuramento fidelitatis verè abſoluerit (tametſi tempore *Pipini Zacharias* Papa ſubditos Regis *Childerici* à fidelitate abſolutos eſſe declarauerit, vt ſatis conſtat ex Hiſtoricis, præſertim *Othone* Friſingenſi, *Godefredo* Viterbienſi, *Trithemio*, & tandem *Onuphrio*, qui rem totam explicatiùs tradit quàm cæteri his verbis: *Nam etſi antè Romani Pontifices, tanquam Religionis Chriſtianæ capita, Chriſtique Vicarij, & Petri ſucceſſores colerentur,*

non

[h] Part. 1. ſec. 6. nu. 26.

[i] In cap. *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi.

Otho lib. 6. c. 35. *Godefrid.* parte 17. in *Henrico* 4. *Trithem.* in Chron. Hirſaug. ad annum 1106. *Onuphr.* lib. 4. de *varia creat.* Rom. Pont.

[illegible] eorum authoritas vltrò protendebatur,
[illegible] in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis.
Cæterùm Imperatoribus ſubjacent; ad eorum nutum
[illegible] fiebant, ab eis creabantur; de iis iudicare, vel
[illegible] decernere non audebat Papa Romanus.
Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius
VII. *armis Nortmannorum fretus, opibus Comi-*
tiſſæ Mathildis *mulieris per Italiam potentiſſimæ*
confiſus, diſcordiaque Germanorum Principum
bello ciuili laborantium inflammatus, præter maio-
rum morem, contempta Imperatoris authoritate, &
poteſtate, cùm ſummum Pontificatum obtinuiſſet,
Cæſarem ipſum, à quo ſi non electus, ſaltem confir-
matus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam
Regno, Imperioque priuare auſus eſt. Res ante ea
ſæcula inaudita. Nam fabulas, quæ de Arcadio,
Anaſtaſio, & Leone Iconomacho *circumferun-*
tur, nihil moror.

1 Cùm igitur ante tempora *Gregorij* VII. *in-*
auditum eſſet, *Romanum* Pontificem *Imperatores,*
aut alios *Principes* ſupremos depoſuiſſe, aut, quod
ex eo conſequitur, eorum ſubditos à fidelitate
abſoluiſſe, decretum illud, niſi verba illa, *Nos*
ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes,
&c. falſa eſſe aſſerere velimus, de abſolutione à
fidelitate *Imperatoribus* debita intelligi non po-
teſt. Nullus igitur in hoc canone condendo,
eo modo quo diximus intellecto, *Gregorij* error,
nulla impoſtura, nulla pernicioſa hypocryſis,
ambitio, aut tyrannis. Et quantumuis in eo er-
raſſet, exiſtimans talem authoritatem *Principes*
ſupremos deponendi ſibi competere, ſicut dici-
mus eum in ſententia depoſitionis contra *Henri-*

cum Imperatorem lata re quidem vera erraſſe; dicere tamen hinc neceſſariò conſequi, quòd non per ignorantiam, ſed de induſtria, voluntariè, ſcienter, ex pernicioſa hypocryſi, ambitione & tyrannide errauerit, vti *Leſſius* ad infamiæ notam mihi inurendam concludit, profectò neque vulgarem Doctoris Theologi Theologiæ ſcientiam, neque Chriſtianam hominis Catholici erga proximum charitatem, neque debitam Sacerdotis Religioſi ergo ſupremum Patrem ac Paſtorem pietatem aut obſeruantiam redolet. Vide plura de hoc Canone, *Nos Sanctorum*, in detectione calumniarum D. *Schulckenij*, calumnia 7. num. 16. & ſeq.

k nu. 55. pag. 97.

9 *Septimò ſequitur*, ait *Leſſius*, *erraſſe* Vrbanum *ſecundum*, *& iniquum eſſe eius decretum, quo ſic ſtatuit*: Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipſi quamdiu excommunicatus eſt, ſeruiant, prohibeto. Qui ſi ſacramenta prætenderint, moneantur oportere magis Deo ſeruire quàm hominibus. Fidelitatem enim quam Chriſtiano *Principi* iurarunt, Deo eiuſque ſanctis aduerſanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur authoritate perſoluere. *Eadem enim incommoda continebit, quæ decretum* Gregorij, *nimirum pernicioſam doctrinam, incitationem ad periurium, inobedientiam, & rebellionem contra legitimum Superiorem, & totam Eccleſiam quæ hoc decretum recepit, iiſdem ſceleribus inuoluet*.

10 Sed *imprimis* hoc incommodum eodem modo quo ſuperius repellitur. *Deinde*, cùm non ſatis conſtet quiſnam ſit iſte *Hugo*, vel cuius prouinciæ *Comes* fuerit, vel quod bellum geſſe

Reſpondere poteſt, decretum illud vel de militibus voluntarijs, qui ſua ſponte & non ſubiectionis neceſſitate *Comiti* illi in bello forſan dubio ſeruire iurauerant, vel potiùs de bello manifeſtè iniuſto, & ob quod *Comes* ille excommunicatus erat, in quo neque licitum eſt ſubditis, ſi manifeſtè conſtat bellum eſſe iniuſtum, *Comiti* illi ſeruire, quantumuis fidelitatem iuramento firmauerant, commodè exponi poſſe. Et ratio quam *Pontifex* ſubiungit, hanc reſponſionem confirmat. *Fidelitatem* enim, ait Pontifex, *quam Chriſtiano Principi iurarunt, Deo eiuſque ſanctis aduerſanti, & eorum præcepta calcanti nulla cohibentur authoritate perſoluere*: Quæ ratio falſa & erronea eſt, ſi ita intelligatur, vt quandocunque *Princeps* Deo, eiuſque ſanctis aduerſatur, eorumque præcepta calcat, ſubditi ab omnimoda fidelitate ita cenſeantur abſoluti, vt in rebus licitis illi obedire non debeant: Sed vera & optima eſt hæc ratio, ſi ſenſus illius ſit, non teneri ſubditos *Principi* parere in rebus illicitis, & quæ Deo, eiuſque ſanctis aduerſantur, in quo etiam ſenſu verba illa *Apoſtoli*, quæ *Pontifex* ad illud quod dixit confirmandum affert, *Oportet Deo magis obedire* ſeu ſeruire, *quàm hominibus*, intelligenda eſſe, omnes norunt.

11 Aliud etiam eiuſdem Pontificis *Vrbani* de eorum qui excommunicati ſunt interfectoribus decretum, quod etiam Card. *Baronius* refert, nec tamen illius ſenſum exponit, non niſi benigna interpretatione à pernicioſo errore excuſari poteſt. *Excommunicatorum*, inquit, [l] *interfectoribus (prout in ordine Eccleſiæ Romanæ didiciſtis) ſe-*

Baron. tom. 11. *Anal.* ad annum 1089. nu. 11.

[l] 23. q. 5. cap. Excommuni-

cundum intentionem ipſorum modum congruæ ſatisfactionis iniunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quos aduerſus excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes aliquos eorum trucidaſſe contigerit, &c. Quæ verba propriè accepta ſignificant, eos non eſſe homicidas, ſeu homicidij reos, qui zelo Catholicę Eccleſię ardentes quemlibet etiam *Principem* ſiue à Iure ſiue à Iudice excommunicatum interficerent: quæ doctrina, quàm falſa & pernicioſa ſit, & apertam viris zelo Catholicæ Eccleſię ardentibus ad homicidia atque etiam Regicidia perpetranda viam ſternens, quis non videt? quantumuis ſi de illis tantùm excommunicatis intelligatur, qui & authoritate ſpirituali à *communione Eccleſiaſtica*, & authoritate ciuili à *communione politica* ita ſeparantur & proſcripti ſunt, vt cuiuis illos occidendi poteſtas à *Principe* eorum politico concedatur, canon ille ab omni errore re quidem vera excuſari poteſt. Sed donec hæc, vel ſimilis interpretatio benigna adhibeatur, ob ingens periculum & ſcandalum, quod inde naſci veriſimile eſt apud viros imperitos, & præcipites, melius & tutius eſſet meo quidem iudicio, vt alias etiam annotaui, [m] ſi è Decretorum volumine penitus expungeretur.

12 *Octauo ſequitur*, ait *Leſſius*; [n] *iniquum & pernicioſum eſſe* Gregorij 9. *decretum*, *quo ſic ſtatuit*: Abſolutos ſe nouerint à debito fidelitatis, Dominij (*alij legunt hominij, ſeu homagij*) & totius obſequij, quicunque lapſis manifeſtè in hæreſim aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebantur obſtricti. *Vbi notandum verbum*, Nouerint, *quo apertè ſignificat non eſſe dubium, aut*

ſolum

[m] In detectione calumniarum D. *Schulkenij* §. octaua calũnia, n. 16.

[n] nu. 56. pag. 97. c. finali extra de hæreticis.

ſolum probabile, quòd ſint abſoluti, ſed id eſſe certum & indubitatum. Deinde *illud* quacunque firmitate. *Vbi etiam vinculum iuramenti, & fidelitatis, quam Vaſallus ratione feudi debet ſuo Domino, vult diſſolui. Neque ſolus* Gregorius *perniciosè hic errauerit, ſed etiam tota Eccleſia, quæ pluſquam quatuor ſeculis hoc decretum recepit, laudauit, & in praxi ſeruauit. Immo hoc decretum eſt antiquius, vtpote Concilij Oecumenici* Lateranenſis *ſub* Alexandro 3. *vt ſtatim oſtendam.*

13 Sed *imprimis* ex mea ſententia non ſequitur, iniquum & pernicioſum eſſe iſtud decretum *Gregorij* noni. *Reſpondéri* enim optimè poteſt iuxta ſententiam, quæ *pleriſque Doctoribus placet,* iſtud etiam decretum, ſicut & duo præcedentia, de abſolutione ſubditorum à fidelitate non *ſupremis Principibus* debita, ſed inferioribus tantùm Dominis ex *ſupremorum* conſenſu intelligendum eſſe, cùm, vt *ſæpius* diximus, poteſtas Eccleſiaſtica, iuxta ſententiam *quæ plerisque Doctoribus placet,* nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina, ſed ſolùm ex iure humano, & conceſſione *Principum* infligere poſſit. Et propterea canon iſte *Gregorij*, cùm non iuris conſtitutiuus, ſed tantùm declaratiuus ſit, vt ex ipſiſmet verbis perſpicuè conſtat, vel declarat priorem aliquam legem ciuilem, vtputa conſtitutionem *Frederici*, aut aliam ſimilem contra hæreticos latam, vel legem aliquam canonicam authoritate ciuili, & ex conſenſu *Principum* ſancitam, vtputa canonem *Ad abolendam* extra de *hæreticis*, qui ideo valuit ſeu obligandi vim habuit,

quia Imperator conſenſit, vt Canoniſtæ, quos *Innocentius*, *Hoſtienſis*, & *Ioannes Andreas* retulerunt, reſpondent; vel *denique* eos tantùm Dominos temporales, qui *Romano Pontifici* temporaliter ſubiecti ſunt, comprehendit. Et tametſi quis aſſereret, canonem iſtum non authoritate temporali, ſed mere ſpirituali conditum eſſe, cùm iuris tantùm declaratiuus, non conſtitutiuus ſit, illud tamen verbum [nouerint] *Abſolutos ſe nouerint, &c.* (quod *Leſsius* vrget ad probandum eo apertè ſignificari non eſſe dubium, aut ſolùm probabile, quòd ſint abſoluti, ſed id eſſe certum & indubitatum) non maiorem profectò certitudinem ex vi vocabuli denotare poteſt, quam verbum [*ſcire*] quo *Bonifacius* octauus in libris ſuis Apoſtolicis ad *Philippum Pulchrum* Regem Francorum miſſis vſus eſt, *Scire te volumus, quòd in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes; aliud credentes hæreticos reputamus.* o

o Nicol Vignerius ad annum 1300.

14 Illud denique quod *Leſsius* ait, *totam Eccleſiam hoc decretum ſicut & duo præcedentia multis iam ſeculis recepiſſe, laudaſſe, & in praxi ſeruaſſe*, vt inde Lectori perſuadeat, ex mea ſententia ſequi, non tantùm Summos *Pontifices*, ſed totam etiam *Eccleſiam* per multa iam ſecula erraſſe, ſi intelligat totam *Eccleſiam* ea recepiſſe, laudaſſe, & in praxi ſeruaſſe, in eo ſenſu, quo ab ipſo cæteriſque *Ieſuitis* exponuntur, falſiſſimum eſt, vt ex dictis conſtat: ſi autem intelligat in ſenſu diuerſis Doctorum opinionibus accommodato, non multùm repugnabo, ad eum modum quo tota *Eccleſia* recepit, laudauit, & in praxi ſeruauit Canonem, *Ad abolendam*, de hæreticis,

ncis, *in quo Comites, Barones, Rectores, & Conſu-* *ſimitatum* &c. *honore, quem obtinent, ſpolientur*; qui *Canon* iuxta diuerſas Doctorum ſententias diuerſimodè explicatur, & ſecundùm eos, quorum meminit *Innocentius, Hoſtienſis, & Ioannes Andreas,* ideo valuit, ſeu obligandi vim habuit, quia *Imperator* conſenſit. Similiter tota *Eccleſia* recepit Scripturas Canonicas, & verba illa, *Quodcunque ſolueris* &c. *Paſce oues meas. Secularia iudicia ſi habueritis* &c. ſed non in eo ſenſu quo Aduerſarij ea interpretantur.

15 Quamuis igitur *Doctores* illi qui exiſtimant, penes Summum *Pontificem* eſſe poteſtatem iure diuino pœnas temporales infligendi, & de omnibus temporalibus etiam *Imperatorum* & *Regum* diſponendi, illa decreta fortaſſe receperint tanquam ex authoritate merè *Eccleſiaſtica* vim obligandi habentia, illi tamen *plerique Doctores*, quorum meminit *Almainus*, & alij inſuper alibi [p] à me citati, qui arbitrantur, non poſſe poteſtatem Eccleſiaſticam vllam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione diuina, ſed tantùm ex iure humano, & *Principum* conceſſione vel conſenſu infligere, ea receperunt, non tanquam authoritate merè *Eccleſiaſtica* ſeu ſpirituali ſancita, ſed vel prout à *Romano Pontifice*, quâ *Princeps* temporalis eſt, condita ſunt, vel prout ex authoritate & conſenſu *Principum* vim obligandi habent: Et propterea hæc totius *Eccleſiæ* receptio, quam *Leſſius* vrget, nihil prorſus meæ ſententiæ aut doctrinæ incommodat. Quomodo autem, & in quo gradu reliqua omnia & ſingula decreta, quę in corpore Iuris

Canonici

[p] In *Apolog.* à nu 4 in *Diſp. Theol.* c. 3. ſec. 3. & in *Confut.* Anglic. *Thom. Fitzh.* part. 1. per totum.

Canonici continentur, ab *Eccleſia* recipiantur, laudentur, & in praxi ſeruentur, & quomodo *Canones ſacri* à non *ſacris* diſtingui debeant, alibi q magis particulatim declarauimus: Non enim hoc ipſo quod *Canon* aliquis in Iure Canonico vel decretalibus *Pontificum* epiſtolis continetur, fidem facit infallibilem, ſed vt, quantam authoritatem *Canon* ille habeat, diſtinctè cognoſcamus, plures regulas à me eo loco aſſignatas obſeruare oportet.

q In *detectione* calumniarum *Schulckenij* calumnia.8.

SECTIO III.

In qua nonum & decimum *incommodum ex Concilijs* Lateranenſi 3. *ſub* Alexandro 3. & Lateranenſi *quarto ſub* Innocentio 3. *celebratis deſumpta refutantur.*

1 IAm *Leſsius* ſeptem Concilia generalia aduerſùs meam ſententiam inani verborum iactatione adducit, cùm eadem generali ſolutione, qua priora incommoda ex Summorum *Pontificum* decretis ſumpta deuitauimus, facillimè diſſoluantur. Non eſt autem mihi inſtitutum nunc diſcutere, quanâ certitudine quilibet Catholicus credere teneatur ea omnia *Concilia*, quæ à Card. *Bellarmino*, *Binnio*, alijſque quibuſdam Authoribus vt generalia recenſentur, eſſe verè *Oecumenica*, & ſingula eorum decreta ex communi Patrum qui illis adſunt, conſenſu approbata eſſe: Et vtrum ſola Prælatorum omnium conuocatio, ſeu *Concilij Oecumenici* indictio, tametſi non omnes Prælati

ini ſed pauci admodum comparatione omnium ad *Concilium* celebrandum veniant, ſufficiat, vt *Concilium* aliquod ſit verè & indubiè *Oecumenicum*, vel præterea maioris ſaltem partis Prælatorum congregatio, atque præſentia etiam requiratur: Et an aliqua, vel qualis confirmatio Prælatorum abſentium & præſertim Summi *Pontificis* neceſſaria ſit, poſtquam *Concilium* legitima authoritate conuocatum, congregatum atque præſentibus, & conſentientibus omnium Pręlatorum qui abſunt, etiam Summi *Pontificis* Procuratoribus, atque Legatis celebratum ſeu plenè abſolutum fuerit: Neque enim aliquod ex his ſeptem *Concilijs* in controuerſiam vocare mihi animus eſt, ſed ea omnia vti verè *Oecumenica*, præter *Lateranenſe* vltimum, de quo infrà, [a] libenter admittam: Primo igitur loco Concilium *Lateranenſe* tertium *Leſsius* ita vrget.

2 *Sequitur nonò, Iniquum eſſe decretum Concilij Oecumenici* Lateranenſis 280. *Epiſcoporum ſub* Alexandro 3. *cap. 27. Vbi Principes & alios potentes, qui certas nationes latrocinijs deditas quas ibi exprimit, conducunt, aut tenent, aut fouent per regiones, iubet denunciari excommunicatos; Addens*, Relaxatos autem ſe nouerint à debito fidelitatis, & hominij, & totius obſequij, donec in tanta impietate permanſerint, quicunque illis aliquo pacto tenentur annexi. *Deinde propoſitis indulgentijs excitat omnes fideles vt arma contra illas nationes, & eorum patronos corripiant. Hæc omnia iniqua erunt, aduerſariorum ſententia, ſi à Principe foueantur. Nam tunc erit rebellio in Principem, & violatio Iuramenti.*

3 Sed hoc decretum cùm præcedenti ſimile ſit, eadem prorſus ſolutione diſſoluitur, nimirum, vt non authoritate illa *Eccleſiaſtica*, quæ Prælatis Eccleſiaſticis iure diuino competit, ſed quæ iure humano & ex priuilegijs, & conſenſu *Principum* illis conceditur, vim obligandi habeat, neque *Principes ſupremos*, ſed inferiores tantùm Dominos ex *ſupremorum* conſenſu pænâ illa temporali plectat, & à fidelitate abſolutos eſſe declaret. Non etenim decretum iſtud pænas temporales infligens de *Principibus* loquitur, eoſue directè vel indirectè intelligit, neque nouam aliquam licentiam dat fidelibus, quam antea non habebant, populum Chriſtianum ab iſtis prædatoribus & Aſſaſſinis defendendi, ſed ſolùm denunciat, quid *Principes*, alijque fideles de iure poſſint, aut facere debeant: atque propoſitis indulgentijs excitat omnes fideles, ſeu potiùs, vt loquitur Concilium, *illis in remiſſionem peccatorum iniungit*, quod alias facere ſi commodè poſſent, tenebantur, *vt tantis cladibus ſe viriliter opponant, & contra eos armis populum* Chriſtianum *tueantur*. Neque Concilium docet & declarat, liberum eſſe quibuſuis fidelibus, ſed *Principibus* tantùm eiuſmodi homines nefarios ſubijcere ſeruituti, *& liberum ſit Principibus*, ait Concilium, *huiuſmodi homines ſubijcere ſeruituti*: Neque *Concilium* in eo decreto bona eorum confiſcat, quando ait, *Confiſcenturque eorum bona*, ſed docet & declarat, quòd *Principes* Seculares, penes quos tantùm bona temporalia confiſcandi poteſtas eſt, id facere debeant.

4 *Decimò ſequitur*, ait *Leſſius*, *Iniqua eſſe multa decreta Concilij Oecumenici* Lateranenſis *ſub*

Innocentio 3. Primò; *cùm ſtatuit*, vt poteſtates ſeculares (*etiam Principes*) per Eccleſiaſticas cenſuras (*ſi opus ſit*) compellantur ad præſtandum publicè iuramentum, quòd de terris ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt. *Si enim Eccleſia non poteſt ſtatuere de temporalibus Laicorum, vt volunt Aduerſarij, multo minus de expulſione tot ſubditorum* Principis*, à quibus ipſe* Princeps *& totum regnum multa fortè commoda temporalia percipit. Quo iure ergo cogit* Principes, *vt Iuramento ſe obſtringant ad talia commoda abdicanda*. Secundò *cùm ſtatuit*, vt ſi Poteſtas ſecularis monita ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, per Metropolitanum, & cęteros comprouinciales Epiſcopos Excommunicationis vinculo innodetur.

5 Tertiò *cùm decreuit*, vt ſi Poteſtas Secularis infra annum ſatisfacere contempſerit, ſignificetur id ſummo *Pontifici*, vt ex tunc ipſe vaſſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis ſine vlla contradictione poſſideant. *Hîc tria manifeſtè indicat & ſupponit Concilium tanquam certa & indubitata, quæ ad dogma poteſtatis Eccleſiaſticæ pertinent.* 1. *Summum* Pontificem *habere poteſtatem in tali caſu abſoluendi ſubditos Principis à vinculo iuramenti & fidelitatis, quo illi erant obſtricti.* 2. *Poſſe ipſum deponere Principem, & iure regnandi priuare, & hoc eius ius in alium conferre.* 3. *Excommunicationem publicam habere eam vim, vt ſubditos liberet ab obligatione parendi, & ſeruandi iuramenti,*

quod Principi præſtiterant. Supponit enim per Excommunicationem à Synodo Prouinciali in ipſum latam, ſubditos iam eſſe abſolutos, iuxta decretum Gregorij 7. Nos Sanctorum, *in Concilio Romano probatum, & Vrbani* 2. Iuratos milites, *& Concilij* Lateranenſis *cap.* 27. §. Relaxatos, *& Gregorij* 9. Abſolutos ſe nouerint, *quæ ſuprà adduximus. Hæc enim decreta, & alia multa Excommunicationi hunc effectum tribuunt; ac proinde Concilium dum hoc loco idem ſupponit, tacitè omnia illa decreta approbat, & confirmat. Quam ob cauſam non dicit, vt Pontifex ſummus ſubditos illius Principis* abſoluat, *ſed vt* abſolutos denunciet, *nimirum vt id quod paſſim notum non erat, omnibus tanta authoritate innoteſcat. Quod ſi ſummus Pontifex hanc poteſtatem non habet, vt volunt aduerſarij, errat Concilium in tribus iſtis quoad doctrinam, idque grauiſſimè & pernicioſè.*

6 *Neque dici poteſt, Concilium hanc doctrinam non ſupponere vt certam, ſed ſolùm vt ſibi viſam probabilem. Hoc enim ſuprà clare refutatum eſt. Et ſanè ſi ita res haberet, Concilij decretum eſſet nullius momenti. Nam Principes & ſubditi probabili quoque ſententia nixi, cum materia ſit pœnalis, poſſent non parere, & contemnere hoc decretum, & ſententiam Iudicialem contra Principem latam. Vnde ſi Concilium putaſſet hanc doctrinam non eſſe certam, luſiſſet operam, & ſe contemnendum orbi expoſuiſſet. Neque ſolùm errat in doctrina, ſed etiam in regimine Eccleſiæ, & præceptis morum. Statuit enim vt Synodus prouincialis moneat ſummum Pontificem, vt in Principem ea decernat, quibus grauiſſima iniuria continentur; ſubditos verò Principis impel-*

impellit, vt ei non pareant, vt fidelitatem ei non præſtent, vt iuramentum non ſeruent. Denique alios Principes excitat ad alienum ius inuadendum. Quid poteſt tali decreto eſſe pernicioſius?

7 Quartò, *cum plurimas pœnas temporales infligit credentibus, receptatoribus, defenſoribus, & fautoribus hæreticorum, ſi poſtquam excommunicatione notati fuerint, ſatisfacere intra annum contempſerint. 1. Pœna eſt infamia iuris. 2. Incapacitas ad publica Officia & concilia. 3. Inhabilitas ad eligendum actiuè ad officia publica. 4. Inhabilitas ad teſtificandum in iudicio. 5. Eſſe inteſtabilem actiuè & paſſiuè. 6. Vt nemo teneatur ei in aliquo negotio reſpondere: ipſe tamen cogatur reſpondere alijs, nempe in iudicio. 7. Vt ſi Iudex ſit, ſententia eius nullam obtineat firmitatem. 8. Si Aduocatus, eius patrocinium non admittatur. 9. Si tabellio, inſtrumenta per ipſum confecta nullius ſint momenti. Denique addit Concilium*, Et in ſimilibus idem præcipimus obſeruari. *Hæc omnia iniqua erant, & irrita, vtpote poteſtate iniquè vſurpatâ conſtituta; ac proinde tutò ab omnibus poterant contemni. Dimitto alia multa, quæ idem Concilium in temporalibus decreuit de* Iudęis *cap.* 68. *&* 68. *Et de expeditione* Hieroſolymitana *in decreto expeditionis.*

8 Sed ad hæc omnia *Lateranenſis* Concilij decreta ſuperiùs in prima parte huius *Diſcuſſionis* reſponſum eſt, atque ſufficienter, non obſtantibus ijs quæ *Leſsius* in contrarium objicit, monſtratum, per *poteſtates Seculares*, Dominos temporales, principales, & principales Dominos non habentes, non *Imperatores*, & *Reges* qui Domini *ſupremi* & *principaliſſimi* ſunt, (ſed Poteſtates,

Conſules, & Rectores ciuitatum, aliorumque locorum, item Barones, Comites, alioſque Dominos temporales quibuſcunque officijs fungantur, aut nominibus nuncupentur, qui tametſi Domini principales nonnunquam ſint, *Imperatoribus* tamen ac *Regibus*, ſeu Dominis *ſupremis & principaliſsimis* ſubiecti ſunt) in illis *Concilij* decretis deſignari, & pœnas omnes temporales quæ ibi commemorantur, inferioribus tantum Dominis, Magiſtratibus, ac perſonis authoritate & conſenſu *Principum* ſupremorum, ſeu Dominorum *principaliſsimorum* infligendas eſſe *Concilium* decreuiſſe. Et propterea ne eadem denuo fruſtra repetendo Lectori nimis moleſtus ſim, ad primam huius *Diſcuſsionis* partem, in qua hæc fuſius, & particulatim tractantur, ipſum remitto.

9 Falſò igitur ait *Leſsius*, tria hîc manifeſtè indicare & ſupponere *Concilium* tanquam certa & indubitata, quæ ad dogma poteſtatis Eccleſiaſticæ pertinent. 1. *Summum Pontificem habere poteſtatem in tali caſu abſoluendi ſubditos Principis à vinculo Iuramenti & fidelitatis.* 2. *Poſſe ipſum deponere* Principem, *& iure regnandi priuare, & eius ius in alium conferre.* 3. *Excommunicationem publicam habere eam vim vt ſubditos liberet ab obligatione parendi, & ſeruandi iuramenti quod* Principi *præſtiterunt.* Nihil enim tale de *Principibus*, id eſt, Dominis *ſupremis* & *principaliſsimis* Concilium indicat, ſupponit, aut decernit. Illud nomen [*Princeps*] ſuppoſititium eſt, & à *Leſsio* mala fraude adiectum. Non tamen negauerim, poſſe Prælatos Eccleſiaſticos ex vi ſuæ poteſtatis Ec-

cleſiaſticę

ſiaſticæ vt *directiua* eſt. *Principibus* etiam *ſupre-*
mi præcipere, vt ob periculum infectionis hæ-
ticos ab *Eccleſia* denotatos è ſuis ditionibus ex-
erminare ſtudeant, & ad id præſtandum, Iureiu-
ndo, ſi opus fuerit, ſe obſtringant; virtutem
nim animarum ſaluti neceſſariam præcipere, &
tium prohibere, poteſtatis Eccleſiaſticæ, vt *di-*
ctiua eſt, limites à *Chriſto* Domino conſtitutos
non excedit: Sicut etiam poſſunt Prælati Eccle-
ſiaſtici ex vi ſuæ poteſtatis Eccleſiaſticę vt *coerci-*
ua eſt, *Principes* etiam ſupremos pœnis ſpiri-
tualibus, & cenſuris Eccleſiaſticis compellere,
vt ea omnia, quæ iure diuino aut Eccleſiaſtico
dimplere tenentur, obſeruare non negligant.
Atque ita duo prima decreta, quæ *Leſsius* ex
Concilio *Lateranenſi* vrget, nihil ad rem faci-
unt, vt antea etiam in *prima* parte à me obſer-
uatum eſt. Sed quòd Prælati Eccleſiaſtici pæ-
nam vllam ciuilem ex *Chriſti* inſtitutione, ſed ſo-
lum ex conceſſione & conſenſu *Principum* infli-
gere queant, hoc *Leſſius* neque ex Concilio *La-*
teranenſi, aut aliundè vnquam ſolidè comprobare
poterit.

10 *Deinde*, incertum valde eſt, ne dicam planè falſum, & doctrinæ *Franciſci Suarez*, & *Martini Becani*, vt antea [b] etiã annotaui, omnino repugnans, quòd Excommunicatio publica etiam à Synodo Prouinciali in *Magiſtratus*, *Poteſtates*, aut alios quoſcunque inferiores Dominos lata, habeat hanc vim, vt ipſos deponat, ſeu iure dominandi & gubernandi priuet, & ſubditos à fidelitate illis debita abſoluat: Oportet enim vt ſententia depoſitionis & abſolutionis ſit denunciata,

Suarez tom. 5. diſp. 15. ſec. 6. nu. 3. 10.
Becanus, de fide hæreticis ſeruanda cap. 8. nu. 16. & in *Controuerſia Anglic.* cap. 3. q. 2. pag 108. & in emendata pag. 122.

[b] Part. 1. ſec. 8. nu. 15.

ciata, antequam Dominus excommunicatus verè ſuo iure priuetur, & ſubditi ab eius fidelitate & obſequio vere abſoluantur. Atque hoc ipſum probat *Suarez* ex cap. vltimo de pœnis, *quamuis textus iſte in contrarium*, vt ait ipſe, *citari ſoleat, Ibi enim cùm Comes quidam publicè excommunicatus fuiſſet, & per duos annos in Excommunicatione permanſiſſet, Pontifex eum iterum admonendum iubet, & ſi non paruerit*, Vos, *inquit*, Eccleſias, in quibus aliquod ius habere dignoſcitur, ab eius debito abſoluentes &c. *Non ergo erant iam abſoluta ex vi excommunicationis; & poſtea addit*, etiam fideles ſubditos eius denunciandos fuiſſe abſolutos a iuramento, *ſignificans ante illam denunciationem non fuiſſe abſolutos.* Hæc *Suarez.* Non igitur Excommunicationi tribuitur hæc vis, vel effectus, vt ſubditos publicè excommunicatos à fidelitate verè abſoluat, & denunciatio illa tantùm faciat, vt id quod paſſim notum non erat; omnibus *Pontificis* authoritate innoteſcat; cùm ante denunciationem non ſint juxta ſententiam *Suarez* verè abſoluti.

Suarez tom. 5. diſp. 15. ſec. 6. nu. 10.

11 *Denique*, quod ait *Leſſius*, *Concilium eam ob cauſam non dicere, vt* Pontifex *ſummus ſubditos illius Domini* (quem illa peſſima fraude *Principem* appellat) *abſoluat, ſed vt abſolutos denunciet, quia ſupponit eos iam eſſe abſolutos iuxta decretum* Gregorij 7. Vrbani 2. *Concilij* Lateranenſis 3. & Gregorij 9. *quæ omnia decreta Concilium hoc loco idem ſupponens tacitè approbat & confirmat*, præterquam quod falſum aut valde incertum ſit, vt antea diximus, nihil omnino noſtræ ſententiæ officit, quandoquidem illa etiam decreta non

facta

eſſe authoritate illa Eccleſiaſtica quæ iure di-
o, ſed quę iure humano & ex conſenſu *Princi-*
Prælatis Eccleſiaſticis competit, & proin-
non *Principes ſupremos* ſed inferiores tantùm
minos ex *ſupremorum* conſenſu comprehende-
ſuperiùs commonſtrauimus: quantumuis re
idem vera illa *Concilij* verba, ſi ad aliquod Sum-
Pontificis decretum referenda ſint, potiùs ad
nonem, *Ad abolendam*, de hæreticis, quem
Concilium approbare, & confirmare videtur,
iam ad præfatos canones referri debeant, vt e-
iam ſuperiùs [c] obſeruaui. In hoc enim canone
Lucius 3. Pontifex ſtatuit, vt *Comites, Barones, Re-
ores, & Conſules ciuitatum & aliorum locorum
xta commonitionem Epiſcopi præſtito corporaliter
ramento promittant, quòd fideliter & efficaciter,
m ab eis fuerint requiſiti, Eccleſiam contra hæreti-
os & eorum complices adiuuabunt bona fide iuxta
cium & poſſe ſuum: Si verò id obſeruare nolue-
int, honore quem obtinent ſpolientur, &c.*

12 Iam ſi quis *Lateranenſis* Concilij decre-
um ſuperiùs [d] à me relatum diligenter expendere
oluerit, ſtatim animaduertet, illud ab iſto ca-
none, *Ad abolendam*, parum aut nihil differre, niſi
quòd eos qui à *Lucio* Pontifice *Comites, Barones,
Rectores*, & *Conſules* ciuitatum, aliorumque lo-
corum nuncupantur, *Innocentius* in hoc *Latera-
nenſi* Concilio nominibus magis generalibus,
nempe *Poteſtates Seculares, quibuſcunque fungan-
tur officijs, & Dominos temporales, principales &
principales Dominos non habentes appellet.*

13 Conſtat autem ex ijs quæ ſuperiùs

[e] dicta

---

[c] part. 1, ſec. 2, nu. 31.

[d] part. 1, ſec. 2.

e part.1.sec.5. nu.36.37.38.

a dicta ſunt, decretum iſtud *Lucij* 3. ex ſent. *Canoniſtarum*, vti *Innocentius* 4. *Hoſtienſis*, & *Ioannes Andreas* affirmant, ideo valuiſſe, ſeu obligandi vim habuiſſe, quia Imperator conſenſit: Sicut etiam hoc *Lateranenſis* Concilij decretum, quod à Canone *Ad abolendam*, quod ad rem ipſam attinet, parum aut nihil differt, ideo valuiſſe, quia *Imperator* cæterique *Principes* Chriſtiani, quorum Oratores ibi aderant, illi conſenſum ſuum præbuerunt, libentiſſimè confitemur. *Deinde*, inter quatuor illa *Pontificum* decreta à *Leſſio* iam relata, & iſtud *Lateranenſis* Concilij decretum magnum diſcrimen reperiri quis non videt? Nam canon, *Relaxatos*, Alexandri 3. in Concilio *Lateranenſi ſolum* loquitur de Aſſaſinis, & prædatoribus, & canon, *Iuratos*, Vrbani 2. de particulari tantum Comite, & canon *Nos ſanctorum* Gregorij VII. tametſi de omnibus excommunicatis loqui videatur, nihilominus ad eos tantum excommunicatos, qui *Henrico* 4. excommunicato & per eundem *Gregorium* depoſito fauebant, referri poteſt, vt titulus illius capitis ſatis aperte ſignificat, qui *de cauſa Regis*, ſeu Imperatoris *Henrici* inſcribitur. Et quomodocunque ſit, canon ille, *Nos ſanctorum*, ſicut & reliqui omnes de *inferioribus* tantùm Dominis ex *ſupremorum* conſenſu, quod ad pœnas temporales attinet, iuxta ſententiam ſæpius memoratam quæ *pleriſque Doctoribus placet*, neceſſariò intelligi debent: Attamen decretum iſtud *Lateranenſis* Concilij ſub *Innocentio* tertio celebrati ad canonem, *Abſolutos* Gregorij noni, qui nepos erat *Innocentij*, & vndecimo à celebra-

bato *Lateranenſi* Concilio anno ad Ponti-
atum euectus eſt, nullam omnino relationem
bere poteſt.

14 *Denique*, *quartum* illud decretum,
uod *Leſſius* vrget, ad inferiores tantùm perſo-
, nempe ad Iudices, Aduocatos, Tabellio-
, Teſtes & eiuſmodi, & non ad *Principes* ſu-
emos pertinere, illudque ſicut & priora ex
nſenſu *Principum* vim obligandi habuiſſe,
doque neque eſſe iniqua, aut irrita, aut à
ſtate inique vſurpatâ condita, & proinde
ab omnibus tutò contemni poſſe nimis
manifeſtum eſt. Quod verò *Leſſius* vrget, nem-
Concilium hanc doctrinam ſupponere vt cer-
& non ſolùm vt ſibi viſam probabilem, ad
non pertinet; ſupponit enim, decreta
, quod ad pœnas temporales attinet, au-
ritate illa Eccleſiaſtica, quæ Prælatis Ec-
cleſiaſticis ex *Chriſti* inſtitutione competit,
& non authoritate & conſenſu *Principum* con-
eſſe, & totam ſuam obligandi vim & ro-
habuiſſe, quod nos omnino inficiamur, &
ſionem hanc noſtram admodum probabi-
uiſſe ex ſententia quæ *pleriſque Doctoribus pla-*
ce, perſpicuè commonſtrauimus.

SECTIO IIII.

In qua vndecimum *incommodum*, *ex* Lugdunenſi *Concilio deſumptum*, *refutatur.*

a nu.62.pag. 104.

1 VNdecimò *ſequitur*, ait *Leſsius*, [a] *erraſſe Concilium Oecumenicum* Lugdunenſe *vnà cum* Innocentio *quarto* in depoſitione *Frederici ſecundi. Nam Concilium approbauit ſententiam* Innocentij: *vt ex ipſa ſententiæ formula patet illis verbis*, Cum fratribus noſtris, & ſancto Concilio deliberatione præhabita diligenti. *Neque ſimpliciter erraſſe, ſed pernicioſe & multipliciter erraſſe, nimirum tribuendo ſummo Pontifici poteſtatem tanquam à* Chriſto *acceptam* (*illis verbis Matth. 16.* Quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis) *ad omnes illos actus, qui in ſententia exprimuntur; & in eoſdem conſentiendo; nempe ad abſoluendos ſubditos & Vaſallos Imperatoris à Iuramento fidelitatis: ad priuandum illum iure regnandi: ad mandandum Electoribus, vt alium eligant: ad præcipiendum ne quiſquam depoſito amplius pareat, aut intendat: ad excommunicandum omnes eos, qui illi auxilium, conſilium, vel fauorem præſtiterint. Hos enim omnes actus volunt aduerſarij eſſe iniquiſſimos, & nullam Pontifici ad eos ſuppetere poteſtatem.*

2 Sed ad Concilium iſtud *Lugdunenſe*, quod noſtro tantùm ſeculo in volumine *Conciliorum* collocatum eſt, & cuius acta & decreta Bi-

nius

mus ex *Matthæo Paris* ad verbum excerpſit, iamdudum reſpondimus, [b] & nihilominus eiuſdem *Concilij* authoritatem *Leſsius* hîc iterum vrget, & reſponſionem, quam adduximus, fraudulenter diſſimulat. Diximus enim, non poſſe ſufficienter comprobari, depoſitionem illam *Frederici* à *Synodo*, ſed ſolùm à *Pontifice* in *Synodo*, neque *Concilio approbante*, ſed tantùm *præſente* factam eſſe. Vnde in principio illius Bullæ (quod notatu dignum eſt) non legitur, *Innocentius ſeruus ſeruorum Dei*, &c. *Sacro approbante Concilio*, ſicut in alijs decretis *Pontificijs*, quæ in pleno *Concilio* fiunt, dici ſolet, ſed tantùm, *Sacro præſente Concilio*: Neque in tota illa Bulla vlla fit mentio conſenſus Patrum, ſed ſolùm propè finem illius *Pontifex* ait, *ſe cum fratribus ſuis Cardinalibus*, & *Sacroſancto Concilio maturam & diligentem deliberationem habuiſſe de pluribus nefandis*, & *execrandis flagitijs Frederici*, ſed de conſenſu & approbatione *Concilij* de deponendo *Frederico* ne verbum quidem: At ſi vniuerſi Patres depriuationem *Frederici* approbaſſent, non eſt veriſimile, quin *Innocentius*, vt ſua ſententia in *Fredericum* prolata toti mundo iuſtior appareret, talem *Concilij* approbationem exprimere voluiſſet, atque non tantùm dicere, *Sacro præſente Concilio*, quibus verbis vti potuiſſet, tametſi totum *Concilium* repugnaſſet, ſed etiam *Sacro approbante Concilio*, cùm præſertim protinus in ſequenti Decreto hac poſteriori loquendi formula idem *Innocentius* vſus fuerit.

3 *Deinde*, ſententia illa depriuationis *non ſine omnium audientium*, & *circumſtantium ſtu-*

[b] in *Apolog.* nu. 452.

" *pore & honore* fulminata eſt, vt ibidem refertur,
" ſed non erat quòd vniuerſi Patres audita depri-
" uationis ſententia tanto ſtupore & horrore affice-
" rentur, ſi priùs dictæ depriuationi aſſenſum ſuum
" præbuiſſent. Ita reſpondi loco citato: Ex quo etiam patet, illam ipſam rationem, quam *Leſsius* hoc loco affert ad probandum, ſententiam *Innocentij* à *Concilio* approbatam eſſe, à me ibidem relatam, & refutatam fuiſſe.

4 Sed D. *Schulkenius* [c] argumento validiſſimo demonſtrare prętendit (nam alioquin rationes tantùm probabiles contra hanc meam reſponſionem afferre nihil ad rem pertinet, cùm probabiliter tantùm reſpondere, & non demonſtrare aut rem de fide certam euidenter conuincere, quod D. *Sculkenius* in ſe ſuſcepit, mihi inſtitutum fuerit) ſententiam *Innocentij* ab *vniuerſi Concilij Patribus approbatam eſſe.* Hoc igitur probat ex *Matthæo Paris* authore illius temporis, *qui totam hiſtoriam huius Concilij ſcripſit in libro de rebus geſtis Regum Angliæ in Henrico tertio pag. 650. & ſequentibus: Ex quo*, vt ait *Sculkenius*, *perſpicuum eſt, Patres Concilij non reclamaſſe, neque plurimos (vt falsò & per ſummam temeritatem Aduerſarius ſcribit) neque paucos, immo omnes aſſenſiſſe. Hic enim Author ita loquitur pag. 651.* Dominus igitur Papa & Prælati aſſidentes Concilio candelis accenſis in dictum Imperatorem *Fredericum*, qui iam Imperator non eſt nominandus, terribiliter, recedentibus & confuſis eius Procuratoribus fulgurarunt. *Audis quid egerint Prælati poſt recitatam ſententiam in Fredericum? ſi vnà cum Papa candelis accenſis in*

Frede-

[c] ad nu. 452. pag. 611.

dericum fulgurarunt, certè conſenſerunt in ſen-
tiam, Papa, eamque apertiſsima illa ſignificatione,
d eſt, candelarum accenſarum fulguratione com-
probarunt.

5 Sed quantumuis *Matthæus Paris* illis ver-
is aſſeruiſſet, vti non aſſerit, vniuerſos *Concilij*
Patres in *Frederici* depoſitionem conſenſiſſe, quis
tamen non videt, vnius vel alterius tantum hiſto-
rici aſſertionem, quæ probabili tantum ratione ab
eo allata nititur, quando præſertim aliæ rationes
probabiles ad contrarium comprobandum ſup-
petunt, ad fidem indubiam faciendam, atque ad
rem certò demonſtrandam nequaquam ſufficere?
etiamſi ad aſſenſum probabilem eliciendum vni-
us vel alterius Hiſtorici fide digni teſtimonium
nonnunquam ſatis eſſe libenter conceſſerim.
Quòd autem ratio D. *Schulckenij* ex verbis *Mat-*
thæi Paris deſumpta, nempe, *quòd Prælati aſſidentes*
Concilio candelis accenſis in dictum Imperatorem Fre-
dericum *terribiliter fulgurarunt*, probabiliter ad
ſummum concludat, Prælatos in depoſitionem
Frederici conſenſiſſe, ex eo perſpicuum eſt, quòd
cum in hac *Innocentij* Bulla *duplex* in *Fredericum*
ſententia lata ſit, *vna* Excommunicationis, ſeu A-
nathematis, *altera* depoſitionis, ſeu priuationis
Imperij temporalis, & cerimonia illa accenſionis,
& extinctionis candelarum iuxta conſuetum Ec-
cleſiæ morem ad Excommunicationem, ſeu Ana-
thema pertineat (vt ex cap. *debent* 11.q.3. & ex
cærimonia in Cœna Domini adhiberi ſolita, at-
que ex *Directorio Inquiſitorum* [d] ſatis conſtat) ex
illa candelarum accenſione & extinctione rectè
quidem colligi poteſt, *Concilij* Patres in Excom-
municationis,

[d] Part. 3. nu. 22.

municationis, cuius cæremonia erat, non depoſitionis ſententiam conſenſiſſe. Neque hanc meam *Reſponſionem* eſſe improbabilem D. *Schulcke* *us*, aut alius quiſpiam comprobare poteſt.

6 Quòd autem probabile etiam ſit, illam depoſitionis ſententiam non *authoritate* & approbatione *Concilij*, ſed *propria Innocentij authorita* latam eſſe ſatis etiam perſpicuum eſt; *Primò* quia, cùm inter *Imperatores* & *Reges*, atque *Romanu* *Pontifices* magna tunc controuerſia eſſet, an *Papa* poſſet *Imperatores Regeſque* deponere, ſi authoritate *Concilij Imperator* depoſitus fuiſſet, veriſimile eſt, vt antea diximus, *Innocentium* Pontificem virum alioquin prudentiſſimum, vt ſententia ſua toti mundo iuſta appareret, & non authoritate incerta, & de qua inter Catholicos tunc controuerſia erat, lata, talem approbationem *Concilij* in Bulla ſua exprimere voluiſſe; neque tantùm dicere, ſe *Sacro præſente Concilio*, ſed *ſacro* etiam *Concilio approbante* id feciſſe, cùm præſertim hac poſtrema loquendi formula in ſequenti decreto vſus fuerit. *Secundò* quia, vt ſupra etiam diximus, non erat quòd vniuerſi Patres audita ſententia tanto ſtupore, & horrore afficerentur, ſi antea de illa depoſitionis ſententia maturè deliberaſſent, illiq; ſuum conſenſum præbuiſſent.

7 *Tertiò*, quia *Albertus* Abbas Stadenſis Author etiam illius temporis ad annum 1245. ſcrib *Innocentium Papam propria authoritate* (non erg Concilij) *Imperatorem ab Imperij culmine depoſ iſſe*. *Quartò*, quia alioquin viri Catholici illam ſententiam in dubium non vocaſſent, ſi tota Concilij authoritate, re diligenter conſiderat

Vide etiam *Binnium* in notis Concilij *Lugdunenſis*, prope finem.

ta

n fuiſſe exiſtimaſſent. At conſtat, *Albericum*
ſciatum Iuris Canonici peritiſſimum non eſſe
ritum dicere, *Paſtorem Eccleſiæ* hanc ſententi-
n promulgando *falcem in alienam meſſem miſiſſe*,
que credere, ſaluo meliori conſilio, hanc Bullam
nocentij *non eſſe iuri conſonam, ſed proditam*
ntra iura & libertatem Imperij. Et *hac ſententia*
per mundum volante, ait *Abbas Stadenſis, quidam*
Principum cum multis alijs reclamabant dicentes, ad
Papam non pertinere Imperatorem vel inſtituere vel
deſtituere, ſed electum à Principibus coronare. Neque has rationes eſſe improbabiles D. *Schulckenius*, aut alius quiſpiam demonſtrare valet.

*Albe*ricus in Dictionario, *verbo* Electio-

8 Nam quod *inprimis* ait *Schulckenius*, *hæc omnia quæ adduxi nullo negotio dilui poſſe*, parum ad rem facit. Neque enim tales rationes adducere mihi inſtitutum eſt, quæ dilui non poſſunt, ſed quę viris prudentibus probabiliter perſuadere valent, ſententiam illam depoſitionis non authoritate & approbatione *Concilij*, ſed propria *Pontificis* authoritate latam eſſe. Sed D. *Schulckenio* qui rem *de fide certam* demonſtrare prætendit, rationes omnino conuincentes, & quæ nulla reſponſione probabili dilui queant, producere neceſſe eſt.

9 *Deinde, cur initio Bullæ dicatur*, Præſente ſacro Concilio, *& non* approbante Concilio, *certa ratio*, ait *Schulckenius*, *reddi non poteſt, cùm eiuſmodi verba variari poſſint pro arbitrio* Pontificum: *Niſi fortè maluerit* Innocentius *dicere*, Sacro præſente Concilio, *quàm* Sacro approbante Concilio, *quoniam non condebat legem aut canonem aliquem communem toti Eccleſiæ, ſed ferebat ſententiam in vnum, cuius ipſe competens Iudex erat; in qua re non egebat*

aliorum approbatione, ſed voluit tamen ad maiorem ſolennitatem ſententiam illam ferre coram plenario Concilio, ideo dixit præſente Concilio.

10 Sed *inprimis* friuola eſt hæc ratio: Nam etſi legem aut canonem aliquem communem toti Eccleſiæ condidiſſet, neque ſententiam in vnum hominem, ſed generalem, & ad omnes fideles pertinentem tuliſſet, eadem planè ratio ex doctrina *Schulckenij* reddi poſſet: Nam ex eius ſententia *Pontifex* eſt omnium fidelium competens Iudex, & totius Eccleſiæ etiam ſimul congregatæ atque coniunctim ſumptæ Superior legitimus, neque *Concilij* approbatione indiget, vt vel ſententiam generalem ferat, vel canonem toti *Eccleſiæ* communem condat, voluit tamen *Pontifex* ad maiorem ſolennitatem ſententiam illam ferre, aut canonem condere coram *Concilio* plenario, ideo dixit *præſente Concilio.*

11 *Deinde*, tametſi *certa ratio* reddi non poſſit, cur initio Bullæ dicatur, *Præſente Sacro Concilio*, & non *approbante*: hinc tamen *ratio probabilis* confici poteſt, quòd *Concilium* ſua authoritate talem depoſitionis ſententiam reuera non approbauerit. Cùm enim & Papa *Innocentius* Imperatoris *Frederici* hoſtis eſſet acerrimus, vt *Platina* in vita *Innocentij*, *Iacobus Wimphelingius*, [e] & alij referunt, & ipſimet etiam *Imperatores* (vt alios Catholicos taceam) *Romanum Pontificem* non eſſe in temporalibus eorum Iudicem competentem, neq; ipſos deponendi authoritatem habere contenderent (vt ex verbis [f] *Othonis* 4. per *Innocentium* 3. depoſiti ad Principes ſuæ partis in conuentu *Norimbergæ* conſtat: *Veſtri* enim *iuris eſſe fatemur*,

ait

---

[e] In *Epitom.* rerum German. c. 25.

[f] Apud *Naucler.* generat. 41. ad annum 1212.

in *Orbe 4. non Romani Pontificis Imperatorem cre-*
re ſimul & deſtituere) profectò ſi totum Conci-
lum illam depoſitionis ſententiam ſua authoritate
pprobaſſet, rectæ rationi atque prudentiæ con-
num erat, vt Papa *Innocentius* ad *Imperatori,*
rincipibuſque Germaniæ, cæteriſque *Regibus* ac
Principibus, immo & toti Chriſtiano populo ple-
niùs ſatisfaciendum, hanc *Concilij* approbationem
exprimeret, ne alioquin ex odio, atque etiam abſ-
que authoritate indubiè legitima illam depoſitio-
nis ſententiam aduerſùs *Imperatorem*, & *Regem*
potentiſſimum promulgaſſe cum maximo Chri-
ſtianitatis ſcandalo cenſeretur.

12 *Præterea*, ex *eo quòd non fiat in Bulla ex-*
preſſa mentio aſſenſus Patrum, *non concluditur*, ait
Schulckenius, eos non conſenſiſſe; ſed ex eo quòd aſti-
terunt, cum Pontifice diligenter rem examinarunt,
& nec ante, nec poſt ſententiam contradixerunt, (*In*
hoc enim valet illa regula Iuris, Qui tacet conſen-
tire videtur) *& euidentiùs ex eo, quòd candelis ac-*
cenſis (*vt ait* Mathæus Paris) *terribiliter fulgura-*
runt, colligitur certò eos conſenſiſſe. Deinde, *ſenten-*
tiam illam Innocentij *omnibus timorem incuſſiſſe, ad*
inſtar fulguris coruſcantis, vt ait Mathæus Paris,
non eſt mirum. Quoniam etſi iniuſtiſſima, tamen ter-
ribilis etiam erat, cùm in Imperatorem & Regem po-
tentiſſimum ferretur.

13 Sed nihil horum quæ hîc *Schulckenius*
attulit, certò concludere manifeſtum eſt. Nam
inprimis licet ex eo quòd non fiat in Bulla ex-
preſſa mentio Patrum, certò & euidenter non
concludatur, eos non conſenſiſſe, ex eo tamen,
atque ex initio Bullæ, alijſque circumſtantijs an-

tea relatis, prudenter, ac probabiliter, vti diximus, concluditur, ſententiam illam depoſitionis, *præſente* tantùm *Concilio*, & non *approbante*, ex *propria* Pontificis, vt dixit *Abbas Stadenſis*, & non ex Concilij authoritate latam eſſe. *Deinde*, quòd diligens illa examinatio & diſcuſſio, quam *Innocentius* cum Patribus *Concilij* habuit, fuerit de deponendo *Frederico* non ſatis probari poteſt, cùm Pontifex, vti diximus, ſolùm aſſerat, *ſe cum fratribus Cardinalibus & ſacroſancto Concilio maturam, & diligentem deliberationem habuiſſe de pluribus nefandis & execrandis flagitijs Frederici*, ſed quòd de deponendo *Frederico* deliberauerint, ne verbum quidem.

14 *Præterea*, probabile etiam eſt, vti diximus, candelarum accenſionem ad Excommunicationis & Anathematis ſententiam, cuius cæremonia erat, & de qua Catholici nunquam dubitarunt, & non ad depoſitionis ſententiam, de qua *magna fuit ſemper inter Romanos Pontifices & Imperatores*, vt ait *Azorius*, *controuerſia*, referendam eſſe. Ex eo autem quòd *Innocentius* illam *ſententiam non ſine omnium audientium & circumſtantium ſtupore & horrore terribiliter fulgurauit*, probabiliter etiam concludi poteſt, ſententiam illam Patribus neſcientibus, aut repugnantibus fulminatam eſſe; nam alioquin ſi de ea maturè & diligenter antea deliberaſſent, eamque collaudaſſent, profectò non erat quòd tantum ſtuporem & horrorem illis incuteret, tametſi ipſiuſmet *Imperatoris* Procuratoribus, amicis, cæteriſque circumſtantibus, quibus præcognita non erat, ea ita derepente, ex improuiſo, & contra eorum ſpem publicata, terribilis,

is,ſtupenda,& horrenda eſſe poterat.
15 *Demum*, quòd Patres Concilij *neque ante*
ſententiam, neque poſtea contradixerint, non eſt ſig-
num euidens illos omnes conſenſiſſe, vt *D. Schulcken-*
ius affirmat. Nam cùm ipſi *Innocentium* Pon-
tificem, qui duorum potentiſſimorum Regum,
Angliæ nempe, & *Francorum* intercesſionem&
fideiuſſionem pro *Frederico* recuſarat, ab eius in-
ſtituto ſe non poſſe dimouere perſpexerint, ſilere
potiùs elegerunt, quàm contradicendo & nihil
proficere, atque inſuper Pontificis *Innocentij*,
hominis auſteri, & nonnunquam ſupra modum
iracundi indignationem in ſeipſos concitare.
Neque regula illa Iuris, *Qui tacet conſentire vide-*
tur, vt *Panormitanus* & *Felinus* notant, locũ habet
in caſu, *quo timor iuſtus taciturnitatem ſuadet*, ſi
præſertim contradicendo graue damnum lo-
quenti timeatur, & nulla ſpes emolumenti per-
ſonæ, pro qua ſermo fit, eluceat. Quòd autem
Innocentij 4. Pontificis, qui Imperatoris *Frede-*
rici, omniumque eorum qui illi fauebant, hoſtis
erat acerrimus, indignationem timere meritò
poterant, facilè quiuis perſpiciet, qui res geſtas
Innocentij in *Matthæi Paris* hiſtoria breuiter per-
curret: Sed vnum vel alterum exemplum ex *Mat-*
thæo Paris referre non abs re erit.

In cap. *Nonne bene*, extra, de præſumptionibus.

16 Poſtquam *Magiſter Martinus* (*qui ad ex-*
torquendas pecunias in Angliam à Papa Innocentio
miſſus eſt) *ob multiformem & inceſſabilem oppreſſio-*
nem, & depradationem Regni (*de cuius proterua*
& iniurioſa rapacitate honeſtius & tutius eſſe ob re-
uerentiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ arbitratur *Ma-*
thæus ſilere, quàm aures offendere audientium, &
mentes

mentes fidelium talia enarrando perturbare) per Barones & Regem è Regno eiectus ad Pontificem perueniſſet, & quæ præſcripta ſunt eidem pleniùs enarraſſet, infrenduit Papa, & ira excanduit vehementis. Et recolens quòd tam Rex Francorum, quàm Aragonum ingreſſum Regnorum ſuorum vetuiſſent ipſi poſtulanti; nec Rex Anglorum aduentum ſuum in Angliam acceptaſſet, immo potius ipſum execrando Nuncium ſuum & Clericum ab Anglia probroſè eieciſſet, dixit in iracundia magna, voce ſuſurra, oculos obliquando, & nares corrugando: Expedit vt componamus cum Principe veſtro, vt hos Regulos conteramus recalcitrantes; contrito enim vel pacificato dracone, cito ſerpentuli conculcabuntur. *Quod verbum in vulgus promulgatum, in multorum cordibus offendiculum indignationis generauit.* Ita *Matheus Paris* [f].

17 Aliud etiam exemplum de eodem *Innocentio*, quo modo in *Robertum* Epiſcopum Lincolnienſem vltra modũ deſæuierit, eò quòd *literis eius bullatis, atque mandatis, quæ in ijs continebantur, ſæpe contradixerit*, habetur in eadem hiſtoria *Matthei* [g]. Nam cùm ad Domini Papæ audientiam literæ ſancti *Roberti* ibidem relatæ, quibus ſe ab omni inobedientia excuſat, & mandata *Innocentij* iniuſta eſſe oſtendit, perueniſſent, *non ſe capiens præ ira & indignatione, toruo aſpectu, & ſuperbo animo ait:* Quis eſt iſte ſenex delirus, ſurdus, & abſurdus, qui facta audax, immo temerarius iudicat? Per *Petrum* & *Paulum* niſi moueret nos innata ingenuitas, ipſum in tantam confuſionem præcipitarem, vt toti mundo fabula foret, ſtupor, exemplum, & prodigium. Nonne *Rex*

---

[f] In *Henrico* 3. ad annum 1245. pag. 638. 639. 640.

[g] In *Henrico* 3. ad annum 1251. & pag. 1253. pag. 799. 844. 845.

Anglorum noſter eſt Vaſallus, &, vt plus dicam, mancipium, qui poteſt cum nutu noſtro incarcerare, & ignominię mancipare? *Neque vix Cardinales impetum Papæ comprimere poterant, dicentes*, Non expediret, Domine, vt aliquid durum contra ipſum Epiſcopum ſtatueremus; Vt enim vera fateamur, vera ſunt quæ dicit; non poſſumus eum condemnare. Catholicus eſt, immo & ſanctiſſimus, nobis religioſior, nobis & ſanctior, & excellentior, & excellentioris vitæ; ita vt non credatur inter omnes Prælatos maiorem, immo nec parem habere &c.——*Hæc dixerunt Dominus* Aegidius *Hiſpanus Cardinalis & alij quos propria tangebat conſcientia. Conſilium dederunt Domino Papæ, vt omnia hæc conniuentibus oculis ſub diſſimulatione tranſire permitteret, ne ſuper hoc tumultus excitaretur; Maximè propter hoc, quia ſcitur, quòd quandoque diſceſsio eſt ventura.*

18 Neque huius ſanctiſſimi Epiſcopi mors ſancta & miraculis confirmata eiuſdem *Innocentij* iram repreſſit. *Hoc enim anno*, ait eadem hiſtoria, [h] *Dominus Papa dum vna dierum iratus ſupramodum vellet cum mala gratia omnium fratrum Cardinalium oſſa Epiſcopi Lincolnienſis corpus extra Eccleſiam proijcere, & ipſum in tantam infamiam præcipitare, vt Ethnicus, rebellis, & inobediens per totum mundum acclamaretur, iuſſit talem literam ſcribi Domino Regi Angliæ tranſmittendam, ſciens quòd ipſe Rex libenter deſæuiret in ipſum, & in Eccleſiam deprædandam. Sed nocte ſequenti apparuit ei idem Epiſcopus Lincolnienſis Pontificalibus redimitus, vultuque ſeuero, intuituque auſtero, ac voce flebili ipſum Papam in lecto ſine*

quiete

[h] In *Henrico* 3. ad annum 1254. pag. 855.

quiete quieſcentem aggreditur, & affatur, pungens ipſum in latere ictu impetuoſo ſuo cuſpide baculi, quem baiulabat paſtorali. Et dixit ei, Sinebalde Papa miſerrime, propoſuiſtine oſſa mea in mei & Eccleſiæ Lincolnienſis opprobrium extra Eccleſiam proijcere? Vnde hæc tibi temeritas? Dignius foret, vt tu à Deo ſublimatus & honoratus, Dei zelatores licet defunctos coleres. Nullam poteſtatem in me habere te Dominus amodò patietur. Scripſi tibi in ſpiritu humilitatis & dilectionis, vt errores tuos crebros corrigeres. Sed tu monita ſalubria ſuperbo oculo, & faſcinanti corde contempſiſti. Væ qui ſpernis, nonne & tu contemnèris? *Et ſic recedens Pontifex* Robertus *ipſum Papam, qui quando, vt dictum eſt, pungebatur, ab alto ingemuit, quaſi lancea tranſuerberatus, dereliquit ſeminecem, & voce flebili cum ſuſpirijs ingemiſcentem, &c.*

19 Ex his autem (quæ ob reuerantiam *Sedis Apoſtolicæ* non commemoraſſem, niſi à D. *Schulckenio* ad argumentum ejus ex regula illa Iuris, *Qui tacet conſentire videtur*, deſumptum clariùs diſſoluendum quadam neceſſitate coactus fuiſſem) ſatis conſtat, talem fuiſſe Papam *Innocentium*, vt Prælati, ſi vel ſibi illi contradicerent, vel *Frederici* partibus, quem adeo vehementer oderat, aliquo modo fauere viſi eſſent, eius indignationem meritò pertimeſcere poſſent. Mitto nunc decretum iſtud fuiſſe particulare, & non ad totam *Eccleſiam* ſpectans, in quo vtrùm *Concilij* Patres, tametſi omnes conſenſiſſent, errare potuiſſent, priuſquam talem eſſe in *Pontifice* poteſtatem *Principes* deponendi firmo aliquo ſtabi-

lique decreto determinatum fuerit, iam non diſputo. Nam, vt ad *Leſſium* reuertamur, ex ijs quæ dicta ſunt, ſatis perſpicuum eſt, neque poſſe conuincens aliquod argumentum ex hoc decreto trahi ad doctrinam pro poteſtate *Pontificis Principes* deponendi, vt rem de *fide certam* demonſtrandam, neque ex mea ſententia ſequi, ipſum Concilium *Lugdunenſe*, ſed duntaxat Pontificem *præſente Concilio* in depoſitione *Frederici* Imperatoris erraſſe; quod, iuxta ſententiam quæ *pleriſque Doctoribus placet*, nullum totius Eccleſiæ iudicio infallibili incommodum afferre nimis manifeſtum eſt.

SECTIO V.

In qua duodecimum *&* decimum tertium *incommodum ex Concilio* Viennenſi, *&* Conſtantienſi *deſumpta refelluntur.*

1 D*Vodecimò ſequitur*, ait *Leſſius*, [a] *erraſſe Concilium* Viennenſe, *Clementina*, Romani Pontifices, *de iureiurando*, *quatenus ſentit, potuiſſe Romanum Pontificem transferre Imperium à Græcis ad Germanos, & reipſa tranſtuliſſe, & ius electionis Principibus Germaniæ concedere, reſeruato ſibi iure examinandi qualitates electi, & illum approbandi, ac fidelitatis Iuramentum ab eo exigendi &c.*

Rurſus erraſſe idem Concilium, Clementina, *Si quis ſuadente*, de pœnis: *vbi præter excommu-*

---

[a] nu. 63. pag. 105.

nicationem pœnæ temporales infliguntur ijs, qui copiunt Epiſcopum, nempe amiſſio feudorum, & officiorum etiam temporalium, quæ tenent ab Eccleſia, &c.

2 Sed *imprimis*, tametſi *Albericus Roxiatu* [b] vir Catholicus, & vtriuſque Iuris Profeſſor inſignis, *credat, ſaluo meliori conſilio, hanc Clementinam*, Romani Pontifices, *ſicut & tres alias Decretales*, quas ipſe ibidem recenſet, *non eſſe iuri conſonas, ſed à Paſtoribus Eccleſiæ falcem in meſſem alienam mittentibus proditas contra iura & libertatem Imperij, & poteſtates diſtinctas à Deo præciſiſſe*: Et licet *Lupoldus Bambergenſis* Decretorum Doctor, &, teſte Card. *Bellarmino*, [c] *vir eruditus*, ad hanc etjam Clementinam, *Romani*, reſpondens ita ſcribat: [d] *Circa hanc oppoſitionem & eius ſolutionem ſciendum eſt, quòd ſi volumus ſequi illam opinionem, de qua ſuprà* [e] *dictum eſt, quæ habet, quòd Iuriſdictiones Eccleſiaſticæ & ſecularis ſint dictinctæ, & diuiſæ, ita quòd una non depende ab altera, ſed vtraque immediatè ſit à Deo, tunc poſſemus dicere, quòd nec illa, nec quæcunque alia conſtitutio Iuris Canonici poſſit Regno & Imperio circa adminiſtrationem temporalium eiuſdem Regni, & Imperij præiudicare, cùm Rex vel Imperator non ſubſit Papæ quoad ea ſecundùm opinionem* Hugo *&* Ioannis *& eorum ſequacium*, quod idem v detur eſſe, ac dicere cum *Alberico, Paſtores Eccleſiæ mittentes falcem in meſſem alienam* in talib conſtitutionibus ſanciendis re quidem vera era ſe, eaſque *contra iura & libertatem Imperij c diſſe*: Attamen ad hanc Clementinam, *Ro Pontifices*, meliùs, magiſque reuerenter, qui-

[b] in *Dictionario* verbo *Electio*.

[c] de *Scriptor. Eccleſ.* ad annum 1330.

[d] in *tract.* de *Iurib. Regni & Imperij Rom.* c. 10 & 12.

[e] in cap. 9.

quidem iudicio, iuxta doctrinam eiuſdem *Lupoldi* loco citato traditam *Reſponderi* poteſt.

3 Quantumuis enim in hac *Clementina* nihil prorſus eorum, quæ *Leſsius* proponit, tanquam de *fide Catholica* definiatur, vt quiuis, qui eam perleget, & ſimul regulas illas, quas ſuperiùs [f] ex Card. *Bellarmino* & *Cano* aſſignauimus, obſeruabit, clarè perſpicere poteſt; Dicimus tamen ex mea ſententia non ſequi, Concilium illud *Viennenſe* in aliquo eorum quæ *Leſsius* obijcit, erraſſe. Fateor etenim, potuiſſe *Romanum Pontificem* tanquam primum ac principalem Imperij Occidentalis ciuem, non tamen ſola ſua authoritate, ſed ex conſenſu, ſcito, atque ſuffragijs Senatus, populique Romani, cæterorumque Occidentalium, qui Imperio ſuberant, transferre Imperium à *Græcis* ad *Germanos* ſeu *Francos*, & reipſa tranſtuliſſe, cùm *Imperatores Græci* Occidentale Imperium iam pro derelicto haberent, & ſolo nomine in Occidente regnarent. Vnde, vt rectè idem *Lupoldus* ſecundùm quoſdam reſponderi poſſe affirmat, *prædicta tranſlatio Imperij non ab Eccleſia Romana*, (id eſt a *Pontifice Romano*, cæteriſque viris Eccleſiaſticis, quâ ſpirituali ſeu Eccleſiaſtica præditi ſunt poteſtate, niſi vt talem tranſlationem licitam eſſe declarantibus) *ſed potiùs à populo Romano*, (id eſt, ab omnibus tam Clericis quàm Laicis Imperio Romano in Occidente ſubiectis, ſeu quod idem eſt, ab *Eccleſia Romana*, quatenus Clericos & Laicos, quâ Romani Imperij ciues ſunt, comprehendit) *totum ſuum robur habuit & vigorem*. Sed de hac tranſlatione alibi copioſiùs diſputauimus, & quę

à D.

[f] part. 2. ſec. 4.

Z 2

à D. *Schulckenio* contra ea quæ in noſtra *Apologia* diximus, allata ſunt, confutauimus.[g]

g in Confut. Arg. *Tho. Fitzh.* part. 3. c. 3.

4 Atque in eodem ſenſu verum eſt, quod in eadem *Clementina* traditur, nempe *ab Eccleſia Romana ad certos Germaniæ Principes ius & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum perueniſſe.* Veriſſimè enim dici poteſt, eiuſmodi ius & poteſtatem eligendi *Imperatorem* ad certos *Germaniæ* Principes perueniſſe ab *Eccleſia Romana*, vel decretum illud de *Imperatore* per ſeptem tantum *Germaniæ* Principes eligendo licitum & iuſtum eſſe ſpirituali ſua authoritate declarante, vel ab *Eccleſia* & *Clero Romano* primariò & principaliter, cęteris tamen Imperij *Romani* ciuibus in ſuo ordine & gradu ad tale decretum ſanciendum concurrentibus, vel denique ab *Eccleſia Romana* quatenus non ſolùm Clericos, ſed etiam Laicos Imperio *Romano* ſubiectos comprehendit, nam in hoc etiam ſenſu *Eccleſiam* ſumi, nempe pro congregatione omnium fidelium tam Laicorum quàm Clericorum haud inuſitatum eſſe omnes norunt. Atque hoc tertium idem *Lupoldus*,[h] & Cardinalis *Cuſanus* ex iure diuino & naturali optimè confirmant.

h cap. 12.

i. lib. 3. de Cõcord. *Catholica*. cap. 4.

5 *Non eſt igitur eo modo concedendum*, ait *Cuſanus*, *Electores à Romano Pontifice poteſtatem eligendi habere ſic, quòd niſi ipſe conſentiret non haberent, aut ſi vellet ab ipſis tollere poſſet. Quis, rogo, dedit populo Romano poteſtatem eligendi Imperatorem, niſi ipſum ius diuinum & naturale? Per viam enim voluntariæ ſubiectionis, & conſenſus in præſidentiam Prælationes concordantialit*

rectè

iuſtè & ſanctè conſtituta ſunt in omni dominandi ſpecie. Et infra; *vnde Electores qui communi conſenſu omnium Alemannorum & aliorum qui Imperio ſubiecti erant tempore* Henrici 2. *conſtituti ſunt, radicalem vim habent ab ipſo communi omnium conſenſu, qui ſibi naturali iure Imperatorem conſtituere poterant, non ab ipſo Romano Pontifice; in cuius poteſtate non eſt dare cuicunque Provinciæ per mundum Regem, vel Imperatorem ipſa non conſentiente. Sed concurrebat ad hoc conſenſus ipſius* Gregorij *quinti tanquam vnius Pontificis Romani, qui iuxta gradum ſuum in conſentiendo in communem Imperatorem intereſſe habet. Rectè ſicut in Concilijs vniuerſalibus concurrit in primo gradu authoritas ipſius per conſenſum cum alijs omnibus ipſum Concilium celebrantibus; vigor nihilominus definitionis non ab ipſo primo omnium Pontifice, ſed ex communi omnium & ipſius, & aliorum conſenſu dependet,* &c. Et infra: *Ita puto in veritate conſenſum Romani Pontificis à principio interueniſſe, dum iſti Electores conſtituerentur. Vnde ipſi communi fungentes legatione omnium qui Imperio ſubſunt, etiam totius Sacerdotij, & Romani Pontificis eligunt; Qui electus ſine dubio ex ipſa electione cuncta conſequitur; vt notat* Ioannes *in gloſſa* 93. *diſt.* legimus. *&* Innocent. cap. Venerabilem, *de elect. & ita tenetur, vt notat* Hoſtienſis, *de verborum ſignificat.* ſuper quibuſdam, *& Gloſſa in Clementin.* Romani, *ſuper verbo* Reges, *de iureiurando; quoniam ſubiectionem omnium habet, & per conſequens imperandi poteſtatem, in qua conſiſtit Imperij eſſentia. Dicti enim priùs fuere ab imperando exercitui.* Hæc *Cardinalis Cuſanus.* Similia habet *Lupoldus* cap. 12. citato.

6 Concedimus etiam, examinationem perſonæ electæ in *Regem* Romanorum ad Eccleſiam *Romanam* aliquo modo pertinere, vt habetur in cap. *Venerabilem* de electione. §.verum, & in dicta Clementina, *Romani*, §. Præfatus itaque. *Hæc tamen examinatio*, vt rectè obſeruat idem *Lupoldus* cap. 10. *non debet fieri per Eccleſiam ad hunc finem, vt approbetur, vel reprobetur ſua electio vel perſona, (dum tamen ſit electus in concordia, vel à maiori parte) Nam cum ipſe ſit factus Rex ex huiuſmodi electione, ac ſucceſſerit* Carolo Magno, *qui eiuſmodi prouincias & terras hodie Regno & Imperio ſubiectas citra omnem tranſlationem Imperij habuit, vt viſum eſt ſuprà* cap. 6. *&* 7. *non poterit propter crimen in modum exceptionis oppoſitum repelli à Regno & ſucceſſione prædictis; ſicut nec alij Reges orbis à regnis per ſucceſſionem generis eiſdem debitis hoc modo repelli poſſunt. Sed ad hunc finem examinari poteſt ab Eccleſia, vt agat pænitentiam de criminibus per examinationem huiuſmodi in eo repertis, vt eâ peractâ, vel ſaltem parte ipſius pænitentiæ ſibi vnctionem & coronationem imperialem impendat. Poteſt enim ipſum, ſicut & quemlibet alium Chriſtianum corrigere de peccato, poteſtate ſibi à Deo tradita, vt dixit Petro,* Quodcunque ligaueris &c. Matth. 16. *Et ſi correctionem Domini Papæ, & Eccleſiæ ſuper criminibus repertis per examinationem contemneret, puta quia pænitentiam ſuper eis ad requiſitionem ipſius Eccleſiæ agere recuſaret, extunc etiam Eccleſia Romana vnctionem, & coronationem Imperialem eidem poſſet, quouſque pænitentiam, vel ſaltem partem pænitentiæ perageret, rationabiliter denegare. Et hunc intelligo eſſe finem ſeu effectum examinatio-*

nis

m Regis ab Eccleſia faciendæ, de qua loquuntur præ-
ſta duo capitula, Venerabilem, & Romani, quo-
d electionem à Principibus concorditer, vel à maiori
parte ipſorum de ſe factam. Sed quando quis eſſet
lectus à minori parte Principum, tunc Papa poſſet re-
probare talem electum, vel eius electionem, hoc eſt, de-
clarare ipſum non habere ius ſecundùm ea quæ dicam
infra cap. 12. Et ſic intelligo prædictum capitulum
Venerabilem, & Romani in contrarium allegata.
Ita Lupoldus.

7 Quod autem attinet ad vnctionem, & co-
ronationem, de qua in iſta Clementina, Romani,
fit mentio, hæc vnctio & coronatio, quas etiam
legimus alijs Regibus tribui, vt rectè aduertit idē
Lupoldus, cap. 10. ſed fuſiùs declarat Cardinalis
Cuſanus, [k] non arguunt in Papa maioritatem ſupra
electionem confirmandam, vel infirmandam, vel ſuper
ipſum etiam Imperium quoad temporalia, ſicut nec
vnctio quæ fit Regi Franciæ, Rhemis, aut coronatio ip-
ſius Imperatoris per Archiepiſcopum Colonienſem
Aquiſgrani &c. Ex quibus patet, vnctionem & di-
ademæ nihil præſtare Imperiali poteſtati. Inſignia enim
illa quaſi ad maieſtatem ſacram, quæ Imperio ineſt,
oſtendendam, materiali viſibili ſubiecto cum cæremo-
nijs impenduntur, vt ſint ſigna prædicantia admiran-
dam illam potentiam, ſicut ſimilia in Romano Ponti-
fice videmus fieri, tamen ante omnia talia Papa eſt
poſt electionem. * Nomen etiam, quod in coronatione,
quæ per Papam Imperatori impenditur, mutatur, vt
priùs Rex, & poſtea Imperator vocetur, nihil minùs
potentiæ imperandi priùs in eo fuiſſe arguit, vt notiſſi-
mum eſt. Fuit itaque in veritate Imperator, dum in
libera poteſtate habuit imperare, etiamſi vulgò ita
non

[k] Lib. 3. cap. 4.

* Nonne.

non nominaretur, ſed vt ad ipſam coronationem anhelet. De *qua quidem coronatione diadematis, & alijs notat* Gloſſa *in Clementina,* Romani, *allegata ſuper,* verbo, *veſtigijs. Et quia hæc materia à multis diſertiſsimè eſt tractata, ſufficiat nobis ſcire quod noſtri Electores Imperij, dum eligunt vno communi omnium qui ſubſunt imperio conſenſu, per concordem omnium transfuſionem in eos (in qua quidem concordia Romanus Pontifex* Gregorius V. *includebatur) hoc agunt. Et ex hoc, ex electione Imperator efficitur, abſque quacunque confirmatione. Rectè in Cardinales vtilis Eccleſiæ poteſtas* per communem omnium tacitum, vel quendam expreſſum conſenſum in eligendo Papa transfuſa eſt, & ideo abſque confirmatione electus Papa eſt. Et ſicut poteſtas electiua hâc concordantiâ venit in certos vtriuſque ſtatus Principes, ita cum par debeat eſſe poteſtas tollendi ab ipſis hanc poteſtatem, non puto Romanum Pontificem ſolum ab ipſis Principibus abdicare eandem, ſed concurrente tam ipſius Romani Pontificis, quàm aliorum omnium conſenſu, non dubitatur ab ipſis tolli poſſe hanc poteſtatem.* Hæc *Cuſanus.*

* Rectè veluti in Cardinales Eccleſiæ vniuerſalis poteſtas.

8 *Præterea,* quod ſpectat ad *Iuramentum fidelitatis,* Reſpondeo, *Clementinam* iſtam intelligendam eſſe, vel de *iuramento fidelitatis* ſeu obedientiæ in ſpiritualibus, non autem in temporalibus, in quibus neque *Imperator,* neque alij *Principes ſupremi* vllum ſuperiorem præter ſolum *Deum* Regum Regem, & Dominum Dominantium recognoſcunt, vel potiùs, vt optimè declarat & probat idem *Lupoldus,* de *Iuramento* non *homagij,* ſed *fidelitatis,* id eſt, *fidelis defenſionis facienda per Regem Romanorum ipſi Eccleſiæ Romanæ. Patet hoc in*

tenore

ne eiuſdem Iuramenti in prædicta cap. Tibi Do-
ino, comprehenſo. Articuli enim in eiuſdem Iura-
nti forma contenti ad defenſionem Eccleſiæ Roma-
a, aut ad non offendendum Dominum Papam in per-
na, honore, vel rebus pertinere noſcuntur. Qui verò
ntur alium defendere, ipſum offendere vel impug-
re non debet. Et ſic de defenſione Papæ ac Eccleſiæ
omanæ articuli reſpiciunt antedicti. Nec mirum ſi
ex Romanorum præſtet hoc iuramentum Papæ &
Eccleſiæ Romanæ. Ipſe enim eſt Aduocatus ipſius
Eccleſiæ, vt patet, extra, *de electione*, cap. *Venerabi-*
lem, verſ. Quod autem: *& in Clementina*, Romani,
de iureiurando. Aduocatio vero Eccleſiæ nihil aliud
eſt, quam ius defendendi Eccleſiam. Vnde etiam
terdum in Iure Patroni Eccleſiarum dicuntur Ad-
ocati eorum, vt, extra, *de iure Patronatus, cap.*
Quia clerici: *Et hoc ex eo quia habent defendere*
Eccleſias, quarum ſunt Patroni vt 16. q. 7. can. *filijs*
&c. *Et de tali Iuramento fidelitatis intelligo etiam*
prædictam Clementinam *de Iureiurando*, cap. *Ro-*
mani, & id quod notatur 63. *diſt. can.* Quia ſancta
in vltima gloſſa, ſed non de Iuramento fidelitatis,
id eſt, homagij, *vt ſuperiùs eſt probatum. Hæc*
Lupoldus.

9 *Poſtremo*, friuolum omnino, & nihil planè ad rem ſpectans eſt illud, quod *Leſſius* obijcit *Clementina*, Si quis ſuadente, *de pœnis*. Neque enim aliquis negabit, poſſe Summum *Pontificem*, quà *Princeps* temporalis eſt, atque etiam alios Prælatos Eccleſiaſticos, veluti Epiſcopos *Coloniæ*, *Moguntiæ* & ſimiles, quatenus Domini temporales ſunt, pœnas temporales infligere, nempe per amiſſionem feudorum, & officiorum, quæ

quis tenet ab Eccleſia &c. hoc enim nihil ali eſt, quàm poſſe Eccleſiam pænis temporalib eos afficere, qui illi temporaliter ſubiecti ſunt, d quo nullus Catholicus vnquam dubitauit, ſ hoc ſolùm nunc contendimus, non poſſe Summum *Pontificem*, iuxta ſententiam *quæ pleriſque Doctoribus placet*, vt Paſtor eſt merè ſpiritualis, ſeu Prælatos Eccleſiaſticos per illam poteſtatem Eccleſiaſticam, quæ illis iure diuino compe, pænam vllam ciuilem infligere: Iure autem diuino, & ex *Chriſti* inſtitutione, *Eccleſia* ſeu Prælati Eccleſiaſtici nulla dominia temporalia, feuda, aut villas poſſident, aut aliqua officia illis annexa, quibus *Pontifex* eos, qui capiunt *Epiſcopum*, priuare poteſt, ſed hæc dominia, feuda, villæ, & officia temporalia iure humano, & ex conceſſione *Principum*, *Eccleſiæ* ſeu Prælatis Eccleſiaſticis communicata ſunt, vt docet S. *Auguſtinus* tract. 6. in cap. 1. Ioan. & habetur *diſt*. 7. can. *Quo iure*.

10 *Decimò tertiò ſequitur*, ait *Leſsius*,[1] *erraſſe Concilium* Conſtantienſe *ſeſſ*. 31. *cùm in monitorio contra* Philippum *Comitem*, *qui Epiſcopum ſuum in carcerem coniecerat, & alia grauia patrarat, ſtatuit* (*exequutione duobus Epiſcopis commiſſa*) *vt ſi poſt excommunicationis & interdicti ſententiam prædictus* Comes *& eius Officiales obſtinati perſtiterint*, ad omnes alias pænas ſpiritales & temporales authoritate præſentiũ aduerſùs eos procedere valeant. *Vbi apertè ſentit* Concilium, *ſe habere poteſtatem infligendi non ſolùm pænas ſpiritales, ſed etiam temporales, quando ſpiritales contemnuntur, & magnitudo criminis poſtulat.*

11 *Rurſus erraſſe grauiſſimè ſeſſ*. 39. *cùm in de-*

creto

[1] nu. 13. p. 105.

ad cauenda ſchiſmata ſtatuit, Vt quicunque
ectoribus in electione *Papæ* metum aut vim
erit, aut fieri procurauerit vel factum ratum
buerit, aut in hoc conſilium dederit, aut fauo-
m &c. Cuiuſcunque ſtatus, gradus, aut præe-
inentiæ fuerit, etiamſi Imperiali, Regali, Pon-
ficali, vel alia quauis Eccleſiaſtica, aut Seculari
æfulgeat dignitate, illas pænas ipſo facto in-
rrat, quæ in *Conſtitutione Fel.* record. *Bonifacij*
quæ incipit, *Fælicis*, continentur, illiſque effectu-
aliter puniatur. *Hîc manifeſtè etiam in Reges &*
& Imperatores non ſolùm ſpirituales, ſed etiam mul-
is temporales pœnas conſtituit. Nam pœnæ cap.
Felicis (*quod habetur in 6. tit.* de pænis) *maxi-*
mam partem ſunt temporales: vt bonorum amiſſio,
infamia Iuris, inteſtabilitas, id eſt, inhabilitas ad con-
dendum teſtamentum, & ad aliquid ex teſtamento
capiendum, inhabilitas ad dignitates tam ſeculares,
quàm Eccleſiaſticas, inhabilitas ad agendum in iu-
dicio, ad poſtulandum, ad teſtimonium dicendum
&c. Itaque manifeſtum eſt, hoc Concilium tan-
quam rem certiſſimam ſupponere, Eccleſiam habere
poteſtatem ad omnes illas pænas irrogandas. Si non
habet (vt volunt aduerſarij) errat grauiſſimè in doctri-
na, quam ſupponit vt fundamentum huius decreti, &
decretum iniquiſſimum ſancit.

12 Sed *inprimis* mirum eſt, qua fronte *Leſſius* aduerſus meam ſententiam de poteſtate Eccleſiaſtica pænas tantùm ſpirituales ex inſtitutione diuina infligendi, *decretum particulare Conſtantienſis* Concilij ad *mores* ſpectans, tanquam fidem infallibilem faciens, vrgere auſus fuerit, qui tamen aduerſus ſuam, ſuorumque ſententiam de autho-

ritate *Papa* ſupra totam *Eccleſiam* collectiuè ſumptam, quam *Concilium* generale repræſentat, *generale fidei decretum* eiuſdem Concilij *Conſtantienſis*, & in Concilio *Baſileenſi* tunc temporis indubiè legitimo confirmatum admittere nolit. Quaſi verò erroneum eſſet affirmare, Concilium *Conſtantienſe* erraſſe in *particulari decreto*, in quo pænas temporales cuidam *Comiti*, qui *Epiſcopum* carceri mancipauerat, infligendas eſſe decernitur, nullus autem error, aliudue incommodum ſit aſſerere, erraſſe Synodum *Conſtantienſem* in *generali fidei decreto* & poſtea in Concilio *Baſileenſi*, eo præſertim tempore quo abſque dubio legitimum, & nullum in Eccleſia ſchiſma erat, confirmato; Synodus enim *Baſileenſis* ſeſſ. 2. expreſſè *ordinat, definit, decernit, & declarat, quòd ipſa in ſpiritu ſancto legitimè congregata Concilium generale faciens, poteſtatem à Chriſto immediate habeat, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his qua pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis* (refert enim decretum Concilij *Conſtantienſis* tempore ſchiſmatis factum, illudque confirmat) *& reformationem dictæ Eccleſiæ in capite & membris.*

13 *Reſpondetur* itaque *ſecundò*, non poſſe ex his duobus decretis Concilij *Conſtantienſis*, ſicut neque ex illo ſeſſ. 17. quod vrget Card. *Peronius*, [m] aliud efficaciter concludi, quàm quòd penes Eccleſiam ſeu Prælatos Eccleſiaſticos iure diuino & ex Chriſti inſtitutione ſit poteſtas pænas tantùm ſpirituales, & iure humano & ex conceſſione & conſenſu *Principum* ſupremorum pænas etiam temporales infligendi: atque etiam quòd *Eccle-*

[m] En *Harangue* pag. 38.

Eccleſia, ſeu *Concilium* generale quoſcunque Dominos etiam ſupremos illis dignitatibus, honoribus, feudis, caſtris, dominijs, officijs & beneficijs ſiue Eccleſiaſticis ſiue ſecularibus quæ certò & abſque controuerſia ab *Eccleſia* tenent, priuare omnino poſſit.

14 Dixi [*quæ certò & abſque controuerſia ab Eccleſia tenent*] Si enim certum non ſit, ſed in opinione poſitum, an *Rex* aliquis vel Princeps inferior Regnum aliquod, Prouinciam, ciuitatem, aut caſtrum, quod bona fide & legitimè poſſidet, ab *Eccleſia* teneat tametſi forſan ſummus *Pontifex*, & Doctores qui illi adhærent, prætendant *Regem* illum aut Principem illud ab *Eccleſia* tenere (ſicut quidam Pontifices & Doctores, præſertim Canoniſtæ *ius diuinum*, vt ait *Sotus, non callentes*, prætendunt Reges omnes vel fere omnes ſi non iure diuino, ſaltem iure humano, & ex *Principum* conceſſione eſſe Summi P*ontificis* Vaſallos, & Regna ſua à Summo P*ontifice* vel Eccleſia in feuda accepiſſe) non eſt licitum Summo P*ontifici*, etiam iuxta doctrinam ipſius *Leſsij* ſuperiùs [o] relatam, *Regem* illum aut *Principem*, ſub cuiuſcunque criminis prætextu è legitima ſua poſſeſſione, quamdiu ſub Iudice lis eſt, abſque apertiſſima iniuria deturbare, cum iuxta veriſſimam Iuriſprudentium regulam in iure naturali fundatam, *Iure dubio ſiue incerta melior ſit conditio poſſidentis*: Et quoniam probabile admodum eſt, lite hac pendente, *Principem* illum non eſſe *Eccleſia* Vaſallum, tametſi Summus *Pontifex*, & alij Doctores qui illi fauent id contendant, certiſſimum eſt, & iuxta notiſſima Theologiæ principia, meo quidem iudicio

[o] Part. 2. ſec. 6. nu. 2. 6.

dicio indubitatum, poſſe *Principem* illum tuta conſcientia contra quoſcunque, qui eum ſubtituli tantum probabilis prætextu, è legitima ſua poſſeſſione extrudere conantur, ius ſuum armata manu defendere, & in ipſos tanquam in hoſtes, & ſui Regni perturbatores inſurgere: Neque hęc doctrina ab aliquo viro erudito, qui adulari non cupit, in controuerſiam vocari poteſt. Nam *poteſtas quæ non eſt omnino certa ſed probabilis*, vt ipſemet *Leſsius* affirmat, *non poteſt eſſe fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, & iure ſuo ac Dominio priuetur. Sed talis poteſtas certiſſimè non dubie debet competere.* Vide ſuperius part. 2. ſec. 6.

15 Atque hæc mea *Reſponſio* ad duo iſta Concilij *Conſtantienſis* decreta, quæ *Leſſius* vrget, tũ generali illi principio à me ſæpiùs allato, & ab omnibus eruditis approbato, nempe nullas leges vltra poteſtatem Legiſlatoris extendendas eſſe, tum etiam ſententiæ *Almaini*, qui centum fermè annis à tempore illius Concilij floruit, & *quæ*, vt ipſe ait, *pleriſque Doctoribus placet*, innititur; nimirum, *non poſſe poteſtatem Eccleſiaſticam vllam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere, ſed ad ſolam pœnam Spiritualem extendi, vtputa Excommunicationem, reliquas autem pœnas, quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo*, ſeu, vt loquitur *Gerſon*, *ex conceſſione Principum eſſe*: Tum etiam ex cap. illo *Fælicis* de pœnis, cuius *Concilium* meminit, ſatis perſpicuè confirmatur. Conſtat enim decretum illud *Bonifacij* 8. ſolùm loqui de amiſſione feudorum, locationum, officiorum &c. quę ab Eccleſia perſonæ illæ obtinent, &, quod ad alias pœ-

tēporales attinet, inferiores tantùm perſonas, præſertim Eccleſię *Romanæ* tēporaliter ſubiectas complecti. *Si quis deinceps,* inquit *Bonifacius, in ſacrilegij genus irrepſerit, quòd ſanctæ Romanæ cleſiæ Cardinalem fuerit hoſtiliter inſequutus, vel cuſſerit, aut ceperit &c. ſicut reus criminis læſæ Maieſtatis perpetuò ſit infamis, diffidatus nihilominus bannitus, ſit inteſtabilis —— nullus ei debita ddere, nullus reſpondere in iudicio teneatur, quic- d etiam in bonis inuenitur ipſius fiſci vel reipub- a dominio applicetur —— Si qua verò feuda, loca- tiones, officium vel beneficium ſpirituale vel tem- porale ab aliquibus Eccleſijs obtinet ſit eis ipſo iure riuatus, quæ ſic liberè ad Eccleſias reuertantur, d Eccleſiarum Rectores de ipſis pro ſua voluntate ſponant. —— Per hoc quoque Secularibus poteſta- ibus non adimimus facultatem vtendi legibus contra les, quas aduerſùs ſacrilegos Catholici Principes diderunt.* Et tandem concludit. *Quapropter ſi Princeps, Senator, Conſul, Poteſtas, vel alius Domi- ſiue Rector contra præſumptores prædictos præ- ſentis conſtitutionis tenorem non fecerit obſeruari, tam ipſe quàm Officiales ipſius infra menſem (poſt- quàm res ad notitiam eorum peruenerit) eo ipſo ſen- tentiam excommunicationis incurrant.*

16 Non igitur *Canon* iſte, quod ad pœnas temporales attinet, *Principes* ſupremos, quà tales ſunt, qui crimen *læſæ Maieſtatis* incurrere non poſſunt, ſed inferiores tantùm perſonas, pręſertim Eccleſiæ temporaliter ſubiectas comprehendit, neque Principes ipſos ſupremos neque eorum ſubditos abſque eorum conſenſu, niſi quoad ea feuda, locationes, officia, aut beneficia tempo-

ralia quę ab Eccleſijs obtinent, aut ligat, aut (quamdiu de hac re certant Scholaſtici an Papa poſſit *Principes* dominijs ſuis quæ ab Eccleſia non obtinent priuare) obligare poteſt. Et proinde omnia decreta & Canones Eccleſiaſticos, in quibus pœna aliqua temporalis, veluti honoris, dignitatis, officij, aut beneficij ſecularis priuatio, infligenda decernitur, vel inferiores tantum Dominos ex ſupremorum conſenſu comprehendere, vel ſi *Reges*, alioſque Dominos ſupremos in illis comprehendi velimus, de illis tantum honoribus, dignitatibus, officijs, & beneficijs ſecularibus, quæ ab Eccleſia obtinent, iuxta ſententiam quæ *pleriſque Doctoribus placet*, ea decreta intelligenda eſſe, commodè Reſponderi poteſt.

SECTIO VI.

In qua decimum quartum, *&* decimum quintum *incommodum ex Concilio* Lateranenſi *vltimo*, *&* Tridentino *deſumpta refutantur.*

1 D*Ecimo-quartò ſequitur*, ait *Leſsius*, [a] *ſimili modo erraſſe Concilium* Lateranenſe *ſub* Leone 10. *ſeſſ.* 9. Primò *cum ſtatuit, vt ſecular Principes qui occupant, aut detinent prouentus Eccleſiarum, monaſteriorum, beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſi moniti nolunt reſtituere, aut deſiſtere, præter Excommunicationis & Interdicti cenſuram, ipſorum & ipſis ſubditorum bona, vbicunque reperta fuerint, capi & retineri poſſunt; & ipſi omnia feuda & priui-*

[a] Nu. 65. pag. 107.

uilegia, quæ ab Eccleſia obtinent, amittant,
aſque pœnas contra violatores & oppreſſores Eccle-
ſticæ libertatis à Romanis Pontificibus ſtatutas in-
urrant; quas omnes ibi innouat, & perpetuum fir-
tatis robur habere decernit. Et paulo poſt contra
imiles violatores, qui ipſas perſonas Eccleſia-
ſticas indignis modis tractant & opprimunt, in-
nouat omnes pœnas cap. Felicis: quarum pleraſque
mporales eſſe conſtat, vt oſtenſum eſt. Similiter
nouat omnes pœnas Clement. Si quis ſuadente, è
quibus etiam aliquæ ſunt temporales. Denique, in
eodem Concilio ſeſſ. 11. innouatur & approbatur con-
ſtitutio Bonifacij 8. quæ incipit, Vnam ſanctam,
n qua multa huc pertinentia continentur, nimirum
n Eccleſiæ poteſtate eſſe duos gladios, ſpiritalem &
temporalem: Temporalem poteſtatem ſubijci ſpiri-
tali, & illam ab hac debere iudicari ſi à recto de-
uiarit: Supremam poteſtatem ſpiritalem à ſolo Deo
iudicari: Eſſe neceſſarium ad ſalutem, vt quis Ro-
mano Pontifici ſubijciatur.

2 Nec obſtat, quòd in illa Conſtitutione ad-
ducantur duo loca Scripturæ, quorum conſtat alium
eſſe ſenſum literalem; quia etſi in ſenſu literali non
probent; ſatis tamen probabiliter rem oſtendunt in
ſenſu ſpiritali & allegorico; quomodo ibi à Boni-
facio & S.Bernardo adferuntur. Duo enim illi gla-
dij, de quibus Apoſtoli Luc. 22. Ecce duo gladij hîc,
optimè poſſunt per allegoriam deſignare duplicem pote-
ſtatem, quæ eſt in Eccleſia (quam & ipſa domus, in
qua Apoſtoli erant, deſignabat) ſpiritalem & tem-
poralem, ſicut Sanctus Ambroſius in illum locum
illis gladijs nouum & vetus Teſtamentum adumbra-
ri putat.

3 *Simili modo locus iſte Ieremiæ cap.* 1. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, &c. *etſi ſenſu literali intelligi debeat de munere prophetandi, & regnorum ortus & occaſus populis annunciandi; tamen ſenſu myſtico rectè accipi poteſt de authoritate data* Chriſto *Domino à Patre, & per illum participata Pontifici Romano eius Vicario, puniendi Principes, & populos Eccleſiæ ſubiectos, ſi ad impietatem deflectant; & extollendi ac fouendi, ſi pietatem coluerint. Ieremias enim geſſit figuram Chriſti Domini.*

4 *Nec refert quòd non ſatis conſtet de ſenſu allegorico. Sufficit enim eſſe probabilem, & nonnullis ſanctorum Patrum vſurpatum. Non enim neceſſe eſt, omnia argumenta eſſe demonſtratiua, cùm ipſe Dominus interdum rationibus duntaxat probabilibus vſus ſit. Non enim tales rationes inducuntur ad conuincendum animum, ſed ad inſtruendum credibili modo ad aſſenſum. Vnde veritas aſſertionis vel definitionis huiuſmodi argumentis non nititur. Qua de re plura ſuprà diximus, & ipſe aduerſarius fatetur, vt oſtenſum eſt. Hæc dixerim paulo fuſiùs ob controuerſiam, quæ mihi cum quodam de illa conſtitutione interceſſit.*

5 Sed imprimis *Leſſius* meminiſſe debuiſſet, quid Cardinalis *Bellarminus* de iſto *Lateranenſi* Concilio ſcripſerit. Bell. lib. 2. de Conc. cap. 13. *Et quamuis poſtea*, inquit, *in Concilio* Florentino, *&* Lateranenſi *vltimo videatur quæſtio definita*, (nempe Pontificem eſſe Concilio Oecumenico ſuperiorem) *tamen quia* Florentinum *Concilium non ita expreſsè hoc definiuit, & de Concilio* Lateranenſi, *quod expreſſiſſimè rem definiuit, nonnulli dubitant, an fuerit verè ge-*

nera-

erale, ideo vſq; ad hunc diem quæſtio ſupereſt etiam ter Catholicos. Ex qua doctrina aperte ſequitur, Concilium hoc *Lateranenſe* non ita generale, & Oecumenicum à fidelibus habendum eſſe, vt vel *expreſſima* eius definitioni certa fides neceſſariò adhibenda ſit, ſed de illius veritate etiam inter Catholicos quæſtio eſſe queat. Quare *Andreas Duuallius* in Academia Pariſienſi Regius Theologiæ Profeſſor non obſtante quòd iſtud Concilium *Lateranenſe expreſſimè*, ſi *Bellarmino* credendum ſit, *definierit*, Papam Concilio *Oecumenico* ſuperiorem eſſe, ingenuè fatetur, contrariam opinionem neque eſſe *hæreticam*, neque *erroneam*, neque *temerariam temeritate opinionis*. Nam temeritas illa obedientiæ, quam *Duuallius*, vt opinioni Card. *Bellarmini* aliquo modo fauere videretur, confinxit, è ſuo cerebro, & abſque vllo probabili fundamento excogitata eſt. Si enim opinio *Pariſienſium* Theologorum nec *hæretica*, nec *erronea*, nec *temeraria* eſt, ex conſequenti erit *probabilis*, & proinde qui eam ſpeculatiuè ſequitur, ab omni *inobedientiæ*, *ſcandali*, alteriuſuè criminis nota iuxta communem Theologorum ſententiam excuſandus eſt. Quomodo autem opinio *ſpeculatiuè* probabilis in ordine ad *praxim* non ſit probabilis, neque fundamentum eſſe poſſit, quo aliquis immediatè puniatur, etiam iuxta ipſius *Leſſij* doctrinam, ſuperiùs declaratum eſt.

Duual. de ſuprema Rom. Pont. in Eccleſiam poteſtate part. 4. q. 7. pag. 549.

6. Ad iſtius autem *Lateranenſis* Concilij authoritatem infirmandam alias Reſponſiones adhibet etiam *Duuallius*. *Quidam enim*, inquit, *aiunt, non fuiſſe verè & propriè generale, cùm ei vix centum Epiſcopi interfuerint. Alij dicunt, caput illud*

illud 11. in quo de authoritate Concilij ſupra Pontificem mentio fit, à Concilio non fuiſſe diſcuſſum, aut examinatum, ſed tantùm perlectum coram Prælatis Concilij, qui ſine prævio examine illud approbarunt, ideoque dici non poſſe conciliariter concluſum, & definitum, ſicut de Concilij Conſtantienſis *definitione dictum eſt. Alij ſic rem expediunt: Etiamſi, inquiunt, Concilium abſolutè fuiſſet generale (quod adhuc propter Epiſcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipſam vt decretum fidei Catholicæ non definiuit; nulla enim in verbis Concilij nota apparet, ex qua fidei definitionem colligamus, nam nec anathema pronunciat in eos qui contrà ſentient, nec dicit ſe hoc expreſsè & propriè definire, aut eſſe de neceſſitate ſalutis ita credere, vel quid ſimile, ex quo expreſſa definitio colligatur.* Hæc *Duuallius.*

7 *Reſpondetur* nihilominus *ſecundò*, prædicta omnia huius Concilij decreta, quæ *Leſſius* vrget, iuxta meam doctrinam commodè exponi poſſe, eo modo quo cætera *Pontificum*, & *Conciliorum* decreta antea explicauimus. Nam vel decreta hæc non ius aliquod conſtituunt, ſed ſolùm declarant, non eſſe licitum *Principibus*, eorumque ſubditis abſque licentia debita bona, fructus, reditus, aut prouentus Eccleſiarum, monaſteriorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum ſequeſtrare, vel occupare, & ſi forte ea ſequeſtrauerint, vel occupauerint, ſtatim & ſine mora ſub pœna Excommunicationis aut Interdicti reſtituenda eſſe. Et ſi admoniti reſtituere noluerint, poſſe Eccleſiaſticos bona ſua, vbicunque ea repererint, licitè (quod ad fo-

rum

um conſcientiæ attinet, ſecluſo ſcandalo) capere & detinere: Vel ſi decreta illa iuris conſtitutiua ſunt; aut decernunt, illorum *Principum*, qui Romani *Pontificis* aut *Eccleſiæ* Vaſalli ſunt, eiſdemque ſubditorum bona, ſi moniti parere noluerint, vbicunque fuerint reperta, capi & retineri poſſe, donec ſatisfecerint; aut priuant contrafacientes feudis & priuilegijs quæ ab Eccleſia obtinent, vti *Concilium* expreſsè aſſerit; aut ſi alias pœnas temporales infligant, non *Principes* ſupremos, ſed inferiores tantùm ex ſupremorum conſenſu, ob rationem ſæpiùs allatam comprehendit, quia nimirum nulla lex vltra poteſtatem *Principis*, qui eam condit, extendenda eſt, & poteſtas Eccleſiaſtica, iuxta ſententiam *Almaini*, & quæ *pleriſque Doctoribus placet*, nullam pœnam ciuilem, vt eſt bonorum priuatio, ex inſtitutione diuina infligere poteſt.

8 Si quis autem omnino contendere velit, iſtud Concilium *Lateranenſe* vltimum non ſolùm inferioribus Dominis, ſed etiam *Imperatoribus*, *Regibus*, alijſque *Principibus* ſupremis, qui Summo *Pontifici* in temporalibus nullatenus ſubduntur, pœnas temporales infligendas decernere, & verba illa [*Et vt eorum ac eiſdem ſubditorum bona vbicunque reperta fuerint, ſi moniti parere noluerint, capi & retineri poſſint*] non ſint declaratiua iuris eo modo quo explicauimus, ſed pœnam illam temporalem, nempe bona ipſorum vbicunque fuerint reperta, confiſcanda, vel à quouis capienda, aut prædæ exponenda eſſe, (nam quis ſit ſenſus illorum verborum non ſatis perſpicuũ eſt) aduerſus quoſcunq; etiam *Prin-*

cipes ſupremos decreto propriè conſtitutiuo decernant, non maius quin multo minus incommodum eſt illis Catholicis, qui ſententiam *Almaini*, & *quæ pleriſque Doctoribus placet*, de poteſtate Eccleſiaſtica pœnas temporales ex inſtitutione diuina non infligendi ſequuntur, aſſerere, erraſſe *Concilium* in hoc reformationis decreto (cum præſertim neque à *Concilio* diſcuſſum & examinatum, ſed tantum coram Prelatis Concilij, & à plurimis forſan neq; intellectum, & proinde non conciliariter, & cum præuio examine ab ipſis concluſum, definitum, & approbatum fuerit, ſicut Aduerſarij ad *Conſtantienſis* Concilij decretum reſpondent) quàm ſit incommodum Theologis *Pariſienſibus* affirmare, idem Concilium *Lateranenſe*, vtpote non *Oecumenicum* in multis decretis, immo & in dogmate fidei expreſſimè, ſi Card. *Bellarmino* fides adhibenda ſit, definiendo erraſſe: Vnde tota illius ſtudij *Pariſienſis* Vniuerſitas anno Domini 1517. die 17. Martij à quibuſdam decretis à *Leone* decimo in Concilio *Lateranenſi* editis ad proximè futurum Concilium generale appellauit, neque inde aliquod naſci incommodum exiſtimauit.

vide iſtam *appellationē* apud *Bochel.* l. 8. tit. 25. c. 8.

9 *Denique* ad Clementinam, *Si quis ſuadente*, & cap. *Felicis*, Bonifacij Octaui iam ſupra reſpondimus. Illa autem eiuſdem *Bonifacij* 8. Extrauagans, *Vnam ſanctam*, noſtræ ſententiæ, vt alibi [b] fuſè oſtendimus, nequaquam aduerſatur. Atque inprimis *Andreas Duuallius* hanc conſtitutionem *Bonifacij* breuiter ita expedit: [c] *Ad Bonifacium procliuis eſt reſponſio; quia* Bonifacius *etſi vtriuſque gladij ſpiritualis & temporalis mentionem faciat, hanc-*

[b] In *Confutat.* Anglic. *Tho. Fitzh.* part. 2. c p 9.

[c] part. 2. q 4. pag. 262. 263.

bereque ſub illo eſſe in progreſſu ſue conſtitutionis dicat ; in definitione tamen ſeu concluſione (cuius potiſſimùm ſicut & in Conciliorum decretis habenda eſt ratio, cùm hæc ſola ad credendum obligationem inducat) hoc tantùm in genere pronunciat ; Porro eſſe de neceſſitate ſalutis omnis humanæ creaturę ſubeſſe (*ſcilicet in ſpiritualibus*) Romano Pontifici declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus. *quod ſanè veriſſimum eſt.* Et paulo infra, *In definitione*, inquit, *Bonifacij nullum extat verbum huiuſce temporalium ſubiectionis, licèt in præmiſſis, quæ ſunt ad definitionem apparatus, & quibus inniti videtur definitio, illud expreſſè habeatur. Sed in his præmiſſis, vt omnes norunt, infallibilitas Pontificum & Conciliorum non eſt ſita ; poteſt enim rationibus definitionum error obrepere, non tamen definitioni, vt ſuprà oſtendimus.*

10 Ego tamen exiſtimo, verba iſtius Decretalis, *Vnam ſanctam* (quæcunque fuerit mens *Pontificis*) non ſolùm in ipſa definitione, & concluſione, verùm etiam in præmiſſis, apparatu, & progreſſu commodè exponi poſſe in eo ſenſu, quo verba *S. Bernardi*, quem Papa *Bonifacius* in illa conſtitutione imitatus eſt, intelligenda eſſe alibi declarauimus, & contra D. *Schulckenium* fuſe comprobauimus ; [d] nempe, gladium ſeu poteſtatem temporalem ita ad *Eccleſiam* pertinere, & ſpirituali ſubijci poteſtati, vt quotieſcunque *Eccleſia* neceſſitas poſtulauerit, ſit pro *Eccleſia* non ab *Eccleſia*, militis non ſacerdotis manu, ad nutum quidem ſeu directionem *Sacerdotis*, ſed ad iuſſum *Imperatoris* extrahendus : & præterea poteſtatem temporalem, quæ etiam quoad dignitatem

[d] Loco iam cit.

tem & perfectionem ſpirituali ſubeſt, ſi à recto deuiauerit, à ſpirituali pœnis ſpiritualibus non temporalibus coercendam eſſe, & denique quemlibet Chriſtianum, etiam *Principes* ſupremos, *Romano* Pontifici in rebus tantùm ſpiritualibus, non tēporalibus, in quibus ipſimet *Principes* ſupremi, non ſubditi ſunt, ſubijci oportere. Illa vero argumenta, quæ *Leſſius* affert ex *Luc.* 12. de duobus gladijs, & ex illis verbis *Ierem.* cap. 1. *Ecce conſtitui te &c.* cum ad ſummum probabiles coniecturæ ſint, & ſenſu allegorico, de quo certò non conſtat, nixæ, friuola planè ſunt, & Doctore Theologo indigna, ad dogma fidei certò comprobandum.

er n.66.p.111. 11 *Decimò quintò ſequitur*, ait *Leſſius*, e *errasse Concilium* Tridentinum *idque tribus locis.* Primò, *ſeſſ. 25. cap. 3. de Reformat. vbi mandat Iudicibus Eccleſiaſticis vt abſtineant à Cenſuris,* quando executio realis vel perſonalis ab ipſis propria authoritate fieri poteſt; *vbi ſupponit tanquam certum Iudices Eccleſiaſticos propria authoritate poſſe quaſdam pœnas temporales ſtatuere & exequi in res & perſonas Laicorum. Idem clariùs explicat verbis ſequentibus, vbi dicit;* Iudices Eccleſiaſticos poſſe procedere contra Laicos per mulctas pecuniarias, captionem pignorum, & perſonarum diſtrictionem per ſe vel alios exequutores faciendam. *Vide ſupra nu.* 16. *Si ſententia Aduerſariorum vera eſt; grauiſſimè & perniciosè hic errat Concilium falſam tradens inſtructionem, & iniqua mandata omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis imponens, & conſequenter omnia tribunalia iniurijs replens. Poterant etiam Laici ſententias eiuſmodi contemnere, & exequutoribus vi reſiſtere.*

12 Secundo, *errasse idem Concilium sess. 25. de reformat. cap. 19. vbi sic statuit:* Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac Iurisdictione & Dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur: & si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. *Quis non dicat hunc errorem esse grauissimum, & hoc decretum iniquissimum, & in omnes Principes iniuriosissimum, si Ecclesia talem potestatem non habeat?*

13 Tertio, *non minus grauiter & perniciose errasse idem Concilium sess. 25. cap. 20.* vbi confirmat & innouat omnes Canones a Conciliis generalibus, & summis Pontificibus in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editos. *Ac proinde confirmat & innouat cap.* Felicis, *& Clement.* Si quis suadente, *& Constitutionem Concilij* Lateranensis *sub* Leone 10. *de qua supra. Quæ omnia continent multas pœnas temporales, vt ostensum est.*

14 Sed falsum etiam est, ex mea sententia sequi, *Concilium Tridentinum* in aliquo ex his tribus locis, quæ *Lessius* vrget, errasse, aut pœnas temporales aduersus *Principes* supremos, sed solum aduersus inferiores *Principes*, Dominos, ac personas, vel Ecclesiæ temporaliter subiectos, vel *ex Principum* supremorum consensu, & authoritate illa Ecclesiastica quæ Prælatis Ecclesiasticis iure humano competit, decreuisse. Et quod ad

primum locum attinet, ſatis perſpicuum eſt, illum non de authoritate Eccleſiaſtica, quæ ex inſtitutione diuina, ſed quæ iure humano, & ex conceſſione aut conſenſu *Principum* Prælatis Eccleſiaſticis eſt propria, intelligendum eſſe. Atque hoc ipſum particula illa [*quandocunque*] & totius capituli contextus ſatis apertè ſignificat. *Mandatur* enim *omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis, cuiuſcunque dignitatis exiſtant, vt quandocunque in cauſis iudicialibus executio realis vel perſonalis in qualibet parte iudicij propria authoritate,* id eſt, quam ex iure humano, & ex conceſſione *Principum* acceperunt, *à ſeipſis*, abſque eo quòd auxilium brachij Secularis implorare teneantur, *fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo quàm definiendo à Cenſuris Eccleſiaſticis*; ſignificans, non poſſe Iudices Eccleſiaſticos quantæcunque dignitatis exiſtant, iure diuino & ſemper, tametſi cauſa adſit, ſed aliquando & in quibuſdam caſibus ſibi ex priuilegijs *Principum*, in cuius dominijs viuunt, conceſſis, pænas temporales ſtatuere & exequi in res & bona Laicorum.

15 Idem clariùs ſignificatur verbis ſequentibus, vbi dicitur; *Sed liceat eis, ſi id expedire videbitur, in cauſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus contra quoſcunque etiam Laicos per mulctas pecuniarias, & perſonarum diſtrictionem per ſuos proprios aut alienos exequutores faciendam, ſiue etiam per priuationem beneficiorum, aliaque Iuris remedia procedere, & cauſas definire.* Sed *Leſſius* verba hæc [*in cauſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus*] de induſtria forſan & doloſè prætermiſit, videns

idens illis verbis ſatis apertè ſignificari, authori- tem illam, quæ Iudicibus Eccleſiaſticis *cauſas uiles* per pænarum temporalium inflictionem determinandi competit, ipſis *Imperatorum* & *Principum* Chriſtianorum legibus & priuilegijs ſubnixam eſſe. Nam *cauſa ciuilis*, vt notat *Gloſſa*, *eſt, in qua agitur de poſſeſſionibus & pecunia.* Quis autem ignorat, cauſas ciuiles, & lites de poſſeſſionibus & pecunia ad forum Eccleſiaſticum ex priuilegijs *Principum*, pertinere, ſicut etiam Eccleſiaſtici ex eorum conceſſione dominia temporalia poſſident, atque inſuper Eccleſiaſticos iuxta communem Theologorum ſententiam (quam olim etiam Card. *Bellarminus* ſecutus eſt, ſed iam abſque ſufficienti fundamento, vt alibi [f] oſtendimus retractauit) in cauſis ciuilibus tam quoad perſonas, quàm quoad bona iure humano & ex priuilegijs *Principum*, non autem iure diuino à foro Seculari, ſeu tribunalibus Magiſtratuum Secularium exemptos eſſe? Vnde S. *Auguſtinus* trac.6. in cap.1. Ioannis; *Noli*, inquit, dicere, *quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & poſſeſſioni? Per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones.* Sicut igitur *Principes* Chriſtiani deuotionis ergo temporalia dominia & lites ciuiles in foro Eccleſiaſtico terminandi poteſtatem Prælatis Eccleſiaſticis conceſſerunt, ita non mirum quòd Iudicibus Eccleſiaſticis pænas quaſdam temporales etiam Laicis irrogandi ex eorundem *Principum* priuilegijs, indulgentia, aut conſenſu poteſtas competat. Vide etiam hunc locum Concilij *Tridentini* ſuperius explicatũ part.1. ſect.6. nu.26.27.

16 Vellem denique vt *Leſsius* ingenuè fateretur, vtrùm Concilium *Tridentinum* illis verbis

[*liceat*

Gloſſa in cauſam 11.q.1. in principio.

[f] In *Confut.* Anglic. *Tho Fitz*. part. 2. cap. 10.

[*liceat Iudicibus Eccleſiaſticis contra quoſcunque etiam Laicos procedere, & cauſas definire per diſtrictionem perſonarum*, *quod* Card. *Bellarmino*, alijſque plurimis eſt carceri mancipare] det licentiam Iudicibus Eccleſiaſticis *Principes* ſupremos in carcerem conijciendi? Nomine enim generali [*quorumcunque Laicorum*] *Imperatores*, *Reges*, *Principeſque* ſupremos etiam in pœnalibus comprehendi, vt antea vidimus,[g] ſæpenumero *Leſsius* affirmat. Dicimus igitur, decretum iſtud Concilij *Tridentini*, ſicut cætera omnia Conciliorum generalium decreta, quæ pœnas temporales infligunt, vel ſolùm perſonas Eccleſiæ temporaliter ſubditas comprehendere, vel ex conſenſu *Principum*, (de quo Prælati Eccleſiaſtici ad Eccleſiam in capite & membris reformandam in vnum congregati, niſi Principes contrarium vel directè vel indirectè declarent, meritò præſumere poſſunt) vim obligandi habere. Vnde decretum iſtud Concilij *Tridentini* in Francia à tribus Regni Ordinibus anno Domini 1593. tanquam conſuetudini illius Regni repugnans, eſt omnino reprobatum. [h] *Concilium*, inquiunt, *Tridentinum* ſeſſ. 25. cap. 3. *permittit Epiſcopis*, *& eorum Officialibus*, *vt procedant in cauſis*, *quæ ſuæ Iuriſdictionis ſunt*, *contra Laicos*, *non ſolùm per pecuniarias mulctas pijs locis applicandas*, *ſed etiam per captionem pignorum*, *& diſtrictionem perſonarum*, *quæ eſt apprehenſio corporum*. Hic articulus *eſt notoriè contra Franciæ vſum*, *innumeris Edictis confirmatum*, *qui Eccleſiaſticis iudicibus quaſi territorium non habentibus negat*, *quòd ſuas ſententias*, *aut iudicia captione pignorum*, *aut in-*

car-

Bell. in Tract. contra Bard. cap. 3.

[g] Part. 1. fere per totum.

[h] Apud *Bochel.* lib. 5. tit. 20. c. 45. pag. 917.

carceratione perſonarum quas condemnant, exequi poſſint. Et ſi ea via velint procedere, eos brachium ſeculare implorare oportet.

17 Quod attinet ad *ſecundum locum*, inprimis mirum eſt, quam parum concordes ſint Aduerſarij in pręcipuis fundamentis nouæ ſuæ Catholicæ (*ſcilicet* fidei ſtabiliendis, adeo vt vel ex hac ipſorum diſcordia, quam parum *Catholica* ſit prætenſa hæc eorum fides *Catholica* ſatis perſpicuè colligi queat. Cùm enim ego in mea *Apologia*[i] ad hanc eorum *fidem Catholicam* impugnandam trium Ordinum Franciæ, nempe *Prælatorum*, *Procerum*, & *Plebis* authoritatem produxiſſem, qui decretum iſtud Concilij *Tridentini* admittere noluerunt, eo quòd ſupremæ *Regis Chriſtianiſſimi* in temporalibus authoritati derogare exiſtimauerint, arbitrantes nimirum, in eo ſenſu accipi poſſe, vt *Principes* ſupremi dominijs ſuis temporalibus per authoritatem Eccleſiaſticam priuari queant (Ita enim contra decretum illud excipiunt,[k] *Concilium Tridentinum excommunicat & priuat Regem ciuitate illa vel loco, in quo permittit fieri duellum ſeſſ. 25. cap. 19.* Hic articulus *eſt contra authoritatem Regis, qui non poteſt priuari ſuo dominio temporali reſpectu cuius nullum omnino Superiorem recognoſcit*) Card. *Bellarminus* in ſuo *Schulckenio* reſpondet,[l] *Concilium* Tridentinum *non ſtatuere, vt Principes abſolutè priuentur ciuitate & loco vbi duellum permiſerint, ſed cum reſtrictione, vt priuentur ciuitate, caſtro, aut loco quem ab Eccleſia obtinent, vel quem in feudum habent: proinde Concilium non loquitur de Rege Francorum, aut alijs Regibus abſolutis, niſi velit*

Bochel-

[i] Num.31.

[k] Apud *Bochel.* lib.5.tit.20.cap.45. pag 917.

[l] Cap.3.ad nu.31.pag.122.

Bochellus *Regnum Franciæ donatum eſſe Regibus ab Eccleſia, aut Regem non eſſe directum Dominum ſed feudatorium. Magnæ igitur imprudentiæ & malignitatis fuiſſet ſacri Concilij verba tam odioſe deprauare, vt deprauauit* Bochellus, *quod de Cardinali de* Pelleue, *cæteriſque Prælatis præſumi non debet.*

18 Iam verò *Leſsius* hoc decretum Concilij de *Imperatoribus, Regibus,* & omnibus *Principibus* intelligendum eſſe contendit. Vnde ita vt vidiſtis concludit: *Quis non dicat hunc errorem eſſe grauiſsimum, & hoc decretum iniquiſsimum, & in omnes Principes iniurioſum, ſi Eccleſia talem poteſtatem* (nimirum deponendi Principes abſolutos, de hac enim poteſtate *Leſsius* loquitur) *non habet?* Sed meminerit *Leſsius* quid dicat Card. *Bellarminus, magnæ eſſe imprudentiæ & malignitatis verba ſacri Concilij tam odioſe deprauare, ſicut ipſe deprauauit,* ſi Card. *Bellarmini* ſententiæ ſtandum ſit. Neque enim error aliquis eſt aſſerere, poſſe *Concilium* generale ſtatuere, vt *Principes* illi, qui abſque controuerſia Eccleſiæ ſunt Vaſalli, ob quædam enormia delicta priuentur ciuitate, caſtro, aut loco quem ab *Eccleſia* obtinent, vel quem in feudum habent: neque tale decretum iniquum eſſet, aut in alios *Principes* ſupremos, qui in tali decreto non continentur, iniurioſum. Sed quia, vt alias obſeruaui, [m] Concilij verba obſcura ſunt, & de *Imperatoribus*, ac *Regibus* expreſſe loquuntur, & verba illa [*& ſi feudalia ſint directis Dominis ſtatim requirantur*] non habent tam apertè reſtrictionem ſicut priora, ſed de omnibus Dominis, tametſi Eccleſiæ Vaſalli non ſint, intel-

[m] In Confutat. Anglic. *Tho. Fitzh.* part.1.cap. 6. nu. 6.

ligi poſſunt, propterea *Ordines Franciæ* decretum iſtud ita intelligentes, illud tanquam *Regibus*, ac *Principibus* ſupremis iniurioſum reprobarunt.

19 *Denique*, quod ad *tertium locum* ſpectat, falſum etiam eſt, ex mea ſententia ſequi, Concilium *Tridentinum* in hoc decreto condendo vllatenus erraſſe. Cum enim iuxta ſententiam, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, probabile admodum ſit, poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pænam ciuilem ex inſtitutione diuina infligere poſſe, probabile etiam erit, generalia omnia tam *Conciliorum* quàm P*ontificum* decreta, quod ad pænas temporales attinet, vel perſonas tantùm Eccleſię temporaliter ſubiectas comprehendere, vel ex conſenſu P*rincipum* obligandi vim habere: Ideoque Concilium *Tridentinum* in hoc decreto, quod ſpectat ad pęnas temporales, non *Principes* ſupremos complecti in animo habuiſſe. Et propterea Concilium *Principes officij ſui admonendos eſſe* tantum cenſuit, *confidens eos, vt Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſia reſtitui, non tantùm eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitum erga Clerum, Parochos,* & *Superiores Ordines reuerentiam reuocaturos* &c. Et iterum prope finem decreti *admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, & Principes, ne ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijſue Dominis temporalibus ſeu Magiſtratibus, maximèque Miniſtris ipſorum quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, lædi patiantur, ſed ſeuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iuriſdictionem impediunt, animaduertant*. Ad cap. autem *Felicis*, & *Clement*.

Si quis ſuadente, & decretum Concilij *Lateranenſis* vltimi, quæ *Leſsius* denuo inculcat, ſuperiùs reſpondimus.

20 Iam *Leſſius* Lectori Catholico fucum faciens *ſeptem Concilia Oecumenica*, & *ſex Prouincialia* inani verborum oſtentatione iactat. *En tibi*, inquit, [n] *ſeptem Concilia Oecumenica, que manifeſtè tradunt, vel ſupponunt, hanc doctrinam de Eccleſiæ in temporalibus poteſtate, eaque in praxi vtuntur, & decreta maximi momenti ſuper ea fundant. Vnde ſi aduerſariorum ſententia vera eſt dicendum erit, omnia illa Concilia erraſſe in doctrina maximi momenti, & in plurimis grauiſsimi decretis ac morum præceptis, pernicioſa, iniqua, & ſacrilega mandata Eccleſiæ proponendo & imponendo. At quomodo cenſeri poteſt Catholicus, qui ita de Concilijs Oecumenicis, hoc eſt, de magno Chriſti Parliamento ſentit?*

[n] Nu. 67. pag. 113.

Omitto multa Concilia Prouincialia, in quibu (*vt ex hiſtorijs conſtat*) *eadem Doctrina probata: vt Concilium* Romanum *ſub* Gregorio 7. Beneuentanum *ſub* Victore 3. Placentinum *ſub* Vrbano 2. Romanum *ſub* Paſchali 2. Colonienſe *ſub* Gelaſio 2. Rhemenſe *ſub* Calliſto 2. *In hi enim ſententia* Gregorij *in* Henricum *eſt confirmata*.

21 Sed *Leſsius* more eorum, qui priuatum ſuũ ſpiritum pro ſacra Scriptura, veroque illius ſenſu venditare ſunt ſoliti, priuatas ſuiipſius, aliorumque quorundam Doctorum ſacrorum Conciliorum expoſitiones pro ipſis Concilijs Oecumenicis Lectori Catholico fraudulenter obtrudit. Neque enim illum eſſe ſacrorum Conciliorum

ſenſum quem ipſe prætendit, ex doctrina, quæ *pleriſque Doctoribus placet*, iam ſuprà commonſtrauimus. Concilijs *verè Oecumenicis* eorumque decretis omnem honorem debitum, vti decet Catholicum, libentiſſimè adhibeo; Sed quod Theologorum Scholaſticorum etiam multorum expoſitiones vel *ſacrarum Scripturarum*, vel *Conciliorum Oecumenicorum*, quando alij contrà pugnant viri docti, pro ipſis *Scripturis Canonicis* vel *Concilijs Oecumenicis* ab omnibus Catholicis neceſſariò habendæ ſint, indigniſſimum ſanè, & indubitatis Catholicæ fidei regulis, atque à Sanctis Patribus aſſignatis omnino repugnans eſſe affirmare non dubito.

22 Ad illa autem *ſex Concilia Prouincialia*, quæ omittere *Leſſius* artificiosè prætendens nequaquam prætermittit, etiam in dicta Præfatione hanc *Reſponſionem*, quam ipſe diſſimulat his verbis adhibui. „ [o] Legi equidem *Gregorium* ſeptimum in Synodo illa Romana *Henricum* depoſuiſſe, ſed quòd à Synodo illa, aut quòd Patribus omnibus conſentientibus & laudantibus depoſitus fuerit, nondum legi. In reliquis quinque Concilijs, *Beneuentano* ſub *Victore*, *Placentino* ſub *Vrbano*, *Romano* ſub *Paſchali*, *Colonienſi* ſub *Gelaſio*, & *Rhemenſi* ſub *Calixto*, nè verbum quidem de *Henrici* depoſitione, niſi depoſitionem cum excommunicatione confundamus, reperio. Et tametſi Imperator non ſolùm *in ſex Concilijs* memoratis, verùm etiam *à ſex illis Concilijs* Imperio priuatus fuerit, hinc tamen nihil de fide certum deduci poteſt, cùm depoſitio illa *Henrici*, non res fidei, ſed facti duntaxat eſſet, in quo tam

[o] nu.34

Pontifices, quàm *Patres* illi proprias ſequuti opiniones errare poterant; vt nunc taceam, *Concilia Provincialia* etiam à ſummo *Pontifice* approbata non ſolùm in generalibus morum, ſed fidei etiam decretis, ex doctiſſimorum tam Theologorum quàm Iuriſperitorum ſententia, errori obnoxia eſſe.

23 *Denique* legimus *Gregorium* ſeptimum in Concilio illo Romano, in quo Canon *No ſanctorum* conditus eſt, anno 1078. excommunicaſſe, ſeu *vinculo anathematis alligaſſe quemlibet, qui eius conſtitutionem circa cauſam Regis temerario auſu violaret, atque eum non ſolùm in ſpiritu, verùm etiam & in corpore, & omni proſperitate huius vitæ authoritate Apoſtolica innodaſſe, & victoriam eius in armis abſtuliſſe, vt ſic ſaltem confundantur & duplici confuſione & contritione conterantur*: Iam libenter vellem, vt *Leſſius* ingenuè, & abſque vlla tergiuerſatione nobis declararet, qualis, & cuius generis ſit hæc *authoritas Apoſtolica* aliquem non ſolùm *in ſpiritu* verum etiam & *in corpore*, & *omni proſperitate huius vitæ innodandi*, & *victoriam eius in armis auferendi*, & an ſit ſimilis illi *authoritati Apoſtolicæ*, qua *Gregorius* Imperatorem depoſuit, & omnem poteſtatem & dignitatem, regnumque *Teutonicorum* illi abſtulit, & ſubditos ab eius fidelitate liberauit.

SECTIO VII.

In qua poſtrema quinque incommoda *prioribus ſubnixa*, (*nempe*, quòd Eccleſia iam à 500. annis conciderit; *quòd* Chriſtus nobis impoſuerit; *quòd* Principes habeant iuſtam cauſam recedendi ab Eccleſia, & poſsint perſequi Catholicos, qui antiquam doctrinam tenent, & Sedi Apoſtolicæ adhærent, *& denique quòd* poterit haberi ſuſpecta tota fides Chriſtiana tanquam inuenta ab Eccleſiaſticis politiæ cauſa) *perſpicuè diſſoluuntur*.

1 QVinque nunc tantùm *incõmoda* reſtant diſcutienda, quæ omnia cùm falſo huic fundamento innitantur, quòd Eccleſia ex mea ſententia in generalibus decretis tam fidei quàm morum ſtabiliendis iam per multa ſecula perniciosè errauerit, (quod tamen iam ſatis refutauimus) ſuperuacaneum planè eſſet ea hoc loco repetere, niſi *Leſſius* inde anſam arriperet apud imperitos gloriandi, me quædam ex præcipuis eius argumentis de induſtria diſſimulaſſe.

2 Igitur *decimo ſexto ſequitur*, ait ille, [a] *portas inferorum præualuiſſe contra Eccleſiam, eamque iam à 500. & ampliùs annis concidiſſe. Nimirum hoc eſt myſterium quod Diabolus cuperet omnibus*

[a] nu. 68. pag. 114.

eſſe perſuaſum. Cùm enim videat adhuc multos eſſe, qui vel ex imperitia id non aduertunt, vel quòd nomine gaudeant Catholico, non audent apertè & expreſſè fateri, conatur vtroſque ſub prætextu quæſtionis politicæ ſenſim ad hoc diſponere. Obtento enim antecedente, quod ad politiam pertinere videtur, facilè obtinebit conſequens, quod ex eo neceſſariò ſequitur.

3 *Porro illud ſequi ex aduerſariorum Doctrina perſpicuum eſt. Quomodo enim poteſt eſſe vera* Chriſti *Eccleſia, contra quam Diabolus ita præualuit, vt eam in manifeſtos contra Ius naturæ, & omnem æquitatem errores impulerit? Quam ita ambitione excæcauit, vt ipſa falſam & pernicioſam doctrinam de ſua in temporalibus excogitaret, tamque tanquam à* Chriſto *traditam, & in ſacris Scripturis comprehenſam toti orbi proponeret? Quæ & in omnibus tribunalibus aduerſùs Laicos, & in omnibus regnis aduerſùs Principes, & ſummos Magiſtratus ad eos imperio deijciendos, & ſuis Dominijs exuendos vteretur? Illa non eſt vera* Chriſti *Eccleſia, quæ docet pernicioſos errores tanquam doctrinam à* Chriſto *traditam, & Scripturis contentam. Nam vt ait Apoſtolus 1 ad Tim.* 3. Eccleſia Domus Dei viui eſt, columna & firmamentum veritatis. *Atqui ſi vera eſt Aduerſariorum ſententia, Eccleſia Romana (ſub qua intellige omnes alias Romanæ cohærentes) iam à 500. annis docuit pernicioſos errores tanquam Doctrinam à* Chriſto *traditam, & in Scripturis comprehenſam: Ergo ipſa non eſt vera Chriſti Eccleſia.*

4 Rurſus. *Illa non eſt* Chriſti *Eccleſia, quæ* con-

ndit decreta per ſe iniqua & populo Chriſtiano pernicioſa. Atqui Aduerſariorum iudicio Eccleſia Romana iam à 500. annis condidit decreta per ſe iniqua, & populo pernicioſa: nimirum quibus populus incitaretur, immo & Cenſuris compelleretur ad inobedientiam, rebellionem, ſeditionem, periuria, & ad officia omnia fidelitatis, vectigalia, ac tributa ſuo Principi deneganda, & ad eum ſolio deturbandum. Ergo Eccleſia Romana *non eſt vera* Chriſti *Eccleſia, ſed fuit antea extincta.* Maior *patet; Quia communis ſententia Theologorum eſt, Eccleſiam* Chriſti *non ſolùm in Doctrina non poſſe errare docendo aliquid tanquā verum, quod eſt falſum, aut contrà; ſed neque in præceptis morum præcipiendo aliquid quod eſt illicitum vel iniuſtum, tanquam licitum & iuſtum. Quod etiam clarè colligitur ex Scripturis, vt ſtatim oſtendam. Non enim minùs pernicioſa eſſent omnibus iniqua præcepta, quàm falſa Doctrina; immo magis; quia in Doctrina facilius poſſent excuſari.* Accedit, *quòd omnia iniqua decreta etiam falſam Doctrinam contineant, quia iudicant rem eſſe iuſtam vel licitam.*

5 Item, *ſi Eccleſia in iſtis erraret, etiam in cæteris errare potuit, ac proinde non teneor ei credere aut obedire. Atqui illa Eccleſia cui non teneor credere & obedire, non eſt Eccleſia* Chriſti. Maior *eſt perſpicua. Si enim vel in vno puncto religionem vel mores tangente errauit; ergo non habet infallibilem Spiritus Sancti, à quo in omnibus dirigatur, aſſiſtentiam; ac proinde ſicut in vno errauit, ita poteſt errare in alijs. Si errauit circa propriam poteſtatem (quæ maximè ipſi perſpecta eſſe debebat propter aſſiduum vſum, & plurima decreta quæ*

illa nituntur, & ad grauiſſima incommoda cauenda, quæ ex errore illo ſequutura erant) multò faciliùs potuit errare circa Sacramenta, circa librorum canonicorum notationem, circa ſcripturarum expoſitionem, circa myſterium Trinitatis, & Incarnationis, &c. Et ſic nihil habebimus certi, nec tenebimur illi fidem firmam & indubitatam adhibere. Si errauit in decretis morum, & pernicioſos, iniquos, & iuri naturali repugnantes canones & præcepta condidit, cur cæteros ipſius canones magni æſtimem, aut ſuſpectos non habeam? Si ex ambitione Summi Pontificis peruerterunt veterem Eccleſiæ Doctrinam de poteſtate Eccleſiæ, & multa Concilia non ſolùm Prouincialia, *ſed etiam* Oecumenica *in hanc corruptelam conſenſerunt, eamque laudarunt, & ſuis decretis corroborauerunt, vnde erimus ſecuri nihil ſimile contigiſſe in cæteris Eccleſiæ dogmatibus?*

6 Denique, *illa non eſt Eccleſia* Chriſti, *quæ ſua gubernatione ſuiſque præceptis oues Chriſti non dirigit ad ſalutem, ſed præcipitat in damnationem; cuius ductum ſi ſequaris, ſi fidem ei adhibes & obtemperas, perijſti: ſi contemnis, & reniteris, ſaluus es: Atqui talis eſt* Romana Eccleſia *in ſuis præceptis & dogmatibus, vt aduerſarij volunt: Ergo non eſt Eccleſia Chriſti. Omitto alia quæ hîc adduci poſſent. Ex quibus perſpicuum eſt, ex illo dogmate aduerſariorum Eccleſiam* Chriſti *penitus è medio tolli, & aliam quæ non ſit* Chriſti *ſubſtitui: ac proinde fatendum veram Eccleſiam Chriſti iam à multis ſeculis concidiſſe, prout hæretici docent. Quæ cùm penitus hæretica ſint, manifeſtum eſt hæreticum eſſe dogma, vnde illa ſequuntur.*

7 *Decimò ſeptimò ſequitur*, Chriſtum *fefelliſſe & nobis impoſuiſſe (quod vel ſuſpicari impium eſt) quando Matth.16. dixit quòd* portæ inferi aduerſus Eccleſiam ſuam non præualebunt : *Quando Matth. vlt. promiſit, ſe adfore Eccleſiæ ſuæ* omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. *Quando iuſſit nos Eccleſiæ ſuæ abſolutè obedire, eiuſque leges & præcepta ſeruare*, *Matth.*23. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite, ſecundùm vero opera eorum nolite facere. *Et Luc.*10. Qui vos audit me audit: qui vos ſpernit me ſpernit. *Matth.* 18. Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Ex quibus alijſque teſtimonijs apertè colligitur*, Chriſtum *docere Eccleſiam non poſſe concidere, nec in Doctrina, aut directione fidelium errare: ac proinde omnes ſtudioſiſſimè teneri illi obedire: adeo vt ſi quis ei parere recuſet, ille habendus ſit tanquam Ethnicus, & publicanus. At quomodo iſta vera ſunt, ſi Eccleſia in grauiſſimis rebus aliquando errat? ſi leges iniquas condit, quas teneor contemnere? ſi ſuis decretis orbem* Chriſtianum *ad inobedientiam, ſeditiones, periuria, aliaſque iniurias impellit, & ſuis cenſuris cogit? Quomodo ille nos non decipit, & errare compellit?*

8 Sed omnes iſtæ conſequentiæ falſo fundamento & principio innituntur, vt antea commonſtrauimus. Sicut enim ex mea ſententia non ſequitur, *Eccleſiam vniuerſalem*, quæ eſt *columna & firmamentum veritatis*, & cui *Chriſtus* Dominus promiſit, *portas inferi non eſſe aduerſus eam præualituras*, in generalibus fidei, aut morum de-

cretis (in quibus duntaxat condendis *Christus* Dominus ex communi Theologorum ſententia infallibilem *Sancti ſpiritus* aſſiſtentiam promiſit) erraſſe; ita etiam neque ex ea conſequens eſt, portas inferorum præualuiſſe aduerſus *Eccleſiam*, vel eam per tantillum temporis concidiſſe, ideoque nec *Christum* Dominum nos feſelliſſe, aut nobis impoſuiſſe, quando dixit, quòd *portæ inferi aduerſus Eccleſiam ſuam non præualebunt &c.* Sed has omnes conſequentias falſiſſimo fundamento nixas & ſuperflua verborum prolixitate amplificatas *Leſſius* ad inuidiam mihi conflandam, & me tanquam hæreticum apud imperitos, ſuiſque dictis tanquam oraculo credulos traducendum, nimiùm contumelioſè, ſummamque per iniuriam è proprio ſuo cerebro effinxit. An autem *Eccleſiæ* omnes particulares diuiſim ſumptæ, etiam in generalibus tam fidei quàm morum decretis errauerint, aut errare queant, & vtrùm ſingula illa, quæ iam adduxit argumenta, ſolida & firma ſint, iam non diſputo; ſufficit enim mihi, quòd nullum omnino incommodum ex ijs quæ iam attulit, contra *Eccleſiam vniuerſalem*, quæ *ſponſa eſt Christi*, & *domus Dei viuentis &c.* ex mea ſententia conſequatur.

b Nu. 73. pag. 121. 9 *Decimò octauò ſequitur*, ait *Leſſius*, [b] *Principes & omnes Laicos habere iuſtam cauſam recedendi ab Eccleſia. Si enim Eccleſia ex ambitione commenta eſt illam Doctrinam de ſua in temporalibus poteſtate, vt ſpecie religionis Iuriſdictionem Principum, & Laicorum fortunas inuaderet, & in eum finem iniquiſſima decreta condidit (vt expreſſe docent aduerſarij) quomodo illi inducent in animum, vt credan*

rent

am Spiritu Dei regi? Cur non poſſint etiam in alijs decretis & definitionibus eam habere ſuſpectam tanquam Spiritu humano gubernatam? Si ſuſpecta haberi poteſt, tanquam Spiritu humano gubernetur, cur teneantur ei tanquam Eccleſiæ Chriſti (quæ Spiritu diuino regitur, neque in Doctrina aut præceptis morum quæ fidelibus communiter proponit, errare poteſt) adhærere?

10 Sed *inprimis* falſum eſt, ex mea doctrina ſequi, vt ſæpiùs diximus, *Eccleſiam* vniuerſalem in generalibus fidei aut morum decretis quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, errare vel per ignorantiam poſſe. *Deinde* falſiſſimum eſt, *me expreſſe docere*, vt *Leſsius* per ſummam impudentiam comminiſcitur, vel *Eccleſiam vniuerſalem*, vel *Romanam particularem*, vel *Gregorium* 7. aut alium ex Romanis Pontificibus *ex ambitione commentos eſſe illam doctrinam de ſua in temporalibus poteſtate, vt ſpecie religionis Iuriſdictionem Principum, & Laicorum fortunas inuaderent, & in eum finem iniquiſſima decreta condiderint.* Neque enim mihi vnquam animus erat aſſerere, doctrinam hanc pro poteſtate Papali *Principes* deponendi à *Gregorio* 7. ex ambitione, (nam conſcientiam internam, quę ſoli Deo nota eſt, ſoli Deo iudicandam relinquo) ſed potius ex zelo, tametſi non ſecundùm ſcientiam, primò adinuentam, & poſtea à quibuſdam eius Succeſſoribus propugnatam eſſe; (an autem hæc eorum ignorantia eos ab omni culpa coram Deo & in foro conſcientiæ immunes reddat, penes Deum, vt ſuprà diximus, & eorum conſcientias iudicium eſto.) Et propterea huiuſmodi conſequentię, quas *Leſsius* nimis inconſi-

deratè, ne dicam perniciosè vrget, vanæ ſunt & iniurioſę, [c]& magis ſpiritum maleuolentię quàm charitatis, & inuidiæ viris Catholicis concitandę, quàm veritatis ſincerè inueſtigandæ ſtudium redolere videntur.

[c] Vide ſupra ſec. 1. nu. 7.

11 *Demum*, non video quid mentem *Leſſij* adeo excæcauerit, (niſi forſan vt me tanquam hæreticum apud Catholicos traduceret) vt tam imperitas, & pernicioſas conſequentias conficeret, ex quibus quilibet Catholicus non ſolùm à *Romana Eccleſia* recedendi, & *Romano Pontifici* obedientiam ſubtrahendi, verùm etiam temporalem fidelitatem *Principi* ſuo alioquin legitimo, ſi iniqua præceperit, denegandi, iuſtam occaſionem, iuxta Catholicorum Doctorum principia, capere poteſt. Similia enim argumenta *ex vna* præmiſſa quam Doctores Catholici ponunt, & *ex alia* quam *Leſsius* nimis inconſideratè ſupponit, contra obedientiam *Eccleſiæ Romanæ*, *Romano Pontifici*, & *Principibus Secularibus* debitam confici poſſe, meo quidem iudicio ſatis manifeſtum eſt. Nam *primò* Theologi *Pariſienſes*, quorum ſententiam plurimi alij Doctores Catholici vel ſequuntur, vel vt improbabilem non reijciunt, exiſtimant, Summum *Pontificem*, Eccleſiam *Romanam* particularem, & *Concilia* etiam *Prouincialia* à *Romano Pontifice* confirmatà in generalibus tam fidei quàm morum decretis errare poſſe, & de facto etiam aliquando erraſſe: Vnde tota *Facultas* Theologica *Pariſienſis* à decretis quibuſdam *Leonis decimi* editis in Concilio *Lateranenſi*, cui Epiſcopi *Galliæ* non interfuerunt, & in quo & *Pragmatica ſanctio* tanquam iniqua abrogata

eſt, & ſuperioritas P*apæ* ſupra *Concilium* generale *expreſſimè*, ſi *Bellarmino* credendum ſit, definita, tanquam à Prouinciali Concilio ad proximè futurum Concilium generale appellauit. Certum etiam eſt, *Principes* Seculares, cuiuſcunque Religionis fuerint, iniquas leges condere poſſe, & aliquoties etiam condidiſſe. Atque hæc eſt *vna ex præmiſſis.*

Vide appellationem apud *Bochel.* tit. 25. cap. 8.

12 *Altera præmiſſa* eſt, quam *Leſsius* hîc ponit, nempe ſi ſummus P*ontifex* & Eccleſia *Romana*, in quibus ipſe totam Eccleſiæ infallibilitatem conſtituit (vnde ſuperiùs[d] dixit, *ſub Eccleſia Romana intellige omnes alias Romanæ cohærentes*) poſſit errare docendo aliquid tanquam verum quod eſt falſum, aut præcipiendo aliquid quod eſt illicitum & iniuſtum tanquam licitum & iuſtum, etiam in cæteris poterit errare, & proinde non teneor ei credere aut obedire: & ſi ſuſpecta haberi poteſt tanquam ſpiritu humano gubernetur, cur teneantur *Principes* & Laici ei tanquam Eccleſiæ Chriſti (quæ ſpiritu diuino regitur, neque in Doctrina aut præceptis morum, quę fidelibus communiter proponit, errare poteſt) adhærere? Ex quibus principijs apertè ſequitur, poſſe *Principes* & Laicos, & conſequenter etiam Eccleſiaſticos habere iuſtam cauſam *Romano Pontifici* obedientiam ſubtrahendi, & à *Romana* Eccleſia recedendi: & ſimiliter poſſe ſubditos *Principibus* Secularibus alijſque Superioribus obedientiam licitè denegare, & omnia quæ præcipiunt ſuſpecta habere, cùm certum ſit, eos in ſuis legibus condendis & pręceptis imponendis ſpiritu humano non diuino, ſeu infalibili ſpiritus

---

[d] Nu.3.

ſancti aſſiſtentia, gubernari: Quæ concluſio quam falſa, erronea, & pernicioſa ſit, omnemque obedientiam penitus euertat, nemo ignorare poteſt.

13 At hæc incommoda ex mea doctrina atq; indubitatis Catholicæ fidei principijs facillime deuitantur. Nemo enim dubitat, quin Prælati Eccleſiaſtici, vt inferiores Epiſcopi, & *Principes* Seculares, cæterique Superiores quicunque, atque etiam ex doctiſſimorum ſententia ipſemet ſummus P*ontifex* in legibus ferendis, & præceptis, quæ ſubditis ſuis communiter proponunt, errare poſſe, & ſpiritu humano non diuino gubernari, & proinde poſſe leges iniquas condere, & quæ illicita ſunt tanquam iuſta præcipere. Quis tamen niſi mentis inops ideo affirmabit, omnia eorum præcepta mihi ſuſpecta eſſe debere, quia cùm in vno errare poterunt, etiam in cæteris queunt, & proinde non teneor illis in aliquo, tametſi iuſtum ſit, obedire? Non igitur ex eo quòd *Principes* ſeculares, Prælati Eccleſiaſtici, atque ipſemet *Pontifex* ſummus in ſuis legibus & præceptis errare poſſint, atque iniuſta mihi præcipere, conſequens eſt, me iuſtam cauſam habere ab illis penitus recedendi, & omnem obedientiam, quæ in rebus licitis iure diuino illis debetur, ſubtrahendi: ſed aurea illa S. *Hieronymi* [e] ſententia tanquam regula certiſſima mihi ante oculos proponenda, *Si bonum eſt quod præcipit Imperator, & Præſes* (aut Pręſul) *iubentis obſequere voluntati, ſi verò malum eſt, & contra Deum ſapit, reſponde ei illud de Actibus Apoſtolorum, Oportet obedire Deo magis quàm hominibus*. Neque enim Superi-

[e] Ad Tit. 3.

Superioris cuiuſcunque legitimi, ſiue is *Paſtor*
ſpiritualis, ſiue *Princeps* temporalis fuerit, impe-
um in rebus licitis detrectandi iuſta cauſa ſub-
ditis eſſe poteſt, quòd aliquando pernicioſe er-
ret, atque etiam iniuſta prçcipiat, & ſpiritu hu-
mano non diuino gubernetur. Quomodo au-
tem & in quo caſu ſubditus in dubio non tenea-
tur ſemper obedire Prælato, quando præcep-
tum eius in tertię perſonæ præiudicium vergit,
ſed poſſit abſque vlla inobedientiæ nota exigere
ab ipſo rationem præcepti proponens humiliter
rationes dubitandi, ſi dubitet an Prælatus præci-
piat iuſtum, nos alibi decimam quintam D. *Schulc-*
kenij calumniâ examinantes ex doctrina *Dominici*
Soti declarauimus.

14 *Decimò nonò ſequitur*, ait *Leſsius*, [f] *Princi-*
pes poſſe perſequi Catholicos, qui antiquam Doctri-
nam tenent, & Sedi Apoſtolicæ adhærent. Quia illam
Doctrinam ſi falſa eſt, meritò poſſunt exterminare
tanquam pernicioſam ſuis regnis & ſtatui: & obe-
dientiam ſubditorum ad Sedem Apoſtolicam
habere ſuſpectam, tanquam periculoſam propter con-
ſpirationes & coniurationes, quæ hac ratione fieri
poſſunt contra regnum, vt hæretici in Anglia præten-
dunt.

[f] Num. 73. pag. 121.

15 Sed ex mea ſententia hoc ſolùm ſequitur, *Principes* poſſe perſequi *Catholicos*, non qui *antiquam doctrinam* tenent, atque in ea tenenda *Sedi Apoſtolicæ* adhærent, ſed qui *nouam doctrinam*, atque antiquis *Patribus* incognitam, & quæ *Principum* Coronas & Capita in ſummum diſcrimen adducit, abſque ſufficienti fundamento propugnant. Poſſunt enim *Principes* Chriſtani hanc

Doctrinam pro poteſtate *Papali* de *Principum* Coronis, ac Capitibus, alijſque omnibus temporalibus diſponendi, quamdiu ipſis, alijſque plurimis Catholicis incerta eſt, tametſi alij eam vel probabilem vel etiam certam eſſe prætendant, meritò exterminare, tanquam pernicioſam ſuis Regnis & Statui, vtpote quæ in *Praxi* ſubditorum animos ab obedientia ſuis *Principibus* iure diuino debita abducit, atque ad rebelliones concitandas, & Regicidia tempore opportuno perpetranda paratos reddit.

16 Vnde *Senatus* P*ariſienſis*, Curia magna *Criminali* & *Edicti* conuocatis, hanc doctrinam & libros qui eam propugnant, veluti Card. *Bellarmini* contra *Barclaium*, *Adolphi Schulckenij* contra *Widdringtonium*, & *Franciſci Suarez* contra *Sereniſſimum* noſtrum magnæ *Britanniæ Regem* publicis edictis condemnauit, & tanquam in *praxi* falſam & execrabilem, ſubditos ad rebelliones & ad machinandum in *Principum* Coronas & Capita incitantem, è Scholis & Dominijs *Chriſtianiſſimi* Francorum *Regis* ſub pæna *læſæ Maieſtatis* meritò exterminauit. Neque hoc eſt perſequi Catholicos *antiquæ fidei*, ſed proditores, & nouę fidei ſectatores, non dicam Sectarios, & *Principum* iura tueri, ſicut omnes tenentur, aduerſus eos omnes etiam Catholicos, qui ſub falſo *Catholicæ fidei* prætextu ea inuadunt, & qui ſub titulo illis alijſque plurimiſque Catholicis incerto *Principes* ſupremos è legitima ſuorum regnorum poſſeſſione contra manifeſtas iuſtitiæ regulas, & contra principia ab ipſomet *Leſſio* ſuperiùs [g] poſita deturbari poſſe contendunt. Si enim *Summus*

---

[g] Part. 2. ſect. 6.

Pontifex Regnum aliquod Regis Catholici veluti *Siciliam*, ſub prætextu tituli ipſimet Regi Catholico, eiuſque ſubditis incerti inuaderet, tametſi *Pontifex*, & qui illi adhęrent titulum illum certiſſimum & antiquiſſimum eſſe prætenderent, & vt talem ſcriptis publicis defenderent, profectò *Rex Catholicus* nullum planè incommodum eſſe exiſtimaret, ſe ſuumq; Regnum defendere, & perſequi tanquam hoſtes tales Catholicos, & qui in eo titulo propugnando *Sedi Apoſtolicæ* adhærent, omneſque libros, tametſi ab ipſomet Card. *Baronio* conſcripti eſſent, qui titulum illum tuerentur, è Regnis ſuis exterminare nullatenus formidaret: nec ſe propterea vt *Regem* non *Catholicum* à *Leſsio* aut alio quocunque traduci impune permitteret.

17 Sed mirum ſanè mihi videtur, qua fronte vir aliquis eruditus, qui *Scripturam* ſanctam, *Apoſtolorum*, atque *Eccleſiæ* primitiuæ praxim, antiquorum *Patrum* commentarios, Summorum *Pontificum*, atque *Imperatorum* & *Regum* res geſtas oculo vigilanti, puro, ac ſimplici intuetur, doctrinam hanc pro poteſtate *Papali Principes* deponendi, & de eorum Coronis ac Capitibus diſponendi *antiquam* appellare audeat, cùm & antiquis P*atribus*, qui verum & genuinum illorum locorum ſacræ *Scripturæ*, *Quodcunque ſolueris* &c. P*aſce meas oues* & ſimilium ſenſum optimè intellexerunt, planè incognita fuerit, & ipſimet Aduerſarij, dum catalogum illuſtrium ex omni natione Scriptorum, qui hanc ſententiam tutati ſunt, conficiunt, *Gregorium* 7. qui non ſexcentis ab hinc annis floruit, primum huius doctrinæ

propugnatorem, ſeu potius inuentorem conſtituunt, quemque eo nomine *Sigebertus* eruditus illius temporis Scriptor, & vir pius ac verè Catholicus, & non *Schiſmaticus* (vt alibi [h] contra hanc Card. *Baronij* & *Bellarmini* calumniam de *Sigeberto* ab ipſis confictam comprobaui) *nouitatis*, ne diceret *hæreſeôs*, ignominia notare non dubitauit, & eiuſdem Papæ *Gregorij* Epiſtolam, quam in huius nouę doctrinæ defenſionem ad *Hermannū* Metenſem Epiſcopum ſcripſit, *validis*, vt ipſe ait, P*atrum argumentis confutauit*. Igitur parum conſideratè *Leſsius* tam pernicioſa non *antiquæ*, ſed *nouæ* doctrinæ & *fidei* fundamenta iacit, maliſque artibus propugnare contendit, quæ & *Sedem Apoſtolicam Principibus* Chriſtianis odioſam, & talem obedientiam ſubditorum, quam iſti *nouæ fidei Catholicæ* profeſſores *Sedi Apoſtolicæ* omnino pręſtandam eſſe volunt (cum reuera temporalis, & non ſpiritualis, *Sedique Apoſtolicæ* debita à plurimis Catholicis iudicetur) tanquam periculoſam propter conſpirationes & coniurationes, quę hac ratione fieri poſſunt contra Regnum, iiſdem Principibus meritò ſuſpectam reddant.

[h] In *Confut.* Anglic. *Tho. Fitzh.* part. 1. cap. 6. nu. 20. & ſeq.

18 *Denique poterit haberi ſuſpecta*, ait *Leſsius*, [i] *tota fides Chriſtiana, tanquam inuenta ab Eccleſiaſticis, Epiſcopis, &* Pontificibus *politiæ cauſa* (*vt non ſemel inſinuat Marchiauellus*) *nimirum vt dum animi hominum religione imbuti terrena parum curant, cæleſtia ſperant, metu pœnarum futurarum in officio continentur, & ad omnia imperata facienda ſunt parati; dum humiles & abiectos animos gerunt, Epiſcopi &* Pontifices *ſecurè dominentur, & pro ſua*

[i] Nu. 74. pag. 122.

libidine de bonis Laicorum ſub ſpecie pietatis, cultúſque diuini diſponant, eaque ad ſe pelliciant. At quidnam hoc aliud eſt, quàm proxima diſpoſitio ad Atheiſmum, vel potiùs ipſa Atheiſmi ſubſtantia?

19 *Hac fere ſunt incommoda, qua ex illa Aduerſariorum ſententia manifeſtè ſequuntur. Ex quibus perſpicuum eſt, quo loco illa ſententia ſit habenda. Quis enim non dicat eſſe dogma pernicioſum, vel hæreticum, quod tam multa pernicioſa & hæretica ſecum trahit? Rogo omnes eos, qui Catholico nomine cenſentur, per aternam ipſorum ſalutem (quæ in hac quæſtione agitur) vt ſi ambigant, vel in aduerſam ſententiam inclinent, iſta expendant, & ſeriò ſecum diſcutiant, & tunc demum ſtatuant, quod veritati & ſaluti videbitur magis conſentaneum.*

20 Sed veritas Euangelica, & fides verè Chriſtiana & Catholica, atque vt talis, iuxta *Chriſti* Domini atque *Apoſtolorum* doctrinam, *Eccleſiæ* primitiuæ praxim, & antiquorum *Patrum* regulas declarata, & non verbis tantùm, ſed etiam operibus, & virtutum exemplis confirmata, non poterit meritò eſſe ſuſpecta tanquam inuenta ab *Eccleſiaſticis*, *Epiſcopis*, & *Pontificibus* politiæ cauſa: Sin autem (vt alia dogmata & deprauatos quorundam Eccleſiaſticorum, & præſertim *Curiæ Romanæ* mores nunc taceam) hæc doctrina paucis ab hinc ſeculis in Chriſtianorum Scholas inuecta, & iam tanquam indubitatum *fidei Catholicæ* dogma à recentioribus quibuſdam, præſertim *Ieſuitis* tanto impetu propugnata (quę Summum *Pontificem* totius Orbis Chriſtiani ſu-

premum tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus Monarcham conſtituit, eique pleniſſimam de omnibus temporalibus, etiam de Coronis, & Capitibus Principum diſponendi poteſtatem tribuit, & totam *Eccleſiæ* infallibilitatem in arcano ſui pectoris ſcrinio coarctant) non leuem ſuſpicandi occaſionem præbere poſſit, non totam fidem Chriſtianam, ſed particularem aliquam doctrinam, quam vel *Romani Pontifices*, vel alij quidam Catholici cæteris repugnantibus *Chriſtianam & Catholicam* eſſe contendunt, eamque malis artibus, & vi magis quàm ratione propugnare ſtudent, ab *Eccleſiaſticis*, *Epiſcopis*, aut *Pontificibus* vel politiæ cauſa, vel zelo inordinato, alioue fine (de quo Deus iudicet) inuentam eſſe, & neque à *Chriſto* eiuſue *Apoſtolis*, aut ab *Eccleſia* primitiua, & antiquis *Patribus* traditam, iſtud non vitio vertendum eſt veritati Euangelicæ, & fidei verè Chriſtianæ & Catholicæ, ſed potius iſtis Eccleſiaſticis, qui dum ſub falſo *Catholicæ fidei* prætextu, ſupremam *Principum* Chriſtianorum in temporalibus poteſtatem, in nimiam Summi *Pontificis* in temporalibus monarchiæ exaltationem, ſatis incautè deprimunt, atque *Imperatores* ac *Reges*, quos ſancti Patres ſolo *Deo* minores, & ab eo ſolo pænis temporalibus caſtigandos eſſe vnanimi conſenſu conclamitant, temporali *Romanorum Pontificum* correctioni abſque ſufficienti fundamento ſubijciunt, ipſos tamen *Romanos Pontifices*, quantumuis grauiſſimè & in ſcandalum totius Chriſtianitatis delinquentes, duntaxat exorandos, & admonendos, ſed à nemine, immo neque à tota *Eccleſia* caſtigandos,

dos, ſed diuino iudicio relinquendos eſſe, tanquam certiſſimam *Catholicæ fidei* doctrinam infirmiſſimis argumentis ducti prædicare, & Catholicos pios ac eruditos, qui contra ſentiunt, inſectari, & tanquam hæreticos, aut de hęreſi ſuſpectos traducere non pertimeſcunt. At quidnam eſt hoc aliud quàm antiquas *Sãctorum Patrum* regulas peruertere, & noua *Catholicæ fidei* fundamenta veteribus incognita excogitare? quod ſanè eſt proxima diſpoſitio ad hæreſim, atque apertam quoque Atheiſmo & infidelitati viam parat.

21 Itaque ex mea ſententia nullum aliud incommodum conſequi manifeſtum eſt, niſi quòd in ea explicanda & propugnanda quorundam ſpecioſi nominis religioſorum, qui cæteris Ordinibus doctrina, charitate, humilitate, omniumque virtutum perfectione, & ſingulari præ cæteris erga *Sedem Apoſtolicam* zelo longiſſimè antecellere prætendunt, fraudes, technas, ſophiſmata, impoſturas, & calumnias apertiſſimè detegam, & eos non tam ratione ſolida, quàm cæca affectione, & zelo præcipiti hanc ſuam nouiter inuentam *Catholicam* ſcilicet *fidem* in ſummam *Principum* Chriſtianorum iniuriam tanto impetu propugnandam ſuſcepiſſe euidentiſſimè demonſtrem. Quòd ſi iſtud hos Patres, eorumque ſectatores *Principibus* exoſos, & obedientiam eorum ad *Sedem Apoſtolicam* (nam nullam obedientiam ſe *Principibus* debere, neq; eorum ſubditos eſſe tametſi in eorum Dominijs degant, ibiq; nati fuerint, ſcriptis publicis affirmare non dubitant [k]) ſuſpectam reddat, gratias ſibimetipſis refe-

[k] Card. *Bell.* in Reſponſ. contra *Ioan. Marſil.* pag. 245.

referant, qui malam cauſam malis artibus per fas & nefas, idque in maximam *Maieſtatis Regiæ* derogationem tueri ſtudent.

22 *Denique*, vt ad illud, quod *Leſſius* vltimis verbis rogauit, aliquid reſpondeam; ego, quod ad me attinet, *Catholicus* ſum, & *Eccleſiæ Catholicæ Romanæ* filium me eſſe profiteor, & quæcunque ſcripſi aut ſcribam, illius iudicio libentiſſimè ſubmitto, &, ſicut *Leſſius* rogauit, totam hanc eius diſcuſſionem expendi, & ſeriò mecum diſcuſſi, & nihilominus magis nunc quàm antea de hac eius doctrina ambigo, & omnino in aduerſam ſententiam inclino; & *demum hæc duo* tanquam certiſſima, & veritati, ac ſaluti maximè conſentanea *ſtatuo*; *primum*: non eſſe *de fide* certum, ſed omnino incertum, & apud Catholicos controuerſum, an penes *Pontificem* ſit poteſtas *Principes* deponendi, & pænas temporales ex diuina inſtitutione infligendi: *Secundum* eſt, in quo *Leſſius* mecum conuenit, neque ab aliquo viro erudito in controuerſiam vocari poteſt; nempe, *poteſtatem, quæ non eſt omnino certa, ſed probabilis, non poſſe eſſe fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur & iure ſuo ac dominio priuetur, ſed talis poteſtas certiſſimè debet competere*; ex quo conſequitur, non eſſe licitum Summo *Pontifici Principem* aliquem per ſuam ſententiam deponere, donec certiſſimum ſit, & extra omnem controuerſiam, talem poteſtatem ſibi competere; & quantumuis deponeret, illam ſuam ſententiam eſſe iniquam, atque vt ita dicam, merè verbalem, neque ab aliquo abſque manifeſta iniuria *Principi* illi inferenda exequutioni mandari poſſe;

&

& poſſe *Principem* illum, & teneri omnes illius ſubditos tali Summi *Pontificis* ſententię ſub pæna perduellionis non obtemperare: cùm talis obedientia ad Summum *Pontificem* apertiſſima in *Principem* perfidia eſſet.

23 Ego igitur cum *Leſſio* pariter rogo omnes eos, qui Catholico nomine cenſentur per æternam ipſorum ſalutem (quæ in hac quæſtione agitur) vt ſi ambigant, vel in aduerſam ſententiam inclinent, iſta expendant, & ſeriò ſecum diſcutiãt, & tunc demum ſtatuant, quod veritati & ſaluti videbitur magis conſentaneum. Attamen *Aduerſarij* cauſæ ſuæ parum confiſi ita rem tractant, vt quę ipſi de hac quæſtione ſcribant, à quibuſcunque diſcuti & expendi deſiderent, at quæ à nobis reſcribũtur, ſtatim ac lucem aſpiciunt, ſub pænis grauiſſimis, eorum incitamentis, proſcribuntur, adeo vt neque viris etiam doctiſſimis, quibus cura animarum concredita eſt, & qui ſemper *parati eſſe debent ad ſatisfactionem omni poſcenti eos rationem de ea quæ in ipſis eſt*, fide, ea diſcutiendi & expendendi, ſed nec perlegendi quidem poteſtas concedatur; ne ipſorum præſtigiæ, quibus imperitos ludificantur, ſtatim omnibus innoteſcant; *in quo*, vt ipſiuſmet *Leſſij* argumento vtar, *ſuam diffidentiam, & cauſa quam tuentur imbecillitatem ſatis produnt; Si enim confidunt, & nihil ſibi propoſitum niſi veritatem & iuſtitiam habent, cur non patiuntur rem vltro citroque diſcuti? Cur tantopere reformidant Catholicorum reſponſiones? Cur minis & terroribus eas, ne lucem aſpiciunt, comprimunt?*

1. Pet. 3.

SECTIO VIII.

In qua duo Leſsij *reſponſa ad quandam obiectionem refelluntur, & totius ſuæ diſcuſsionis concluſio, & rhetorica peroratio refutatur.*

1 S*Ed obijciunt aduerſarij*, inquit, *Leſſius*,[a] *hanc ſententiam Regibus eſſe periculoſam. Si enim ſubditi authoritate Pontificis à ſacramento fidelitatis abſolui poſſunt, & ipſi iure regnandi priuari, nihil Regibus erit tutum, ſed pro arbitrio Pontificis poterunt euerti & occidi. Hoc argumento potiſſimum huic ſententiæ odium & inuidiam apud ſummos Principes conciliare conantur.* Sed facile reſponderi poteſt.

[a] nu.75.pag. 123.

2 Fateor equidem, ſententiam *Aduerſariorum* mihi plurimum diſplicere, non ſolùm quia *Regibus* eſt periculoſa, & nihil ipſis erit tutum, ſed pro arbitrio *Pontificis* ſi ſpirituale Eccleſiæ bonum id exigere iudicauerit, quin etiam cum tacita, vel præſumpta Summi *Pontificis* licentia euerti & occidi poterunt; (vt alibi clariſſimè commonſtraui) verùm etiam quia ſemoto iſto periculo, *Regibus* eſt iniurioſa, eo quòd *Principes* ſupremi, qui, iuxta communem ſanctorum *Patrum* doctrinam, in temporalibus ſupremi ſunt, à *Deo* ſecundi, & ſolo *Deo* minores, & à ſolo *Deo* pœnis temporalibus caſtigandi, iuxta Aduerſariorum ſententiam, *Romano Pontifici*, qui olim *Imperatori* temporaliter ſubiectus erat in temporali-

bus ſubditi efficiuntur. Sed videamus quàm cilè difficultas hæc expediri poſſit vti *Leſſius* gloriatur.

3 *Sed facilè*, inquit *Leſsius*[b] *reſponderi poteſt.* Primò. *Si hæc ſententia qua tribuitur Summo Pontifici anthoritas in Reges Eccleſiam & religionem Catholicam perſequentes, periculoſa dicenda eſt; quanto illis periculoſior Doctrina Caluini, & Caluiniſtarum, qua illorum ſtatus & vita ſubijcitur iudicio Miniſtrorum illius ſectæ? Si enim Miniſtri iudicant aliquem Principem nouæ eorum religioni aduerſari, aut eam admittere nolle, poſſunt & debent, iuxta illius ſectæ placita, concitare populum aduerſus illum, vt exterminetur &c.*

4 Egregia *ſcilicet* Reſponſio, qua *Leſſius* obiectionem non ſoluit, nec præfatam criminationem repellit, ſed ne abſque conſortibus ſibi aliqua ex parte ſimillimis, qui eodem impetuoſo ſpiritu ducuntur, & eiuſdem criminis participes ſunt, eſſe videatur, eam in *Caluinum* & *Caluiniſtas* conijcit, cùm tamen quid *Caluiniſtæ* de hac re ſentiant, mei non interſit; neque enim mihi iam cum *Caluiniſtis*, ſed cum *Catholicis*, qui in hac re *Caluino-Catholici* haberi volunt, quæſtio eſt. Sed quicquid ſit de *Caluiniſtarum* ſententia, cum quibus non diſputo, notum eſt hanc *Leſsij* & ſi ita *Leſsius* voluerit, *Caluini* doctrinam ab *Anglis Proteſtantibus*, non ſolùm vt Regum Coronis & Capitibus periculoſam, ſed vt ſupremæ etiam eorum in temporalibus poteſtati iniurioſam, reprobatam eſſe. Et proinde quæ *Leſsius* hîc ex *Caluino* & *Caluiniſtis* producit, vt vana, ſuperflua, & ad rem non ſpectantia prætermittens *ſecundam* eius *Reſponſionem*

---

[b] nu.76.p.124.

nem paulo accuratiùs expendam.

c nu. 81 p. 130.

5 *Secundo* igitur ita *Leſsius* [c] reſpondet. *Etſi Catholicorum ſententia videri poſsit Regibus periculoſa, non tamen bonis, & antiquam fidem, Eccleſiæque obedientiam (ſine qua ſalui eſſe non poſſunt) retinentibus, ſed Eccleſiæ rebellibus, & perſequutoribus.*

6 *Inprimis* itaque nullum *Leſsio* incommodum eſſe videtur, quòd hæc eius *ſententia Regibus Eccleſiæ rebellibus & perſequutoribus periculoſa ſit,* & quod *illis nihil tutum ſit, ſed pro arbitrio Pontificis euerti & occidi poſsint.* Quòd ſi hoc *Leſsius* voluerit, nullum etiam incommodum eſſe exiſtimet, quòd licitum ſit *Regibus* illis, qui *Romano Pontifici* obedientiam non præſtant, hanc *Caluino-Catholicorum* ſententiam tanquàm ſeditioſam, & ſibi regniſque ſuis periculoſam è Dominijs ſuis exterminare, eoſque omnes, qui *fidem* hanc *nouiter* inuentam amplectuntur, tanquam proditores, & pernicioſiſſimas rebellionum & Regicidiorum faces è Regnis ſuis eijcere, & ſi exire noluerint, extremo etiam ſupplicio afficere, quandiu non ſolùm ipſiſmet *Regibus* ſed etiam doctiſſimis Catholicis incertum ſit, & ad ſummum probabile, penes *Pontificem* eſſe poteſtatem *Principes* hæreticos, & Eccleſiæ rebelles, atque Eccleſiam etiam perſequentes deponendi, & conſequenter ſi deponi non poſſint, euertendi, atque è medio tollendi; cùm iuxta expreſſam ipſiuſmet *Leſsij* doctrinam, *poteſtas, quæ non eſt omnino certa ſed probabilis, non poſsit eſſe fundamentum quo immediatè aliquis puniatur, & iure ſuo ac Dominio priuetur, ſed talis poteſtas certiſsimè debet competere.*

7 *Deinde*, hanc etiam ſententiam non ſolùm Regibus qui *Romano Pontifici* non obediunt, ſed *Regibus* etiam Catholicis, & qui *Sedi Apoſtolicæ* adhærent, periculoſam eſſe ſatis manifeſtum eſt. Vnde ipſemet *Leſſius* ſententiam hanc *Caluiniſtarum*, quam ipſe etiam magna ex parte ſequitur, *Lutheranis, atque etiam Catholicis Principibus periculum creare*, non ſatis ſibi in hac re conſtans, expreſſis verbis affirmat.[d] Et ratio eſt euidens, quoniam ex ijſdem principijs, atque ijſdem *ſacræ Scripturæ* locis, veluti, *Quodcunque ſolueris* &c; *Paſce oues meas* & alijs eiuſmodi quibus *Leſſius*, cæterique *nouæ* ſuæ *fidei* Sectatores probare contendunt, eſſe in vera *Chriſti* Eccleſia, ſeu veræ, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ Prælatis poteſtatem ſibi à *Chriſto* traditam, *Principes*, qui *veram*, id eſt, (vt Catholici Romani credunt) *Catholicam* Eccleſiam *Romanam* perſequuntur, ſuis dominijs, vitaque, ſi opus fuerit, priuandi, etiam *Caluiniſtæ, Lutherani, Ariani*, & quiuis alij, qui *Chriſtiano* nomine cenſentur, commonſtrare etiam poterunt, eſſe in ſua *Eccleſia* (quam veram *Chriſti* Eccleſiam eſſe contendunt) poteſtatem ſibi à *Chriſto* traditam *Principes* catholicos, qui ſuam *Eccleſiam* perſequuntur, aut oppugnant, abdicandi, & ſi opportunitas adſit, è medio, etiam tollendi. Et propterea falſum & ſibimet repugnans eſt, quod dixit *Leſſius*, *Et ſi Catholicorum ſententia videri poſſit Regibus periculoſa, non tamen bonis & antiquam fidem, Eccleſiæque obedientiam (ſine qua ſalui eſſe non poſſunt) retinentibus, ſed Eccleſiæ rebellibus & perſequutoribus.*

8 *Denique*, non ea tantùm de cauſa hanc *Caluini*,

[d] nu.79.p.129.

nimi, & quorundam *Catholicorum* ſententiam exterminandam eſſe exiſtimamus, quia *Principibus* ſupremis eſt periculoſa, ſed quia, ſemoto etiam iſto periculo, eſt illis iniurioſa, & *Regiæ*, ſeu ſupremæ *Principum* poteſtati derogat, eamque in temporalibus, in quibus ſuprema eſt, ſpirituali poteſtati ſubditam facit, quam quidem iniuriam ſupremis omnibus *Principibus*, quamcunque religionem profiteantur communem eſſe nimis manifeſtum eſt. Sed hæc incommoda nos nullo negotio deuitamus, qui, iuxta doctrinam ab vniuerſis antiquis *Patribus* approbatam, aſſerimus, *Principes* ſeculares in rebus temporalibus ſupremos eſſe, & nemini mortalium ſubiectos, atque à ſolo *Deo* pænis temporalibus coercendos: Et poteſtatem Eccleſiaſticam & ciuilem, tametſi in lege naturæ non erant diſtinctæ, ſed poteſtas politica de rebus etiam ad religionem ſpectantibus diſponebat, in lege tamen gratiæ duas diſtinctas, independentes, & in ſuo genere ſupremas poteſtates à *Chriſto* Domino conſtitutas eſſe, ita vt neque poteſtas Eccleſiaſtica vllam pænam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. nec poteſtas ciuilis vllam pænam Eccleſiaſticam ſeu ſpiritualem, veluti Excommunicatio, cæteræque cenſuræ Eccleſiaſticæ, ex inſtitutione *Chriſti* affligere poſſit. Atque hæc doctrina clara eſt, & perſpicua, & nullius difficultatis, technæ, ſophiſmatis, aut captiunculæ integumento inuoluta, & nulli *Principi*, cuiuſcunque religionis fuerit, periculoſa, iniurioſa, aut incommoda.

9 Sed *Leſſius* perfuncto iam egregiè, *ſcilicet*, vti vidiſtis, *Doctoris Theologi* munere, *Conciona-*

toris,

rem, ſeu *Oratorem* deinceps agit, & quod ratio-
ibus *Theologicis* probare non potuit, ſaltem ar-
umentis *Rhetoricis*, ſi Deus voluerit, *Regibus*
erſuadebit, maximè ſalutare eſſe illis, atque
tiam Republicæ Chriſtianæ, vt ab aliquo pæ-
is temporalibus coerceri queant. *At*[e] *quis non*
deat, inquit *Leſsius*, *Reipub. Chriſtianæ eſſe max-*
imè ſalutare, vt ſit aliqua poteſtas, qua & boni Re-
ges in officio retineantur, ne populum ſibi commiſ-
ſum, & religionem perdant; & mali, qui Ec-
leſiam oppugnant, ab iniuria reuocentur? Ne-
mini vtilis eſſe poteſt peccandi impunitas. Non ex-
pedit Principi vt impunè poſſit ſe ipſe, & regnum
ſuum perdere, veram religionem exterminare,
hereſes, Turciſmum, Atheiſmum introducere;
ſed contrà expedit ei & optandum eſt, vt non deſit,
qui etiam vi poſsit eum à tantis malis auertere. Quis
Nauarchus mentis compos non deſideret habere in-
ſpectorem, à quo vel inuitus prohibeatur, ſi eo furore
contingeret illum aliquando corripi, vt nauem cum
vectoribus in ſcopulos conetur impellere? Felix ne-
ceſsitas quæ ab interitu reuocat, & à tantis cladibus
animum malè ſanum coercet. Non eſt Chriſtiani
Principis ita amare ſuos honores, & gloriam ſuæ fa-
miliæ, vt ſe & poſteros ſuos regnare velit cum in-
teritu veræ religionis, & exitio æterno ſubditorum.
Fertur de potentiſsimo illo Galliæ Rege Franciſco
primo, eum dicere ſolitum, Si ſcirem partem aliquam carnis meæ contagione hæreſis infectam, eam manu mea à reliquo corpore præciderem.

10 Simili argumento Rhetorico vſus eſt *Card. Bellarminus* in ſuo *Schulckenio*[f], nempe

poteſta-

[e] Nu.81.pag. 130.

[f] Cap.2. cap.17.

poteſtatem Summi Pontificis *Principes abdicandi non eſſe derogationem Regiæ Maieſtatis, aut politicæ poteſtatis, ſed ingentiſsimum Dei beneficium, omnibus fidelibus apprimè neceſſarium & ſalutare, ſed Regibus maximè, qui quo excelſiore ſunt loco, eo magis obnoxij ſunt grauiori caſui, eoque magis egent directione & correctione.*

11 Sed quis ſtupendam Aduerſariorum inconſiderantiam non admiretur, qui talia argumenta contra *Principes ſupremos* conficiunt, quæ pari omnino ratione *ſummis Pontificibus*, quos tamen ipſi à nemine mortalium, immo neque à tota *Eccleſia* in vnum congregata caſtigandos eſſe contendunt, accõmodari poſſunt? Quis enim non videat, Reipublicæ Chriſtianæ eſſe maximè ſalutare, vt ſit aliqua poteſtas, qua & boni *Pontifices* in officio retineantur, ne populum ſibi commiſſum, & religionem perdant, & mali qui Eccleſiam ſcandalizant, & viros innocentes opprimunt, ab iniuria, & ſcandalo reuocentur? Nemini vtilis eſſe poteſt peccandi impunitas. Non expedit ſummo *Pontifici*, vt impune poſſit ſeipſum, & animas ſibi commiſſas perdere, ſed contrà expedit ei, & optandum eſt, vt non deſit, qui etiam vi poſſit eum à tantis malis auertere. Quis Nauarchus mentis compos non deſideret habere inſpectorem, à quo vel inuitus prohibeatur, ſi eo furore contingeret illum aliquando corripi, vt nauem cum vectoribus in ſcopulos conetur impellere? Felix neceſſitas quæ ab interitu reuocat, & à tantis cladibus animum malè ſanum coercet. Non eſt Catholici *Pontificis* ita amare ſuos honores, & gloriam ſuę familiæ vt

ſe & Nepotes ſuos dominari, & ex beneficijs Eccleſiaſticis adeo locupletari velit cum ſcandalo religionis, & exitio ęterno animarum.

12 Similiter dici poſſet, poteſtatem Summos *Pontifices* aliquibus in caſibus caſtigandi, & ſi opus fuerit, deponendi, non eſſe derogationem *Pontificiæ* Maieſtatis, aut *Eccleſiaſticæ* poteſtatis, ſed ingentiſſimum Dei beneficium omnibus fidelibus apprimè neceſſarium, ſed *Pontificibus* maximè, qui quo excellentiore ſunt loco, eo magis obnoxij ſunt grauiori caſui, eoque magis egent directione & correctione. Expediant iam Aduerſarij has difficultates, & ſtatim perſpicient ſuas ratiunculas varias & captioſas eſſe, & nihil ſolidi roboris in ſe continere.

13 Vt igitur ad argumentum *Leſsij* in forma reſpondeam; Fateor *inprimis*, Reipublicæ Chriſtianæ eſſe maximè ſalutare, vt ſit aliqua poteſtas, qua & boni *Reges* in officio contineantur, ne populum ſibi commiſſum, & religionem perdant, & mali, qui Eccleſiam oppugnant, ab iniuria reuocentur: ſed talis debet eſſe hæc coercendi *Reges* poteſtas, quę *Regali* eorum *Maieſtati*, & ſupremæ *Principum* in temporalibus poteſtati in lege naturali fundatæ, & à *Chriſto* Domino confirmatæ, atque vt tali à Sanctis *Patribus* approbatæ, non deroget, ne dixerim, non repugnet: At *Reges* in temporalibus ſupremos eſſe, & nemini præterquam *Deo* ſoli ſubiectos, & à *Deo* ſolo pænis temporalibus caſtigari poſſe, & ſimul eos alium præter Deum in temporalibus Superiorem recognoſcere, à quo pęnis temporalibus plecti queant, plane repugnantia inuoluere quis non videt?

14 Fateor etiam, nemini vtilem eſſe peccand impunitatem, neque expedire *Principi* (& à fortiori neque *Summo Pontifici*) vt impune poſſit ſeipſum, & regnum ſuum perdere, veramque religionem exterminare, ſed contrà expedit ei, & optandum eſt, vt non deſit, qui poſſit eum tali via & vijs quæ à *Deo* ordinata ſunt, etiam quodammodo inuitum à tantis malis auertere. Ideoque *Christus* Dominus Prælatos & Paſtores ſuę Eccleſię conſtituit, qui quoſlibet Chriſtianos, etiam *Reges*, in lege Chriſti inſtruerent, atque in officio Chriſtiani *Principis* continerent, & ſi forſan delinquerent, & incorrigibiles eſſent, neque vocem *Eccleſiæ* audirent, eos anathematis gladio percuterent, ex *Eccleſia* eijcerent, gratijs ſpiritualibus, quas ab *Eccleſia* receperunt, priuarent, & tandem tanquam Ethnicos & Publicanos, & non vt Chriſtianos habendos eſſe declararent. Hæc autem ſpiritualis anathematis pęna quolibet mortis corporalis genere longè horribilior eſt, vt S. *Augustinus* affirmat,[g] &, quantum eſt ex ſe, ſufficiens eſt ad Eccleſiam *Christi*, quæ Reſpublica ſpiritualis eſt, rectè gubernandam, & ad quoſcunque *Eccleſiæ* filios, etiam *Reges*, in officio continendos. Quòd ſi *Leſsius* aliam poteſtatem, aliaſque pænas ad *Eccleſiam* gubernandam & impios corrigendos, quàm quæ ex ſe ſufficientes ſint, requirat, oportet vt vires etiam ſufficientes ad *Reges* iniquos, poſtquam per ſententiam *Pontificis* depoſiti fuerint, debellandos eam habere affirmet, quandoquidem ipſa depriuationis ſententia, quam aduerſarij ab *Eccleſia* infligi poſſe prætendunt, niſi vires

[g] Lib. 1. contra *Aduerſarium* leg. & proph. cap. 17.

vires etiam adſint eam exequendi, magis damnum, quàm commodum *Eccleſiæ* adferat, & *Principis* ita depriuati animum magis ad indignationem, atque ad P*ontificem*, eoſque, qui illi adhærent, perſequendos inducat, vt frequens experientia, proh dolor, nimis manifeſtum teſtimonium perhibet.

15 P*ræterea*, quilibet Nauarchus mentis compos deſiderat habere quidem inſpectorem, (non nauis ſuæ gubernatorem) a quo non ex authoritate, ſed ex charitatis officio moneatur, reuocetur, imo & inuitus prohibeatur, ſi eo furore contingeret illum aliquando corripi, vt nauem cum vectoribus in ſcopulos conetur impellere, ſicut etiam quilibet P*rinceps* mentis compos deſiderat habere inſpectorem (non ſupremum Regni ſui gubernatorem) à quo modo ſupradicto vel inuitus prohibeatur, ſi eo furore contingeret illum aliquando corripi, vt vel ſeipſum vel aliquem ex circumſtantibus gladio conetur transfodere: ad hoc enim impediendum non opus eſt authoritate & ſuperioritate aliqua in *Nauarchũ* vel *Principem*, ſed Chriſtiana charitas abundè ſufficiens eſt, cuius lege tenemur clauum & gladium è manibus furioſi *Nauarchi* & *Principis* eripere, cùm ad hoc vel aliud ſimile præſtandum, in quo publica ſuperioris authoritas non requiritur, quilibet priuata authoritate, & lege charitatis teneatur. Nullus autem *Princeps* aut *Nauarchus* mentis compos, qui ſupremus Regni aut Nauis gubernator eſt, deſiderat habere in Regno vel naui ſua aliquem, qui authoritate & poteſtate ſuprema Regni aut Nauis gubernacula teneat, & à

quo tanquam ſuperiore in Regno aut naui, ſi forſan deliquerint, corripi poſſint. Sed caueat Lector, ne hanc furioſi *Nauarchi* ſimilitudinem *Principi* hæretico & Eccleſiam perſequenti, qui non propriè, ſed ſolum per metaphoram, furioſus, aut amens, vel etiam lupus dici poteſt, applicandam eſſe imaginetur, vt fortaſſe *Leſsius* captioſa hac ſua ratiuncula illi perſuadere intendit. Neque enim eiuſmodi *Princeps*, cùm non propriè furioſus, ſed rationis verè compos ſit, vel à *Summo Pontifice*, vel à quouis alio pænis temporalibus, & coactione violenta, vtpote in temporalibus ſupremus, ſolique Deo ſubditus, coerceri, caſtigari, atque à perſequutione Catholicorum prohiberi poteſt.

16 Nemo etiam ignorat, non eſſe Chriſtiani *Principis*, aut etiam *Pontificis* ita amare ſuos honores, & gloriam ſuæ familiæ, vt ſe & poſteros ſuos regnare velit cum interitu veræ religionis, & exitio ęterno ſubditorum; ſicut etiam neque erat *Regis* & *Prophetæ* ita proprijs cupiditatibus eſſe deditum, vt alterius thorum violaret, & ad damnum innocenti *Vriæ* illatum reſarciendum eum morte afficeret; hinc tamen non ſequitur, vel Regem *Dauidem* ab alio quàm à *Deo* ſolo, cui ſoli ſe peccaſſe affirmat, vel cæteros *Principes* legem *Chriſti* tranſgredientes, cùm in temporalibus ſupremi ſint, & ſolo *Deo* minores, pænis temporalibus coercendos eſſe; tametſi forſan ipſimet de ſeipſis exemplo *Dauidis* pænitentiam agentis, vindictam ſumere, & pro delictis a ſe commiſsis diuinę iuſtitiæ vltrò ſatisfacere paratiſſimi forent. Vnde tametſi feratur, *Franciſcum* primum *Fran-*

corum Regem dicere ſolitum, *Si ſciret partem aliquam carnis ſuæ contagione hæreſis infectam, eam manu ſua à reliquo corpore præcideret*; non tamen fertur, eum vnquam dixiſſe, ſe aliquem in terris Superiorem in temporalibus habere, qui eum delinquentem pænis temporalibus caſtigandi, aut partem aliquam carnis ſuæ contagione hæreſis infectam, manu alterius, ipſomet *Rege* inuito, à reliquo corpore præcidendi authoritatem haberet.

17 *Tertiò addo*, ait *Leſſius*, [h] *hanc poteſtatem à politicis abrogari ſummo Pontifici ſub ſpecie conſulendi ſecuritati Principum. At non expedit Principi vt ſecurè & impune poſſit religionem & ſubditorum animas perdere. Immenſum eſt hoc damnum, & planè tantum, vt nullum ei poſſit reperiri precium.* h nu. 83. pag. 131.

Deinde, *hac ratione non ſolùm non conſulitur eorum ſecuritati, ſed eorum ſtatus in maximum conijcitur diſcrimen, adeo vt nihil eis pernicioſius conſuli poſſit. Regum vita, Thronus poſteritas & proſperitas non conſilijs politicis religioni iniurioſis, ſed religione & iuſtitia ſtabilitur.*

18 *Politici conſultores Regi* Ieroboam *authores fuère, vt relicto templo Domini locum ſacrificij in ſuo regno conſtitueret, ne populus ſenſim à ſe deficeret, & ad Regem* Iuda *rediret. Hoc conſilium* 4. Reg. 12. *videbatur regno conſeruando neceſſarium, ſed reuera fuit pernicioſiſſimum. Quia ob eam cauſam tota eius familia ſecundo anno regni filij deleta, & ad aliam familiam regnum tranſlatum. Poſtea* Baſa *(per* 4. Reg. 15. *quem Deus familiam* Ieroboam *deleuerat) cùm idem conſilium ad ſecuritatem regni ſui complexus*

4. Reg. 16. *eſſet, breui quoque cum tota poſteritate funditus extinctus eſt. Simili modo* Achab, Ieſabel, Ioram, *& alij multi Reges per conſilia politica à pietate aliena deleti ſunt. Exemplis huiuſmodi pleni ſunt libri* Iudicum, Regum, Paralipomenon, *plena hiſtoria Eccleſiaſtica. Nec deſunt hoc æuo noſtro multa & luculenta.*

19 *Valerent fortè aliquid huiuſmodi conſilia, ſi nulla ſuperior natura res humanas regeret. Sed cùm prouidentia diuina in omnibus conſilijs dominetur, & eam minutiſſima quæque curet, & diſponat; ab illa potiſsimùm Regum vita, ſtatus, ſucceſsio, regnorum tranquillitas, & proſpera fortuna dependent. Videt ipſe & ſentit, ſi eius Vicario colore quodam politiæ detrahitur; ſi poteſtas illi ad ſalutem omnium, & religionis tuitionem relicta abrogatur; ſi iura Eccleſiæ inuaduntur; ſi iuriſdictio occupatur; ſi eius miniſtri exhæredes & incapaces ſcribuntur. Talia ſæpe ſub ſpecie vtilitatis publicæ à politicis ſuggeruntur, & à Principibus ſubinde minùs cautè ſtatuuntur vel permittuntur. Videt iſta omnia & ſentit Dominus, & magnis plerumque cladibus vindicat. Hinc tragici multorum exitus, & familiarum excidia; hinc bella & ſeditiones quibus decies millies amplius amittitur, quàm centum annis commodi huiuſmodi legibus Reipublicæ accederet. Hinc damna mercimoniorum, & vectigalium. Hinc amiſsio oppidorum & prouinciarum. Hæc omnia ſingulari prouidentia Dominus vel immittit, vel permittit ad vindicanda iniqua conſilia, ſacræ religioni repugnantia.* pſal. 32. Nouit *enim* Dominus cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt; *& vanas eſſe cladibus oſtendit:* Reprobat Dominus cogitationes populorum

rum, & reprobat conſilia Principum; conſilium autem Domini in æternum manet. *Reprobat cõſilia politica cum ea vertit in damna & perniciem; cũ contrarijs euentis oſtendit, huiuſmodi præſidijs non eſſe fidendum, ſed iuſtitia, pietate, & diuinæ prouidentiæ benigna diſpoſitione. Percurrantur hiſtoriæ veteres & nouæ, & manifeſtè deprehendetur, conſilia politica aduerſus ſummi Pontificis dignitatem & authoritatem, aut contra Eccleſiæ, ac miniſtrorum eius iura & priuilegia ſuſcepta plerumque maximas clades Regnis & Regibus, diuina prouidentia omnia moderante, importaſſe. Nullo itaque modo tales conſultores Principibus audiendi, ſed pij maiores, qui cũ Sedi Apoſtolicæ eſſent addictiſſimi feliciſſimè regnarunt, imitandi. Sciant ſibi rationem omnium reddendam;* Terribili & ei qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ; *& ab hoc omnem ſtatum ſuum & vitam pendere. Finis.*

Pſal. 75.

20 Longa hîc & verboſa oratione, & magis Oratore quàm Theologo digna, quæque non minùs *Pontificibus*, quàm *Principibus* accommodari poteſt, *Leſsius* pro coronide ſuæ *Diſcuſſionis* vſus eſt. Atque *imprimis* falſum eſt, hanc poteſtatem *Reges* abdicandi, à Catholicis pijs ac eruditis, & rectæ atque à Deo ordinatæ politiæ defenſoribus (quos *Leſsius* per ironiam *politicos* vocat, cùm tamen ipſimet & ſui ſimilibus agnomina magis pungentia, quæ gratia eos non exaſpirandi taceo, proprijſſimè conueniant) denegari ſummo *Pontifici* tantùm ſub ſpecie conſulendi ſecuritati *Principum*; ſed propria & adæquata ratio, ob quam iſta poteſtas *Pontifici* denegatur, eſt, quia abſtrahendo ab omni periculo

ſupremis *Principibus* eſt iniurioſa, & rectam politiam in lege naturæ fundatam, & à *Christo* Domino confirmatam deſtruit; atque ſupremam *Regum* in temporalibus poteſtatem, ſub fucata religionis, & ſpirituali *Principum* & ſubditorum ſaluti conſulendi ſpecie, funditus euertit, ſiue poteſtas hæc ex conſequenti *Principum* incolumitati, & publicæ tranquillitati periculoſa ſit, vti reuera eſt, ſiue non ſit.

21 *Deinde*, certum etiam eſt, non expedire *Principi*, vt ſecurè & impunè poſſit religionem & ſubditorum animas perdere. Et proinde *Principes* nequam, ſi Chriſtiani ſunt & pænam anathematis, qua nulla grauior eſſe poteſt, & diuinam præterea vltionem quę peccata atrocia etiam in hac vita vt plurimùm non relinquit impunita, timere meritò debent. Et proinde quantumuis ſuprema *Principis* iniqui, ſiue Chriſtianus, ſiue Ethnicus ſit, in temporalibus poteſtas eum à *Dei* vindicta ſecurum non reddat, neque ſatis conſulat illius ſecuritati, ſi *Dei Opt. Max.* (qui in omnibus dominatur, & à quo potiſſimùm Regum vita, ſtatus, ſucceſſio, Regnorum tranquillitas, & proſpera fortuna dependent, & cui ſoli, quod ad pænas temporales infligendas attinet, *Principes* ſupremi peccant, & rationem reddere debent) prouidentiam & iuſtitiam reſpiciamus, qui *Principum* ſcelera tum in ſeipſis, tum etiam in poſteris atque in ſubditis ſeueriſſimè vindicare ſolet. Attamen nemo niſi planè cæcus fuerit, videre non poteſt, ſupremam *Regum* in temporalibus poteſtatem eos, quantumcunque ſceleſtiſſimi ſint, à pænis temporalibus quibuſcunque authoritate

humana infligendis ſecuros reddere, niſi forſan *Principes* in temporalibus ſupremos, & à *Deo* ſecundos alium pręter *Deum* ſuperiorem in temporalibus habere, quod repugnantia inuoluit, affirmare quis velit.

22 Nemini igitur dubium eſſe poteſt, quod *Leſsius* hîc diſcurſu oratorio fruſtra amplificat, Regum vitam, Thronum, poſteritatem & proſperitatem non conſilijs politicis religioni iniurioſis, ſed religione & iuſtitia ſtabiliri, & prouidentiam diuinam in omnibus conſilijs dominari, & etiam minutiſsima quæque curare & diſponere; & ſi *Reges* colore quodam politiæ, & ſub ſpecie vtilitatis publicæ *Chriſti* Vicario detrahant, ſi poteſtatem illi ad ſalutem ouium & religionis tuitionem relictam abrogent, ſi iura Eccleſiæ inuadant, ſi Iuriſdictionem occupent, ſi eius miniſtros exhæredes & incapaces ſcribant, videre iſta omnia & ſentire *Regem* Regum, & magnis plerumque cladibus, bellis, ſeditionibus, & familiarum excidijs vindicare, vt exempla *Herodis*, *Pilati*, *Neronis*, *Domitiani*, *Decij*, *Diocletiani*, & aliorũ Eccleſiæ *Chriſti* perſequutorum, (vt quę à *Leſsio* ex veteri Teſtamento afferuntur mittam) clariſsimè commonſtrant: qui omnes diuina iuſtitia vindicante morte infælici perierunt, & tota eorum poſteritas breui extincta eſt. Hinc tamen non ſequitur, vel licitum eſſe ſubditis in *Principem* ſuum legitimum quantumuis iniquiſſimum inſurgere, *Quis enim extendet manus ſuas in Chriſtum Domini & innocens erit?* vel ſubditos illos, qui tales *Principes* iniquos trucidarunt (niſi expreſſo *Dei* mandato vt nonnunquam in veteri teſta-

1. Reg. 26.

teſtamento contigit, id fecerint) à *læſæ Maieſtatis* crimine excuſandos, vel *Principes* ſupremos ab alio quàm à *Deo*, cui ſoli in temporalibus ſubditi ſunt, pœnis temporalibus coercendos eſſe.

23 *Denique*, vana hæc & ſuperuacanea *Leſsij* Rhetorica etiam in *Pontifices* nequam magna ex parte retorqueri poteſt. Non enim expedit ſummo *Pontifici*, vt ſecure & impune poſsit religionem & ouium illi concreditarum animas perdere. Immenſum eſt hoc damnum, & plane tantum, vt nullum ei poſsit reperiri pretium. *Deinde*, hac ratione non ſolùm non conſulitur *Eccleſiæ*, & *Pontificum* ſaluti & ſecuritati, ſed eorum ſtatus & ſalus in maximum conijcitur diſcrimen, adeo vt nihil eis pernicioſius conſuli poſsit. *Pontificum* & *Eccleſiæ* ſalus & proſperitas non concilijs humanis legi diuinæ contrarijs, aut veræ atque à *Deo* ordinatæ politiæ iniurioſis, ſed religione & iuſtitia ſtabilitur, & prouidentia diuina in omnibus concilijs dominatur, & etiam minutiſsima quæque curat & diſponit, atque Eccleſiæ ſalus non nititur præcipuè humana induſtria, ſed diuina protectione, cùm eius *Rex Deus* ſit. Videt ipſe & ſentit, ſi *Regibus* eius in temporalibus *Vicarijs* ſub ſpecie religionis detrahitur, ſi poteſtas illis à *Christo* Domino conceſſa abrogatur, ſi iura Regnorum inuaduntur, ſi iuriſdictio temporalis occupatur, ſi *Cæſari* quæ *Cæſaris* ſunt non redduntur, ſi aurum abſque menſura cumulatur, ſi indigni promouentur, ſi nepotes & conſanguinei ditantur & exaltantur, & alij plurimùm conculcantur, ſi temporalium dominorum termini aliquoties inuaduntur, ſi de ſalute animarum parum

Vide *Aluar. Pelag.* ſuprà ſec. 1. nu. 4.

curatur, & denique ſi alia cum ſcandalo totius Chriſtianitatis perpetrantur. Talia ſæpe ſub ſpecie vtilitatis publicæ & boni ſpiritualis prætextu à *Pontificum* adulatoribus ſuggeruntur, & ab ipſis *Pontificibus* ſubinde minùs cautè fiunt, aut fieri permittuntur. Videt iſta omnia & ſentit *Dominus*, & magnis plerunque cladibus, ſchiſmatibus, aut defectionibus vindicat. Percurrantur hiſtoriæ veteres & nouæ, & manifeſtè deprehendetur, quot ſchiſmata, bella, tumultus, ſcandala, atque ab Eccleſia *Romana* defectiones occaſione *Pontificum*, aut eius Miniſtrorum, data vel accepta (de qua Deus iudicet) in *Eccleſia* exorta fuerint. Satis ſit nunc tantùm referre, quid *Adrianus* Papa 6. vir ſanctus atque eruditus, & *Pontificiæ* infallibilitatis impugnator de cauſa tumultuum, qui tunc temporis in *Germania* nouiter accenſi, neque adhuc ſedati ſunt, ſcribere non erubuerit.

24 *Iam verò non poteſt eſſe obſcurum*, ait *Fredericus Nauſea* Epiſcopus Viennenſis, [i] *quantis laboret Romana Curia vitijs & ſcandalis, quorum cauſa præ cæteris reformari indigeret. Quod* Adrianus *ille ſextus vſque adeo non inficiatus eſt, vt anno abhinc poſt Chriſtum natum 1522. ad Ordines, Statuſque Romani Imperij ſcribens minimè veritus eſt dicere*: Scimus in hac ſancta *Sede* aliquot iam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in peruerſum mutata. Nec mirum ſi ægritudo à capite in membra, à Summis *Pontificibus* in alios inferiores Prælatos deſcenderet. *Et idem paulo poſt ad Oratorem ſuum ait*: Qua in re, quod ad nos attinet, polliceberis, nos omnem operam ad-

[i] In lib. 2. de rebus *Conciliaribus* quem *Paulo* 3. dedicauit, l. 3. c. 3.

adhibituros, vt primùm *Curia* hæc, vnde fortè omne hoc malum proceſſerit, reformetur, vt ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eâdem ſanitas & reformatio omnium emanet. *En quàm candida, quàm ſincera, quàmque paterna & vera confeſſio tanti Pontificis* &c. Ex quibus conſtat, prædictum *Leſſii* diſcurſum Rhetoricum, nempe non expedire *Principi*, vt ſecurè & impune poſſit religionem & ſubditorum animas perdere &c. etiam *Pontifici* Summo accommodari pariter poſſe.

25 Recole iam paucis tecum *Lector tres iſtas* reſponſiones, quas *Leſſius* præfatæ obiectioni attulit, & miraberis, rem tam maximi ponderis, & in qua grauiſſimæ huius controuerſię ſtatus magna ex parte conſiſtit, à Doctore Theologo tam indoctè tametſi verboſè nimiùm, pertractatam eſſe. *Obiectio erat*: hanc eius ſententiam eſſe *Regibus* periculoſam. Si enim ſubditi authoritate *Pontificis* à ſacramento fidelitatis abſolui poſſunt, & ipſi iure regnandi priuari, nihil *Regibus* tutum, ſed pro arbitrio *Pontificis* poterunt euerti & occidi. Iam *reſpondet primò*, ſententiam *Caluini* & *Caluiniſtarum* eſſe *Regibus* magis periculoſam. 2. ſententiam ſuam non eſſe periculoſam *Regibus* bonis, *Eccleſiæque* obedientiam retinentibus, ſed *Eccleſiæ* rebellibus, & perſequutoribus. 3. *Deum* iniquitates *Principum* magnis cladibus vindicare ſolitum. *Prima* & *tertia* eius Reſponſio ad rem non faciunt. *Secunda* admittit, ſententiam ſuam *Regibus* iniquis & Eccleſiæ rebellibus eſſe periculoſam, & illis nihil tutum eſſe, ſed pro arbitrio *Pontificis* poſſe euerti & occidi: Quæ ſane doctrina

tam execranda, & non abſque horrore nominanda, & Scripturæ ſanctæ, Eccleſiæ primitiuę praxi, atque Sanctorum Patrum doctrinæ omnino repugnans, tam apertam ad rebelliones & Regicidia viam parat, vt planè non videã, qua ſecuritate *Princeps* aliquis huiuſmodi, Monarchomachos & peſtiferas ſeditionum faces, qui damnabilem hanc doctrinam vel exteriùs docere, vel interiùs tenere noſcuntur, & proinde etiam tempore opportuno eam opere exequuturos veriſimile eſt, in ſuis Dominijs commorari permittere tutò queat.

SECTIO IX. & vltima.

In qua quædam Ill^{mi}. Cardinalis Peronij *artificia, quibus ad meam ſententiam vt falſam & ſingularem impugnandam, & ad Iuramentum* Franciæ *refellendum vſus eſt, perſpicuè deteguntur, & refelluntur.*

1 PRiuſquam huic meæ *Diſcuſſioni* finem imponam, ne Lector Catholicus authoritate Ill^{mi}. *Cardinalis Peronij* in errorem facilè pertrahatur, quædam illius artificia, quibus ipſe tum ad meam doctrinam (tanquam falſam, & à nullo Doctore *Gallo-Franco* ab eo tempore quo ſacræ Theologiæ ſtudia in *Francia* inſtituta ſunt, propugnatam) impugnandam; tum ad primum illum articulum, quem in *Francia* tertia pars *Ordinum* in Comitijs Regni generalibus *Regi Chriſtianiſſimo*

aniſsimo propoſuit, refellendum vſus eſt, palam detegere neceſſarium eſſe duco.

2 *Primum* autem, præcipuum, & maximè obſeruandum illius artificium eſt, quòd in vero & proprio huius grauiſſimę controuerſiæ ſtatu, quique totius ſui *Diſcurſus* fundamentum eſt, proponendo, plures quæſtiones artificioſe confundat, quæ omnino diſtinguendę eſſent, & quæ fundamentis omnino diſtinctis nituntur, & ex quibus diſtinctè explicatis perſpicuum redderetur, tum plurimos Doctores etiam *Gallo-Francos* meam ſententiam, quod ad poteſtatem ſummi *Pontificis Principes* deponendi, & pænas temporales infligendi ſpectat, amplecti, tum ipſummet *Cardinalem* in hac ſua oratione magis verboſa, quàm ſolida parum aut nihil momenti aduerſus meam doctrinam, & nouum fidelitatis Iuramentum, vel in *Anglia* ſtabilitum, vel in *Francia Regi Chriſtianiſsimo* vt ab eo confirmaretur propoſitum, produxiſſe. Hæc igitur ſunt *Cardinalis Peronij* verba. [a]

3 *Remanet tertium membrum: Vtrùm ſcilicet, ſi Principes, qui vel ipſi vel eorum Prædeceſſores, Deo & ſuo Regno iuſiurandum dederunt, ſe in Chriſtiana & Catholica Religione vſque ad mortem permanſuros, poſtea illud iuſiurandum violarent, & in* Ieſum Chriſtum *rebellarent, atque illi bellum apertum indicerent: id eſt, non ſolùm in manifeſtam hereſis profeſsionem, vel à Chriſtiana religione apoſtaſiam prolaberentur, ſed vlteriùs ad vim conſcientiæ ſubditorum inferendam etiam progrederentur, & Arrianiſmum vel* Mahometiſmum, *vel aliam ſimilem infidelitatem in ſuis Statibus plantare, atque ita*

---

[a] En *Harangue* au Tiers Eſtat, pag. 11.

in Religionem Chriſtianam euertere & exterminare niterentur; Vtrùm, inquam, horum Principum ſubditi poſſint pariter declarari eſſe à iuramento fidelitatis, quod illis præſtiterunt, abſoluti: Et ſi hoc eueniat, ad quem ſpectet declarare eos eſſe abſolutos.

Iam hic eſt punctus, quem nos dicimus eſſe in controuerſia & diſceptatione. Nam veſter articulus partem continet negatiuam; id eſt, in nullo caſu poſſe ſubditos à iuramento fidelitatis quod ſuis Principibus præſtiterunt, abſolui: Et è contrario reliquæ omnes Eccleſiæ Catholicæ partes, immo etiam ipſa tota Eccleſia Gallicana ab eo tempore, quo Theologiæ Gymnaſia inſtituta ſunt, vſque ad Caluini aduentum, affirmatiuam tenuerunt; nimirum, quòd in caſu quo Princeps violaret iuramentum, quod Deo & ſuis ſubditis præſtitit de viuendo & moriendo in religione Catholica, & non ſolùm Arianus aut Mahometanus euaderet, ſed eouſque procederet, vt bellum Ieſu Chriſto indiceret, & ſubditorum conſcientijs violentiam inferret, eoſque Arianiſmum, aut Mahometiſmum, aut aliam ſimilem infidelitatem amplecti compelleret, poſſit talis Princeps declarari ſuis iuribus cecidiſſe, tanquam reus criminis feloniæ in eum, id eſt, Ieſum Chriſtum cui iuſiurandum de Regno ſuo dedit, commiſſi, & ſubditos ipſius in conſcientia & coram ſpirituali atque Eccleſiaſtico tribunali à iuramento fidelitatis, quod illi fecerunt, abſolutos eſſe; Et hoc caſu occurrente, penes Eccleſiam vel in capite ſuo, videlicet Papa, vel in corpore, nempe Concilio, reſidentem, hanc declarationem faciendi poteſtatem eſſe. Atque non ſolùm reliquæ omnes Eccleſiæ Catholicæ partes, ſed pariter omnes Franciæ Doctores à tempore, quo Schola Theologica *in ea inſtituta ſunt, affirmatiuam tenuerunt, nimirum, quòd in caſu* Principum *hæreticorum, vel infidelium, & religionem Chriſtianam aut Catholicam perſequentium, ſubditi à iuramento fidelitatis abſolui poſſint. Quò fit, vt tametſi contraria doctrina multò verior eſſet, cùm tamen reliquæ omnes Eccleſiæ partes de ea vobiſcum diſputent, non poſſitis eam tenere niſi ad ſummũ* problematicam *in materia fidei. Appello doctrinam* problematicam *in* materia fidei *omnem illam doctrinam, quæ non eſt neceſſaria neceſſitate fidei, & cuius contradictoria non obligat eos, qui eam credunt, ad anathema, & diſunionem; ſeu ab Eccleſiaſtica communione ſeparationem. Alioquin oporteret vos agnoſcere communionem illam, quam cum reliquis omnibus Eccleſiæ partibus contrariam doctrinam tenentibus exercetis, immo illam etiam, quam cum memoria veſtrorum Prædeceſſorum conſeruatis, fuiſſe illicitam, & hæreſi atque anathemate contaminatam.* Ita *Cardinalis.*

4 Ex quibus manifeſtum eſt, *Illuſtriſſimum Cardinalem* Peronium, in proponendo ſuæ quæſtionis ſtatu, principalem totius inter me & Aduerſarios controuerſiam, quam ſcilicet authoritatem habeat ſummus *Pontifex* Principes hæreticos per ſuam ſententiam ſuo regnandi iure, quo ante ſententiam illam priuati non erant, re quidem vera priuandi, penitus effugere, & plures quæſtiones, quæ ad præſentem de prædicta *Pontificis* poteſtate controuerſiam, de qua ſola ego cum Aduerſarijs contendo, haud ſpectant, ſingulari arte, ne dicam fraude, ſimul permiſcere.

5 *Prima quæſtio* eſſe poteſt; Vtrùm Princeps

ille, qui vel per ſeipſum, vel per ſuos Prædeceſſores iuramentum præſtitit, ſe in Chriſtiana & Catholica Religione, vſque ad mortem permanſurum, & poſtea in hęreſim aut infidelitatem prolabitur, & ſubditos ad eandem pertrahere vijs omnibus conatur, ſit ipſo facto omni regnandi iure priuatus, & ſubditi illius ſint eo ipſo ante vllam ſententiam cuiuſcunque Iudicis declaratoriam ab omni obedientiæ & fidelitatis vinculo liberati. Et quidẽ *Anglus* ille *Ieſuita*, qui fictam *Andreæ Philopatris* perſonam induit, cui tamen Miſopatris cognomen magis aptè conueniret, affirmatiuam huius quæſtionis partem nimis præcipitanter, vt alias[b] annotaui, his verbis[c] tuetur.

[b] In Apolog. nu.118.
[c] In Reſp. ad Edictum Reginæ ſect.2. nu.157.158.

6 *Hinc etiam infert vniuerſa Theologorum, ac Iuriſconſultorum Eccleſiaſticorum ſchola (& eſt certum & de fide) quemcunque* Principem *Chriſtianum, ſi à* Religione Catholica *manifeſtò deflexerit, & alios auocare voluerit,* excidere ſtatim omni poteſtate ac dignitate, *ex ipſa vi iuris tum humani tum diuini, hocque ante omnem ſententiam ſupremi Paſtoris, ac Iudicis contra ipſum prolatam: & ſubditos quoſcunque liberos eſſe ab omni iuramenti obligatione, quod de obedientia tanquam Principi legitimo præſtitiſſent; poſſeque & debere (ſi vires habeant) iſtiuſmodi hominem tanquam Apoſtatam, hæreticum, ac Chriſti Domini deſertorem, & Reipublicæ ſuæ inimicum, hoſtemque ex hominum Chriſtianorum dominatu eijcere, ne alios inficiat, vel ſuo exemplo, aut imperio à fide auertat.*

Atque hæc certa, definita, & indubitata virorũ doctiſsimorum ſententia doctrinæ Apoſtolicæ conformis planè, ac conſona eſt: qua D. Paulus *vxorem fidelem*

1 Cor.7.

lem eximit à poteſtate infidelis mariti, eo ipſo, quo ille cohabitare ſine iniuria ac periculo religionis Chriſtianæ (cui omnia ſeruiunt) non permittat; cùm poteſtas tamen mariti in vxorem non minor ſit, ſed aliquanto etiam maior, ſiue naturam, ſiue Dei præceptum ſpectes, quàm Regis in ſubditos. Eâdem etiam epiſtolâ præcipit Apoſtolus *Corinthijs, vt nouos Iudices ex Chriſtianis populus fidelis ſibi conſtituat, qui cauſis litibuſque temporalibus præſint, ne videlicet cogerentur coram Iudice infideli, Chriſtique perſecutore cauſas agere: ex quo infertur, quòd ſi potuerint noui Iudices authoritate* Apoſtoli *per fideles conſtitui excluſis gentilibus, qui alioquin erant legitimi, eadem etiam authoritate ob eandem cauſam & finem, & ob eadem vitanda incommoda, potuiſſent ab ijſdem infidelibus ſine dubio alij quoque Principes & Reges legitimi ſibi conſtitui, ſi vires Chriſtianis fuiſſent ad rem exequendam.*

1 Cor.6.

7 Sed admiranda eſt huius turbulenti hominis temeritas & imperitia, qui ob rationes planè friuolas (ex *Cardinali* quidem *Bellarmino* deſumptas, ſed & contra eiuſdem *Bellarmini* ſenſum & ſententiam contortas, & ſæpiùs à me [d] & alij [e] perſpicuè refutatas) doctrinam tam falſam & ſcandaloſam, dãnabilem & ſeditioſam confingere, & quod magis mirandum eſt, cùm ſibimet ſoli propria & peculiaris ſit, & à nullo alio inſuper Catholico quem legi (quantumuis ipſe *Alphonſum* de *Caſtro*, *Waldenſem*, & *Victoriã* pro ea falſiſſimè citet) propugnata, eam tamen *vniuerſa* Theologorum & Iuriſconſultorum *Schola* attribuere, & eſſe *certam*, & *de fide* incredibili impudentia affirmare auſus fuerit.

8 Atque

[d] In Apolog. nu. 270. 288. et alibi.

[e] *Ioan. Barclai.* contra *Bellarm.* cap. 21. §. 2. et cap. 23. per totum.

8 Atque *inprimis*, cùm *oporteat*, Deo ſcilicet permittente, *hæreſes eſſe* 1. Cor. 11. quodnam obſecro, Regnum, in quo perfecta Religionis vnitas non reperitur, à continuarum proditionum terroribus & ſuſpicionibus ſecurum eſſe poteſt, quando ſubditi illius Regni, iuxta peſtiferæ iſtius doctrinæ principia, ſibi perſuadere debent, *Principem* ſuum, ſi contrariam Religionem illi quam ipſi amplectuntur, profiteatur, & ſubditos ad eam amplectendam pertrahere conetur (vtî omnibus *Principibus* conſuetum eſt) eo ipſo *omni poteſtate & dignitate Regia excidiſſe*, & ſubditos ab omni fidelitatis iuramento & vinculo eſſe abſolutos, atque ita per ſuam *Eccleſiam*, quam veram *Chriſti* Eccleſiam eſſe credunt (ſicut omnes Chriſtiani, tam hæretici quàm Catholici profitentur) declarari pariter poſſe? Qua etiam ſecuritate poteſt *Rex* aliquis, ſiue Catholicus ille ſit ſiue non, tolerare in ſuis dominijs Religionem aliquam illi, quam ipſemet profitetur, contrariam, quando ſubditi contrariæ Religionis, iuxta ſcandaloſam hanc doctrinam, ſibi perſuadere debent, *Regem* illum, ſi ſubditos ad Religionem, quam ipſe profitetur, pertrahere conatus fuerit (ſicut omnes *Principes* ſolent) *ſtatim excidere omni poteſtate ac dignitate*, ſeu omni regnandi iure priuatum eſſe?

9 Qua item ſecuritate poteſt *Rex* aliquis hæreticus aut infidelis, cuius Regnum vel omnino, vel magna ex parte hæreſi, aut infidelitate infectum eſt, Religionem Catholicam amplecti, & ſubditos ſuos ad eam inducere conari, quando ſubditi, qui Catholici non ſunt (iuxta irreligio-

ſam hanc doctrinam) ſibi perſuadere debent, *Principem* illum *Deo*, illique Religioni, quam ipſi veram eſſe credunt, bellum manifeſtum indicere, ſubditorum conſcientijs violentiam inferre, illudque iuſiurandum, quod vel ipſe, vel aliquis ex Prędeceſſoribus fecerunt de viuendo & moriendo in illa Regni ſui fide & religione, violaſſe, & proinde omni regnandi iure eo ipſo priuatum eſſe? Adeo vt perſpicuum ſatis ſit, doctrinam hanc ad Statuum omnium temporalium pacem ac tranquillitatem perturbandam, & ſubuertendam tendere, *Principum* infidelium animosà religione Catholica amplectenda omnino auertere; & ſi aliquis huius Regni ſubditus illam eo modo, quo à me propoſita eſt, defendere auſus eſſet, eum Archiproditorem manifeſtum, & læſæ Maieſtatis reum pronunciare non pertimeſcerem, cùm conſequenter defendere teneatur, *Regem* noſtrum Sereniſſimum non eſſe verum & legitimum huius Regni *Principem*, ſed omni poteſtate & dignitate Regia excidiſſe, quandoquidem, tametſi non ipſemet, aliquis tamen ex Prædeceſſoribus iureiurando pollicitus eſt, ſe Eccleſiam *Catholicam Romanam* defenſurum, atque in ea vſque ad extremum vitę exitum permanſurum eſſe.

10 *Deinde*, hæc doctrina plurimùm fauet falſæ illi, ne dicam, erroneæ aſſertioni, quòd dominium ciuile non fundetur in natura, ſed in gratia aut fide; & quòd in hæreticis & infidelibus dominium, poteſtas, & iuriſdictio vere ciuilis non reperiatur: cùm vix aliquis Imperatorum, aut Regum hæreticorum, vel infidelium à *Chriſto*

paſſo extiterit, qui Religionem Chriſtianam & Catholicam demoliri, & ſuam hæreſim aut infidelitatem exaltare conatus non fuerit. Et tametſi *Cardinalis Peronius*, dum iſtius controuerſiæ ſtatum proponit, mentionem faciat cuiuſdam Iuramenti, quo vel *Principes* ipſi, vel eorum prædeceſſores ſe obligarunt ad viuendum & moriendum in Religione Chriſtiana & Catholica, quaſi ipſa Iuramenti violatio, ex ipſius ſententia, vel ſola vel præcipua cauſa eſſet, ob quam *Principes* hæretici, qui ſubditos ad ſuam hæreſim pertrahere ſtudent, *omni poteſtate ac dignitate Regia excidant*, & reipſa priuati ſint; huius tamen Iuramenti mentio eſt artificioſus duntaxat, meo quidem iudicio, prætextus, quo ipſe ſub ſpecioſo mutui cuiuſdam inter *Principem* & ſubditos pacti, ſeu contractus initi fuco, doctrinæ ſuæ maiorem probabilitatis ſpeciem afferre conatur: & nihilominus neque inde ſupradicta incommoda deuitat; neque doctrinam ſuam probabiliorem reddit.

11 Nam *Primùm* omnes Chriſtiani, vt quidam præſertim ex Sanctis *Patribus* affirmare videntur, [f] quandam promiſſionem, ſponſionem, immo & pactum cum *Deo* & Eccleſia ineunt, de renunciando Sathanæ, & omnibus operibus eius, & conſequenter de mandatis Dei obſeruandis, atque in fide Chriſtiana & Catholica vſque ad mortem permanendo; Et nihilominus nullus vir eruditus, vti opinor, affirmabit, eos, ſi hanc promiſſionem, ſponſionem, & pactionem, qualiſcunque illa ſit, violauerint, *excidere ſtatim omni poteſtate ac dignitate* aut aliquo iure aut dominio

[f] vide meam *Apologiam* nu. 308.

minio ciuili, quod neque per Baptiſmum, neque per illam ſponſionem, aut pactionem in Baptiſmo factam, receperunt, inde priuatos eſſe.

12 *Deinde*, nulla promiſſio, votum, iuramentum, aut pactum poteſt aliquem vllo iure, Dominio, vel authoritate ciuili priuare, niſi ius illud, dominium, vel authoritas illi conferatur cum hac conditione, conuentione, aut pacto, quòd ſi illam promiſſionem, votum, iuramentum, aut pactionem fortaſſis violauerit, eo ipſo iure illo, dominio, & authoritate ciuili excidiſſe cenſendus ſit; ſed nulla ratione veroſimili comprobari poteſt, Principes Chriſtianos, tametſi forſan iurauerint, ſe in Chriſtiana & Catholica religione ſemper permanſuros eſſe, ius ſuum Regale, & poteſtatem Regiam ſuſcepiſſe cum hac conditione & pacto, quod ipſi, ſi religionem Catholicam deſeruerint, eo ipſo omni regnandi iure & poteſtate ſua Regali excidiſſe exiſtimandi ſint, cùm hoc iuſiurandum, quod *Principes* Chriſtiani, qui iure hæreditatis & ſucceſſionis ad Regni ſolium euehuntur pręſtât, ſit tantùm quædam cæremonia tempore ſuæ coronationis adhibita; & nihilominus ſatis conſtat totam authoritatem & iuriſdictionem Regiam illis antea ab ipſo temporis momento, quo *Rex* ille, cui ſuccedunt, vita functus eſt, ex vi ſucceſſionis, & hæreditatis competere.

13 *Tertiò*, etiamſi abſtrahamus ab omni iuramento, quod *Principes* Chriſtiani, vel ipſi vel eorum Prædeceſſores præſtiterunt de viuendo & moriendo in religione Chriſtiana & Catholica, attamen ſi à fide, quam in Baptiſmo profeſſi

ſi ſunt, deſciuerint, & *Ariani* aut *Mahometani* efficiantur, & alios ad *Arianiſmum* aut *Mahometiſmum* pertrahere conentur, tum *Chriſto* & ſuæ Eccleſiæ rebelles fiunt, illique bellum apertum indicunt, tum ſubditorum conſcientijs violentiam inferunt, & Religionem Chriſtianam ac Catholicam euertere, & è ſuis dominijs exterminare nituntur, quæ ſunt præcipuæ cauſæ, ob quas *Cardinalis Peronius* in ſtatu ſuæ quæſtionis proponendo affirmat, *Principes* hęreticos *ſua poteſtate & dignitate excidere*, eaque priuatos eſſe per *Eccleſiam* declarari poſſe, igitur iuramentum illud, cuius ipſe meminit, eſt artificioſus duntaxat fucus, quo Lectori perſuadere cupit, inter *Principem* & ſubditos iniri quendam contractum & pactionem, vt ſi *Princeps* à Religione Chriſtiana, quam ipſe vel Prædeceſſores conſeruare iurauerunt, deſciuerit, eo ipſo omni regnandi iure excidiſſe cenſendus ſit, cùm omnes illę rationes ab ipſomet *Cardinali* allatæ, ob quas *Princeps* hærereticus Regia ſua dignitate priuatus ſit, & proinde ita declarari queat, vim habeant, tametſi nullum tale iuramentum interueniſſe ſupponamus.

14 *Quartò* denique, tametſi concederemus, quod tamen omnino confictum eſt, & nullo fundamento probabili confirmari poteſt, *Principes* Chriſtianos, vel ipſos vel eorum Prædeceſſores iuſiurandum *Deo* & populo ſuo feciſſe de viuendo & moriendo in religione Chriſtiana & Catholica, cum expreſſa conditione & pacto, quòd eo ipſo quo à religione Catholica defecerint, & ſubditos ab eadem auocare ſtuduerint, ca-

dant omni poteſtate, & dignitate, & omni regnandi iure ſint ipſo facto priuati, poſito tamen quod in hæreticis vel infidelibus ſit verum dominium, poteſtas & iuriſdictio ciuilis, nemo vir doctus dubitare poteſt, quin ſicut in poteſtate Regni, aut Reipublicæ, etiam hęreticæ, aut infidelis, ſit talem conditionem & pactionem, quæ fingitur, iuramento firmatam conficere, admittere, & ratam habere, ita etiam ab ipſomet Regno, aut Republica omnino reſcindi, & irrita reddi poterit, atque ita ſemper præſumi debeat, quotieſcunque talis Reſpublica *Principem* ſimiliter hæreticum aut infidelem ad Regnum admittit, & tanquam *Principē* ſuum legitimū recognoſcit. Si enim Regnum illud, aut Reſpublica hęretica, vel infidelis veri dominij ciuilis, poteſtatis, & iuriſdictionis capax fuerit, nullum planè eſt dubium, quin in ipſummet *Principem*, tametſi ſimiliter cum illis hæreticus aut infidelis fuerit, idem dominium ciuile, poteſtatem, & iuriſdictionem ſupremam transferre quoque poterit. Ex quo perſpicuum eſt, hanc pactionem & conuentionem, quæ inter *Regem* & *Rempub.* fingitur, non poſſe ſufficiens eſſe fundamentum, ob quod *Princeps* aliquis hęreticus, qui vel electione, vel acceptatione & approbatione Regni hæretici ad Regni ſolium euehitur, cadat aliqua ſua poteſtate & dignitate Regia, eo quòd ſubditos ad hæreſim, quam Regnum illud profitetur, pertrahere modis omnibus conetur. Atque hæc de *prima quęſtione*, quam *Cardinalis Peronius*, dum ſuæ controuerſiæ ſtatum proponit, cum pluribus alijs confundit, dicta ſufficiant.

15 *Secunda quæſtio* eſſe poteſt, in quonam conſiſtat vera & adæquata ratio, ob quam *Princeps* ille hæreticus, iuxta damnabilem illam *Philopatris* doctrinam, *cadat iure ſuo, & poteſtate Regali*, & ſubditi à iuramento fidelitatis ſint ipſo facto ante vllam *Eccleſiæ* declarationem abſoluti; an ſcilicet in violatione tantùm iuramenti, quod vel ipſe, vel ſaltem ſui Prędeceſſores dederunt de viuendo & moriendo in Religione Chriſtiana & Catholica, vel in manifeſta hæreſis profeſſione & ſpirituali in Deum & Eccleſiam rebellione, vel etiam in eo quòd ſubditorum conſcientijs violentiam inferat, eoſque vel inuitos ad ſuam hæreſim pertrahere ſtudeat, hæc enim omnia *Cardinalis Peronius* recenſet, ſed vtrum omnia vel aliqua ex illis requirantur aut ſufficiant, vt *Princeps* ille hæreticus ſuo regnandi iure excidat, et proinde ita declarari poſſit, ipſe non declarat.

16 *Tertia quæſtio* eſſe poteſt, vtrùm *Papa* vel *Eccleſia*, quam *Concilium* generale repręſentat, poteſtatem habeat declarandi, *Principem* aliquem eſſe hæreticum, iuramenti ſui violatorem, *Chriſto* & Eccleſiæ rebellem, & religionis Catholicæ perſequutorem, & conſequenter, iuxta falſiſſimam hanc *Philopatris* doctrinam, *iure ſuo Regali excidiſſe*, & ſubditos à iuramento fidelitatis illi debitæ abſolutos eſſe, & de hoc nulla omnino inter Catholicos dubitatio fieri poteſt, cùm declarare iuridicè & authenticè, quid ſit hęreſis, & quiſnam ſit hæreſi infectus, & quis ſit iuramenti, ad rem ſpiritualem confirmandam facti, violator, atque religionis Catholicæ perſequutor, actio ſpiritualis ſit, & proinde, iuxta communem omnium

Catholicorum ſententiam, ad *Eccleſiam* in capite & membris reſidentem pertineat.

17 *Quarta quæſtio* eſſe poteſt, quemnam effectum declaratio illa *Pontificis* vel *Eccleſiæ* operetur, cùm, iuxta falſum illud *Philopatris* principium, *Princeps* ille hæreticus ante omnem declarationem iure ſuo regnandi exciderit, & ſubditi à iuramento fidelitatis abſoluti fuerint: & vtrùm neceſſaria ſit, quando factum ita eſt notorium & publicum, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, neque vix vllum ex Regni ſubditis latere queat, *Principem* illum hæreſi infectum eſſe, religionem deſeruiſſe, iuramentum ſuum violaſſe, ſubditoſque ad ſuam hæreſim amplectendam minis & terroribus pertrahere conatum eſſe: Et de hoc etiam vix vlla dubitatio, mea quidem ſententia, eſſe poteſt, quandoquidem hæc declaratio *Principem* illum nullo ſuo regnandi iure, iuxta illam *Philopatris* doctrinam, priuat, ſed priuatum eſſe ſupponit, & ad hoc ſolum deſeruit, vt illud, quod forſan aliquibus tantùm erat notum, omnibus manifeſtum faciat, nempe *Principem* illum iure ſuo regnandi excidiſſe, & ſubditos ab omni obedientiæ vinculo abſolutos eſſe. Quo fit, vt hæc declaratio non ſit neceſſaria in caſibus planè manifeſtis, ſed ſolùm in dubijs, incertis, aut non adeo notis: ſicut etiam in votis & iuramentis, quando manifeſtum eſt ea non obligare, non opus eſt aliqua diſpenſatione (quæ iuxta *Thomiſtarum* doctrinam eſt iuris tantùm declaratio) ſed tunc ſolùm diſpenſatio requiritur, quando ambigitur, an res illa, quæ voto aut iuramento promittitur, ſit ſufficiens & idonea voti aut iuramenti materia.

Quapropter, quando *Rex* aliquis vel ob ætatem, vel ob infirmitatem, aliamue ob cauſam non ſolum Regni ſui adminiſtrationem, verum etiam totum ius ſuum & poteſtatem *Regiam* filio ſuo primogenito, aut proximo hæredi ita palam & publice permittit ſeu reſignat, vt toti Regno notiſſimum ſit, non opus eſt, vt ſubditi aliquam declarationem, diſpenſationem, aut abſolutionem à iuramento fidelitatis, quod olim *Regi* præſtiterunt, à *Papa*, vel *Eccleſia* requirant, cùm euidens jam ſit, prius illud fidelitatis vinculum ex illa reſignatione iam diſſolutum eſſe, neque eſſe idoneam Iuramenti materiam, & conſequenter ipſum iuramentum; quo ſe ad illud ciuile fidelitatis vinculum confirmandum obſtrinxerunt, iam irritum omnino reddi, nullamque vim ſubditos ad id ſeruandum obligationem habere.

18 Verumtamen, cùm prædicta *Philopatris* doctrina falſiſſima ſit, vti diximus, ſcandaloſa, ſeditioſa, & nullo vero ſimili fundamento nixa, *quinta queſtio* eſſe poteſt, *vtrùm* (ſuppoſito eo quod certiſſimum eſt, nempe *Principem* illum hæreticum, neque ob iuramentum violatum, neque ob publicam hæreſis profeſſionem, aut violentam ſubditorum ad hæreſim ſuam amplectendam inductionem excidere ſtatim (ex vi iuris diuini) omni poteſtate ac dignitate) *vtrùm*, inquam, in poteſtate Regni ſeu Reipublicæ, quam *Parliamentum*, ſeu generalia Regni Comitia repræſentant, ſit *Principem* ſuum in hæreſim eo modo lapſum deponere, & omnem regnandi poteſtatem illi adimere, ſeu quod idem eſt, an totum Regnum, ſeu Reſpublica ſit *Principe* ſuo vero & legitimo, ſi

forſan in hæreſim lapſus fuerit, & ſubditos ad eam pertrahere conatus fuerit, maior & ſuperior, eumque caſtigandi authoritatem habeat. Atqui hæc quæſtio neque ad noſtram de poteſtate *Summi Pontificis Principes* deponendi controuerſiam, neque ad Iuramentum fidelitatis in *Anglia* recens ſtabilitum ſpectat, & potius principijs politicis & in morali philoſophia fundatis, quàm Theologicis nixa eſt.

19 *Sexta* igitur, & *vltima quæſtio*, quęque ſola ad rem noſtram pertinet, eſſe poteſt, *an* penes *Summum Pontificem*, vel *Eccleſiam* ſit poteſtas *Principes* hæreticos in caſibus prædictis deponendi, ſeu iure ſuo Regali per ſententiam priuandi, & ſubditos a naturali ac ciuili fidelitatis vinculo liberandi, quo ſemel ſoluto ſacrum illud & religioſum Iuramenti vinculum, quod in ciuili fundatur, & ad illud confirmandum ſuperadditur, protinus diſſoluitur; vel *vtrùm* in *Pontifice*, aut *Concilio* ſit tantum poteſtas declarandi talem *Principem* eſſe hæreticum, *Chriſto*, & *Eccleſiæ* inimicum, iuramenti violatorem &c. eumque vijs ſpiritualibus tam *directiuis*, quàm *coercitiuis* ab hæreſi ſua auocandi, & conſequenter, ſi ſemel conſtaret, Rempub. ciuilem eſſe in caſu hæreſis *Rege* ſuo legitimo ſuperiorem, illumque deponendi poteſtatem habere, præcipiendi atque cenſuris ſpiritualibus compellendi Rempub. vt *Principem* ſuum in tali caſu deponat: Dixi, *ſi ſemel conſtaret*, &c. nam quamdiu probabile tantùm eſt, talem in Repub. authoritatem *Principem* ſuum deponendi reſidere, non poteſt talis Reipublicæ poteſtas ad effectum tutâ conſcientiâ perduci, vt ſupra ex principijs

Leſsij perſpicuè commonſtrauimus, cùm *poteſtas quæ non certa ſed probabilis, non poſſit eſſe fundamentum quo aliquis immediatè puniatur, aut iure ſuo & dominio priuetur, ſed talis poteſtas certiſſimè debeat competere.*

20 . Iam has omnes quæſtiones *Card. Peronius* in ſtatu ſuæ quæſtionis proponendo ita artificioſe, vti vidiſtis, confundit, ac ſi vna duntaxat quæſtio eſſet, adeo vt ſi ad particularia deſcendamus, quid ipſe de ſingulis ſentiat, & præſertim de poteſtate *ſummi Pontificis*, non *Principes* ipſo facto depoſitos, vt voluit *Philopater*, vel authoritate Reipub. deponendos, vt alijs placet, declarandi, ſed ipſos vere per ſententiam ſuam regnandi iure priuandi, ſatis clarè cognoſci nequeat, tametſi in præfatam *Philopatris* ſententiam nimium propendere videatur. Et propterea, neque illa quæſtionis ſuę propoſitio, neque eiuſdem confirmatio vel meam doctrinam, vel noſtrum *Angliæ* Iuramentum, quę de poteſtate tantum Eccleſiaſtica *Principes* vere deponendi agunt, vllatenus impugnat, tametſi ipſemet *Cardinalis* ſatis perſpicuè ea impugnaſſe in progreſſu ſui diſcurſus prætendat.

21 Atque hinc alterum artificium notatu digniſſimum, quo *Card. Peronius* vſus eſt, clariſſimè innoteſcit; quando ita ſcribit: *Et non ſolùm reliquæ omnes Eccleſiæ Catholicæ partes, ſed pariter omnes Franciæ Doctores à tempore quo Scholæ Theologicæ in ea inſtitutæ ſunt, affirmatiuam tenuerunt, nempe, quòd in caſu Principum hæreticorum vel infidelium, & Religionem Chriſtianam ſeu Catholicam perſequentium ſubditi à iuramento fidelitatis abſolui*

poſſint: Et infrà citans *Widdringtonum* in margine, *Nam Scriptores*, inquit, g *Anglici, qui in defenſionem Iuramenti à præſente Angliæ Rege ſanciti ſcripſerunt, & totis viribus elaborarunt, vt aliquos Doctores, & in particulari Francos reperirent, qui illorum ſententiam ante hos vltimos tumultus ſequuti ſunt, non potuerunt adhuc vel vnicum aut Theologum aut Iuriſconſultum producere, qui dixerit, in caſu hæreſis vel apoſtaſiæ à religione Chriſtiana ſubditos à iuramento fidelitatis abſolui non poſſe.* Duas enim quæſtiones principales omnino diuerſas de authoritate ſpirituali ſummi *Pontificis*, & de temporali ipſius *Reipub.* Principes hæreticos abdicandi *Cardinalis* in vna confundit, & de illis duabus vnicam facit: cùm tamen nemo, qui libros meos perlegerit, ignorare queat, non fuiſſe mihi inſtitutum de poteſtate *Reipublicæ* in ſuum *Principem* diſſerere, aut vllum Authorem in medium proferre, qui verbis hiſce generalibus expreſſe affirmaret, nullam eſſe in terra poteſtatem ſiue temporalem in *Republica*, ſiue ſpiritualem in *Eccleſia* Principes hæreticos deponendi, & ſubditos à temporali eorum fidelitate liberandi: Hanc enim quæſtionem de poteſtate *Reipublicæ* ciuilis in ſuum *Principem* neque ad meum inſtitutum, neque ad præſens *Angliæ* iuramentum vllatenus ſpectare ſæpiſſime commonſtraui.

g pag. 55.

22 Sin autem *Cardinalis* aſſerere velit, me nullum Scriptorem produxiſſe, qui verbis generalibus dixerit, non poſſe *Summum Pontificem* Principes deponere, & poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ex inſtitutione di-

uina infligere, ſed ad pœnas tantùm ſpirituales, vtputa Excommunicationem extendi, & egregiè fallitur, & Lectorem fallere conatur: vt conſtat tum ex mea *Apologia* [h], tum ex *Diſputatione* mea *Theologica*, vbi plures tum *Theologos*, tum *Iuriſconſultos*, non aliarum tantùm nationum, ſed nationis etiam *Gallicanæ* produxerim, & nominatim *Ioannem Pariſienſem*, *Petrum Pithœum*, & *Iacobum Almainum*, non quidem in Tractatu illo ſuo *de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica* à Card. *Peronio* citatum, vbi doctrinam *Occami* interpretatur, & iuxta illius ſententiam loquitur; ſed in libris ſuis de *Authoritate Eccleſiæ*, & de *Dominio naturali, ciuili, & Eccleſiaſtico*, vbi ex propria ſententia ſcribit: Tametſi, quod ad poteſtatem *Reipublicæ ciuilis* in ſuum *Principem* attinet, *Ioannes Pariſienſis*, vt alias [k] monuimus, & alij etiam Scriptores *Galli* in ea ſint ſententia, quòd Reſpublica ciuilis *Principem* ſuum hæreticum, aut Eccleſiæ rebellem & incorrigibilem deponendi, & ſubditos à fidelitate temporali, quam illi debent, liberandi authoritatem habeat: Vnde iuxta horum ſententiam poteſt *Papa* deponere *Principem* illum per *accidens*, ſeu, vt loquitur *Ioannes Maior*, *applicando actiua paſſiuis*, ad eum modum, quo ille, qui applicat ignem ſtupæ, dicitur ſtupam comburere, nempe mouendo, dirigendo, conſulendo, admonendo, præcipiendo, & cenſuris etiam ſpiritualibus *compellendo* (ſi *compulſio* rectè dici queat) ipſam Rempub. ciuilem, cui *Principem* ſuum deponendi authoritatem attribuunt, vt in caſu prædicto ipſum deponat: Poſtquam autem *Princeps*

ceps

[h] Nu.4. & ſeq. 1.cap.3. ſect.3.

[k] In *Diſputat. Theolog.* loc. cit. et in *Confutat. Anglic.* Tho. Fitzh. part.1.cap.3. Vide etiam ſupra part.1. ſect.5.

Maior in 4. diſt.24.q.3.

ceps ille ex horum ſententia propter hæreſim depoſitus fuerit, & conſequenter ſubditi a naturali fidelitatis vinculo liberati, poteſt procul dubio *Papa* (hac eorum ſententia vtì verâ præſuppoſita) declarare, ſubditos à ſacra, & religioſa Iuramenti obligatione, quæ ad naturale fidelitatis vinculum confirmandum ſuperaddita eſt, eamque neceſſariò ſupponit, coram *Deo*, & *Eccleſiaſtico* tribunali liberos eſſe. Sed hæc omnia ad Iuramentum fidelitatis in *Anglia* ſtabilitum planè impertinentia ſunt, cùm in eo authoritas tantùm *Summi Pontificis* Principes deponendi & ſubditos à fidelitate abſoluendi abnegetur, & quæſtio illa de poteſtate *Reipublicæ* in ſuum *Principem* omnino declinetur.

23 Quapropter, qui *Card. Peronij* orationem *Anglicè* vertit non minùs falſo quàm audacter affirmat [l] *diſcrimen illud inter hæc duo Iuramenta reperiri, quòd* Anglicum *Iuramentum in vna ex clauſulis excludere videatur, non ſolùm authoritatem Eccleſiæ in Reges, verùm ipſius etiam Reipub. tametſi cum illa etiam Eccleſiæ authoritate ſimul coniuncta eſſet, at illud* Franciæ *Iuramentum ad authoritatem Eccleſiæ abnegandam ſolummodò collimat.* Nam quicquid ſit de Iuramento *Franciæ*, de quo infrà, conſtat tamen, noſtrum Iuramentum de poteſtate *Reipub.* in ſuum *Principem* non loqui, ſed ſolùm de authoritate *Summi Pontificis* Regem deponendi, & ſubditos a fidelitate liberandi agere, eamque Summo *Pontifici* nullo, ſiue diuino, ſiue humano iure competere omnino contendere. Noſtrum enim *Angliæ* Iuramentum, vt alibi [m] fuſiùs commonſtraui, ſolummodò

[l] In *Præfat.* pag.9.

[m] In *Diſput. Theolog.* cap.3. ſec.4.

modò affirmat, *quòd* Papa *nec per ſeipſum*, id eſt, per nullam authoritatem ſibi à *Chriſto* conceſſam, *nec per vllam authoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ*, quia neque *Eccleſiæ*, neque *Sedi Romanæ* talis authoritas eſt communicata; *neque per vlla alia media cum alijs quibuſcunque*, id eſt, neque vt cauſa partialis, ſiue principaliter, ſiue per modum *inſtrumenti*, & participatiuè aliquam *poteſtatem vel authoritatem habeat Regem deponendi &c.* Ex qua poſtrema clauſula hoc ad ſummum deduci poteſt, ipſam *Rempub.* ciuilem, ſiue talem authoritatem *Principem* ſuum ob aliquam cauſam vel crimen deponendi habeat, ſiue non, cui quæſtioni neque *Rex* noſter, neque Regni *Ordines* ſe immiſcere voluerunt, nullam talem authoritatem *Summo Pontifici* vel per ſeipſum vel cum aliquo alio *Regem* noſtrum deponendi communicaſſe.

24 Illud autem *Franciæ* Iuramentum diſertè aſſerit, [n] *nullam eſſe poteſtatem in terra, quæcunque illa ſit, ſiue Spiritualem ſiue temporalem, quæ ius aliquod habeat in Regnum Franciæ ad ſacratas noſtrorum Regum perſonas deprimandas, vel ad diſpenſandum, aut abſoluendum eorum ſubditos à fidelitate & obedientia, quam illis debent, ob vllam cauſam vel pretextum*: Hæc enim ſunt expreſſa illius Iuramenti verba, quæ tametſi *Card. Peronius*, vt ex toto eius diſcurſu conſtat, de quacunque authoritate temporali, etiam ipſiuſmet *Reipub. ciuilis* Principem hæreticum aut Apoſtatam deponendi intelligenda eſſe contendat, primoque intuitu iſtum ſenſum, quem *Cardinalis* prætendit, habere videantur, ob verba illa generalia, [& *quòd*

non

[n] Vide exemplar Iuramenti *Franciæ* infrà in fine.

non ſit poteſtas in terra, quacunque illa ſit, ſiue ſpiritualis ſiue temporalis &c.] attamen ſi verba immediatè ſequentia, videlicet [*quæ aliquod ius habeat in Regnum Franciæ ad ſacratas Regum noſtrorum perſonas depriuandas* &c.] ritè expendantur, optimum & veriſſimum ſenſum, ſed à mente *Cardinalis* alienum, habere poſſunt: vt nimirum poteſtas illa temporalis, de qua ibi fit mentio, non ad poteſtatem temporalem ipſiuſmet *Regni*, ſeu *Reipublicæ* referenda ſit, cùm ſatis conſtet, nullum Regnum verè & propriè habere ius aliquod, poteſtatem, vel authoritatem ſupra ſeipſum: *Vnde* falsè & ineptè diceretur, *Regnum* Franciæ *habere ius ſupra* Regnum *Franciæ ad ſacratas Regum ſuorum perſonas depriuandas, &c.* Et propterea poteſtas illa temporalis, de qua ibi fit mentio, non de poteſtate temporali ipſiuſmet *Regni* Franciæ, ſed de poteſtate temporali alterius *Regni*, aut *Principis* omnino intelligi debet. Et meo quidem iudicio *Senatores* illi ſapientiſſimi ad illam *Ioannis Tanquarelli* poſitionem à *Senatu Pariſienſi* ſexaginta fermè ab hinc annis, nempe anno Domini 1561. condemnatam, potiſſimùm reſpexiſſe videntur: Hæc autem erat *Tanquarelli* poſitio, *Papa Chriſti Vicarius Monarcha ſpiritualem & ſecularem habens poteſtatem Principes ſuis præceptis rebelles Regno & dignitatibus priuare poteſt.*[o] Quamuis igitur illius Iuramenti verba adeo generalia ſint, vt quamcunque authoritatem ſiue *Summi Pontificis*, ſiue alterius cuiuſcunque *Regni*, aut *Reipub.* omnino excludant, eò tamen potiſſimùm, mea quidem ſententia, tendunt, vt negent eſſe in *Summo Pontifice* vllam omnino poteſtatem ſiue *ſpiritualem*

---

[o] Vide meam *Apologiam* nu. 30.

ritualem ſiue *temporalem, qua vllum ius habeat in Regnum Franciæ ad ſacratas Regum Franciæ perſonas deprivandas*, &c.

25 Sed vtcunque ſit, ſatis conſtat, neque *Regis* noſtri *Sereniſſimi*, neque *Regni Ordinum* mentem fuiſſe in hoc *Angliæ* Iuramento authoritatem *Reipub.* ſed ſolùm *Summi Pontificis* poteſtatem *Principes* deponendi abnegare; neque etiam mihi, qui de iſto Iuramento *Diſputationem Theologicam* confeci, de alia authoritate, quàm de *Papali* Principes abdicandi, quæ ſola in noſtro Iuramento impugnatur, diſſerere inſtitutum erat. Et propterea *Card. Peronius* ſingulari artificio, ne dicam fraude, vſus eſt, dum ad Iuramentum *Franciæ*, & conſequenter noſtrum, (cùm *illud*, vt ipſe ait, [p] *idem planè ſit cum noſtro, niſi quòd noſtrum magis ſuaue & modeſtum ſit*) impugnandum aſſerit, [q] *Scriptores Anglicos non potuiſſe adhuc vel vnicum Theologum aut Iuriſconſultum producere, qui dicat, in caſu hæreſis, vel apoſtaſiæ à religione Chriſtiana ſubditos à Iuramento fidelitatis abſolui non poſſe.* Nam quantumuis nullum omnino Theologum, aut Iuriſconſultum, vno excepto *Barclaio*, protulerim, qui hæc duo pronunciata ſimul defendat, nempe, *Principes* Chriſtianos neque authoritate *Summi Pontificis*, neque *Reipub. ciuilis* ob hæreſim, aut Apoſtaſiam deponi poſſe, (quandoquidem Doctores illi nationis *Gallicanæ*, qui abſolutè & generaliter negant, eſſe in *Summo Pontifice*, ſeu *Eccleſiæ* poteſtatem *Principes* deponendi, & pœnas ciuiles ex *Chriſti* inſtitutione infligendi, communiter teneant, penes *Rempub. ciuilem* eſſe authoritatem in caſu hæreſis vel

[p] pag. 102.

[q] pag. 55

vel apoſtaſiæ *Principem* ſuum deponendi, & ſubditos à temporali fidelitatis obligatione, & conſequenter à religioſo Iuramenti vinculo, quod ad illam confirmandam adhibitum eſt, liberandi) Nihilominus plures tum Theologos tum Iuriſconſultos produxi, qui abſolutè, & abſque vlla exceptione ſeorſim & ſeparatim docent, neque in *Summo Pontifice*, neque in *Repub. ciuili* eſſe poteſtatem *Principes* ſupremos abdicandi, aut naturalis fidelitatis & obedientiæ ciuilis vinculum diſſoluendi.

26 Ex ijs enim Doctoribus, qui affirmant, poſſe *Rempub. ciuilem* in aliquibus caſibus Principem ſuum deponere, plures reperiuntur, quos alibi [r] recenſui, & à calumnijs & exceptionibus D. *Schulckenij* perſpicuè vindicaui, [ſ] qui abſolutè & abſque vlla exceptione affirmant, non poſſe *Summum Pontificem* Principes ſeculares deponere, & *poteſtatem Eccleſiaſticam nullam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ex inſtitutione diuina infligere poſſe, immo nec incarcerare, vt pleriſque Doctoribus placet, ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extendi, vtputa Excommunicationem, reliquas autem pœnas, quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo, ſeu conceſſione Principum eſſe*: Quæ generalis eorum aſſertio falſa eſſet, ſi P*apa* ob villam cauſam, crimen, vel finem *Principes* deponendi, aut pænas temporales ex *Chriſti* inſtitutione infligendi poteſtatem haberet. Si enim P*apa* ob hæreſim, aut in ordine ad bonum ſpirituale pęnas ciuiles infligere poſſet, ſequeretur, poteſtatem Eccleſiaſticam pænas ciuiles infligere poſſe, & non ſolùm ad pęnas ſpirituales infligendas extendi:

r in *Apolog.* et *diſp. Theol.* loc. ſupra cit.

ſ in *Conſutat.* Anglic. *Thom. Fitzh.* part. 1. per totum.

extendi. Et ſi *Papa* Imperatorem, cæteroſq; Principes ob hæreſim, aut in ordine ad bonum ſpirituale deponere poſſet, ſequeretur, poſſe *Papam* Imperatorem, Regem *Franciæ*, cæteroſque *Principes* Chriſtianos ſuis dominijs temporalibus priuare, eoſque deponere, quæ prædicti Doctores abſolutè & ſimpliciter negant.

27 Ex ijs autem Doctoribus, qui poteſtatem *Summi Pontificis* Principes deponendi vehementer admodum propugnant, plures etiam in mea *Apologia* [t] recenſui, qui penitus inficiantur, eſſe in populo ſeu Repub. ciuili authoritatem *Principem* ſuum deponendi. *Solus* Papa *ius*, ſeu *authoritatem habet Imperatorem, & Reges demeritis ſuadentibus priuandi & deponendi*, aiunt *Bartholus*, *Baldus* & *Petrus Andreas Gambara*. Et *Petrus Gregorius* Tholoſanus, tametſi *Gallo-Francus*, aſſerit, penes populum, ſeu *Regni Comitia*, quæ totam Rempub. repræſentant, *non eſſe poteſtatem Principem ſuum ob aliquam cauſam vel crimen temporale deſtituendi*. (Nam ob cauſam merè ſpiritualem, veluti hæreſim, quæ ex eius ſententia ad forum Eccleſiæ duntaxat pertinet, talem poteſtatem *Principes* deponendi *Summo Pontifici* attribuit.) Quapropter illud factum *Franciæ Procerum*, qui *Hildericum* deſtituerunt, & *Pipinum* inſtituerunt, non approbat: Et expreſsè affirmat, *Carolum Martellum* Pipini *patrem exemplo* Arbacis, *qui inſurrexit eadem occaſione in Regem* Perſarum *Sardanapalum, regnum vſurpaſſe*: Et reprehendit etiam *Pontificem* illum Romanum, *qui* Pipinum *in Italiam contra ſibi infeſtos* Longobardos *vocauit, venientemque abſoluit à iuramento præſtito Regi ſuo*

[t] nu. 411.

Barth. leg ſi *Imperator* Cod. *de legibus* nu. 4. *Bald.* in proœmio ff. vet.

Gam. in *tract.* de Officio & poteſt. *Legati* lib. 2. tit. de varijs *Ordinariorũ* nominibus

Greg. Tholoſ. lib 26. de Repub. cap. 5.

Hilderico, *illo inaudito, non vocato, indefenſo, nec accuſato, aut delato, vt ait* Abbas Vrſpergenſis, & Eutropius *lib.* 22. Et paulo infra, *Sed & quamuis*, ait ille, *concederemus, propria authoritate ad ſuggeſtionem* Pipini *priuatum fuiſſe Regno* Hildericum, *& illud tranſlatum ad eundem* Pipinum, *potuit decipi* Summus Pontifex *vel propria opinione, quod voluerit arma in ſui ſubſidium inuocata cum detrimento alterius remunerare.* Atque ob hanc potiſſimum cauſam, vti exiſtimo, *Scriptores Gallici* communiter tenent, Rempub. ciuilem eſſe in nonnullis caſibus *Rege* ſuperiorem, illumque iudicandi poteſtatem habere, vt nimirum hoc factum P*rocerum Franciæ Regem* ſuum legitimum deponentium à manifeſto rebellionis, & *læſæ Maieſtatis* crimine facilius excuſarent.

Carer. de poteſt. Rom. Pont. l. 2. c. 3.

28 *Denique*, vt alios Autores à me ibidem relatos taceam, *Alexander Carerius*, vehemens alioquin ſupremæ Summi *Pontificis* etiam in temporalibus Monarchiæ propugnator, eandem ſententiam ſequitur: *Qui nullum*, inquit ille, *Iudicem habet in terris, vtique plures Iudices eum iudicare non poſſe fatendum eſt. Negata enim ſingularitate per verbum collectiuum & vniuerſale, pluralia negata cenſentur. Conſtat itaque, vt ſuprà dictum eſt, Barones & populos ex defectu poteſtatis coactiuæ, quam Vaſalli non habent in Dominum ſuum, non poſſe Principem ſuum iudicare, nec deponere.* Et cap. pręcedenti reſpondens *Carerius* authoritati *Ariſtotelis*, qui 3. Polit. dicit, *communitatem bene ordinatam poſſe Principem punire, loquitur*, inquit, *Philoſophus de Rege, qui per electionem communitatis inſtituitur: Talis enim punitur & depo-*

deponitur per communitatem, quæ illum principaliter inſtituit, ſicut Veneti *&* Ianuenſes, *qui ſibi Ducem eligunt, & ſi contra Rempub. delinquat, eum deponere poſſunt: Secus de Rege, qui naturaliter, & ex ſucceſſione, & ex certa ſtirpe regnat.* Atque hæc *Carerij*, & aliorum ſententia communi Sanctorum *Patrum*, quos alibi [u] commemoraui, doctrinę conſentanea eſt, qui expreſsè affirmant, *Imperatorem*, *Reges*, cæteroſque *Principes ſupremos*, cùm à *Deo* ſecundi ſint, & ſolo *Deo*, vtpote in temporalibus minores, à ſolo *Deo*, pęnis nempe temporalibus, caſtigandos eſſe. Atque hinc ſatis perſpicuum eſt quam artificioſè, ne dicam doloſè, *Card. Peronius* grauiſſimam hanc de *Principibus* deponendis controuerſiam tractet, & Lectori Catholico fucum faciat. Nam *primò* has duas quæſtiones de authoritate *Summi Pontificis*, & *Reipub. ciuilis* Principes deponendi confundit, & in vna quæſtione fraudulenter inuoluit: & *deinde* affirmat, *Scriptores Anglicos nullum omnino aut Theologum, aut Iuriſconſultum produxiſſe, qui dixerit, Principes in caſu hæreſis, vel Apoſtaſiæ non poſſe*, nempe, neque per Summum Pontificem, neque per Rempub. ciuilem, *deponi*; quod ſanè veriſſimum eſſe facilè concedam, cùm mihi inſtitutum non eſſet, aliquem authorem producere, qui hæc duo ſimul affirmaret, nempe, non poſſe *Principes*, neque per *Summum Pontificem*, neque per *Rempub. ciuilem* in aliquo caſu deponi; ſed ſi has duas quæſtiones diſtinguere velimus, & de illis ſeorſim & ſeparatim tractare, clariſſimum eſt, me tum plures Theologos & Iuriſconſultos in medium protuliſſe,

[u] in detectione *calumniarũ* Domini Sculkenij *calumnia* 17.

liſſe, qui dixerint, non poſſe *Rempub ciuilem* Principem ſuum iudicare aut priuare, tum plures etiam Theologos & Iuriſconſultos produxiſſe, qui dixerint, non poſſe *Summum Pontificem* Principes deponere, neque poteſtatem Eccleſiaſticam ex diuina inſtitutione vllam pœnam ciuilem, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. infligere poſſe, ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem, veluti Excommunicationem, infligendam extendi.

28 Aliud etiam artificium eiuſdem *Cardinalis Peronij* in eo eſſe poteſt, quod toties in ſua oratione *ſacram* & *religioſam* Iuramenti *obligationem* inculcet, & de *ciuili* ac *naturali* fidelitatis vinculo mentionem rariſſime faciat. Nam illud forſan de induſtria eo fine ab illo factum eſt, vt diſcurſum ſuum circa poteſtatem *Summi Pontificis*, ſeu *Eccleſiæ*, à fidelitatis iuramento abſoluendi auditorum mentibus minus ingratum redderet, quandoquidem Iuramentum res *ſacra* eſt & *ſpiritualis*, & proinde naturæ & obiecto poteſtatis ſpiritualis ſatis accommodata: & communis omnium Theologorum ſententia eſt, poſſe *Summum Pontificem* à Iuramentis abſoluere, vel relaxando & tollendo directè *ſpirituale* illud Iuramenti vinculum, ſeu obligationem, vel ſolùm declarando, rem illam, quæ Iuramento promittitur, non eſſe hîc & nunc in hoc caſu particulari idoneam & ſufficientem materiam iuramenti: ſed temporalis fidelitas, & Regna temporalia ſunt res temporales, & propterea ſi *Cardinalis* perſpicuè aſſeruiſſet, quod *Summus Pontifex* vi poteſtatis ſuæ ſpiritualis poſſit de rebus temporalibus diſponere,

fidelitate temporali ſubditos abſoluere, & Regna temporalia, *Principumque* Coronas auferre, conferre, & transferre, hoc *Francorum* auribus (qui ſemper quaſi pro certo tenuerunt, *non poſſe Papam Regem* Francię *Regno priuare nec de eo alio quonis modo diſponere*, neque poteſtatem Eccleſiaſticam, *vt plerisque Doctoribus placet*, ad vllam pœnam ciuilem infligendam ex diuina inſtitutione extendi) plurimùm profectò diſplicuiſſet.

30 Veruntamen ad præſentem inter me & Aduerſarios de poteſtate *Papali* Principes deponendi, & ſubditos à ciuili & naturali fidelitatis vinculo abſoluendi controuerſiam parum refert, quòd *Papa ſacrum* & *religioſum* Iuramenti vinculum (cum res *ſacra* & *ſpiritualis* ſit) tollere, vel ab eo abſoluere queat. Nam, vt rectè aduertit *Ioannes Pariſienſis*, [x] & ego etiam alias [y] obſeruaui, ex eo quòd Papa *ſacrum*, *ſpirituale*, & *religioſum* Iuramenti vinculū tollere, aut relaxare poſſit, non ſequitur, poſſe Papam *naturale*, & *ciuile* temporalis fidelitatis vinculum, quo omnes ſubditi ex lege Dei & naturæ ſuis *Principibus* obſtricti ſunt, priuſquam aliquod iuramentum emiſerunt, tollere aut relaxare: cùm naturalis obligatio temporalis fidelitatis optimè conſiſtere poſſit, etiamſi nullum omnino Iuramentum ad eam confirmandam accedat, & pauciſſimi ſint ſubditi comparatione aliorum, qui tale fidelitatis iuramentum *Principibus* præſtant. Et propterea ob hanc fortaſſe cauſam *Card. Peronius* potiùs de poteſtate *Papali* ſubditos à *fidelitatis iuramento*, id eſt, *ſacro*, & *religioſo* vinculo abſoluendi diſcurrere maluit, quàm de poteſtate *Papali* Principes deponendi,

[x] de poteſt. *Reg* & *Papali* cap. 16.

[y] in *Diſput. Theol.* cap. 7. ſec. 3.

& de eorum Coronis ac Capitibus in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi: Sed tametſi *Principum* internecionem authoritate *Papali* faciendam execrari videatur *Cardinalis*, eam tamen ex poteſtate *Papali* Principes deponendi, & de rebus omnibus temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi manifeſtè ſequi, tum me perſpicuè demonſtraſſe, [z] tum *Franciſcum Suarez*, id ingenuè agnouiſſe, ipſummet *Cardinalem Peronium* latere procul dubio non poterat.

31. Alio etiam ſingulari artificio idem *Cardinalis* in decreto *Lateranenſis Concilij*, de quo in hac *Diſcuſſione* potiſſimùm egimus, Gallicè reddendo vſus eſt. Nam (vt taceam, quam parum verè & ſincerè verba illa poſtrema, *vt extunc ipſe Vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos*, quæ verba ſignificare poſſunt, *Papam* Vaſallos à fidelitate non abſoluere, ſed abſolutos eſſe tantùm denunciare, ipſe *Gallicè* reddat, [a] *vt extunc ipſe ſubditos eius à iuramento fidelitatis abſoluat, a fin qu'il abſolue ſes ſubiects du ſerment de fidelitè*) prima illa verba, *Si vero Dominus temporalis* &c. de quibus tota inter me & Aduerſarios controuerſia exiſtit, ipſe mira fraude *Gallicè* vertit, *Si aliquis Princeps* &c. *Si quelque Prince* &c. cùm tamen ignorare vix potuerit, inferiores tantùm Dominos temporales, & non *Reges* ac *Principes* ſupremos in materia odioſa generalibus Dominorum temporalium nominibus, ex doctiſſimorum Theologorum ac Iuriſconſultorum ſententia, deſignari: Et tametſi ipſe fortaſſe exiſtimet, in illo decreto, non ſolùm inferiores Dominos temporales, ſed etiam *Imperatores*, ac *Reges* ſub generalibus Dominorum

minorum

[z] In Apolog. nu. 43. & ſeq. *Suarez* in Defenſ. fidei Catholicæ &c. lib. 6. cap. 4. nu. 10. vide etiam meam *Appendic.* contra *Suarez* part. 1. ſec. 9.

[a] pag. 35.

minorum temporalium nominibus comprehendi, quod nihilominus perſpicuè antea refutauimus, attamen verba illa, *Si verò Dominus temporalis* &c. *Gallicè* reddere, *Si quelque Prince* &c. *Si aliquis Princeps* &c. ac ſi Concilium *Principes* ipſos in eo decreto proprio *Principum* nomine expreſſiſſet, profectò à manifeſta corruptione, in eo præſertim, qui verba aliqua ex vno idiomate in aliud transferendi in ſe munus ſuſcepit, excuſari neutiquam poteſt. Qui enim verba transfert, non tam ſenſum quem ipſe imaginatur, quàm ipſamet verba eorumque proprietatem reſpicere debet, quando præſertim de ſenſu illo quem ipſe prætendit, magna inter ipſum & alios controuerſia exiſtit: At *Cardinalem* latere non poterat, me ſemper contendiſſe, idque ſatis perſpicue commonſtraſſe, illis *Concilij* verbis, *Si verò Dominus temporalis* &c. inferiores tantum Dominos temporales ex ſupremorum conſenſu, & non ipſos ſupremos *Principes* cum materia ſit odioſa & pænalis, deſignari. Ait præterea *Cardinalis*, [b] *Matthæum Paris dicere, Concilium* Lateranenſe *feciſſe* 60. *ſeu* 70. *decreta*, cùm tamen *Matthæus Paris* ſolùm aſſerat, vt ſupra [c] vidimus, *recitata fuiſſe in pleno Concilio* 60. *ſeu* 70. *capitula, quæ alijs placabilia, alijs videbantur oneroſa.*

32 Mitto nunc plurima alia egregia *Cardinalis Peronij* artificia, cùm ea *Rex* noſter *Sereniſſimus* eleganter admodum, & perſpicuè detexerit. Neque ego pro ſumma, qua eum ob ſingularem eius eruditionem, & honoris amplitudinem veneratione proſequor, hæc eius artificia commemoraſſem, niſi ipſe me meamque doctrinam ſcriptis publicis

[b] pag. 34.

[c] part. 1. ſec. 1.

blicis mira arte, ne dicam fraude, perſtrinxiſſet, & plures Catholicos artificioſa hac ſua, parumque ſincera huius grauiſſimæ quæſtionis tractatione in errorem pertraxiſſet. Non igitur mihi ſuccenſebit, vti ſpero, *Dominatio* ſua *Illuſtriſsima*, ſi in hac grauiſsima controuerſia diſcutienda nihil aliud quam veritatem quærat, quòd ego veritatis dilucidandæ, & proprię innocentiæ defendendæ gratia hæc illius artificia, cum omni, qua decet, debita reuerentia, patefacere auſus fuerim.

33 Vtinam denique *Dominatio* ſua *Illuſtriſsima* palam & perſpicue nobis declararet, vtrùm ſi *Doctores Pariſienſes*, qui firmiter tenent, doctrinam illam de ſuperioritate *Concilij* generalis in *Papam* eſſe veram, verbo Dei, & generalium *Conſtantienſis* & *Baſileenſis* Conciliorum definitionibus conſonam, & conſequenter contrariam eſſe falſam, verbo Dei, & Conciliorum generalium decretis repugnantem, & proinde impiam & deteſtabilem, publico decreto ſancirent, vt quiuis ex ſua Facultate in publicis ſuis Lectionibus, Diſputationibus, & libris ſuam doctrinam omnino defenderent, neque contrariam etiam vt probabilem tuerentur, vel ſi Facultas Theologica Academiæ *Moguntinenſis*, quæ firmiſsimè ſentit, doctrinam illam pro immaculata B. *Virginis* Conceptione eſſe veram, verbo Dei & *Baſileenſis* Concilij decreto conſentaneam & conſequenter contrariam eſſe falſam, impiam, deteſtabilem, & Dei verbo contrariam, publico etiam decreto *omnino decerneret, & ſtatueret ſentiendum* (vti eam feciſſe *Surius* affirmat, *imitata*, inquit ille, *Synodi* Baſileenſis *decretum, itemque* Pariſienſes, & Coloni-

Surius ad annum 1501.

enſes *Theologos*) *Beatiſſimam Dei genitricem ſine labe peccati originalis conceptam, idque ſingulari quodam priuilegio & grauiter ſanciret, deinceps neminem in ea Academia promoueri debere in ſacra Theologia, niſi iuramento interpoſito prius fidem daret, ſe diuerſam opinionem neque animo retenturum, neq; quouis modo approbaturũ:* Et ſimilis quæſtio fieri poteſt de auxilijs gratiæ inter *Ieſuitas*, & *Dominicanos* tanta contentione agitata, vt vtrique ſuam doctrinam eſſe veram, & verbo Dei conſonam, & contrariam falſam & verbo Dei repugnantem, ac proinde impiam, & deteſtabilem eſſe opinentur: Vtrum, inquã, hinc rectè inferri queat, idcirco Doctores illos velle fidei articulum determinare ac definire, manifeſtum & ineuitabile ſchiſma in Dei Eccleſiam inducere, immo & in hæreſim apertam homines præcipitare, eoſque exiſtimare, *Summum Pontificem*, ſi idem cum illis non ſentiat, non eſſe Caput Eccleſiæ & Chriſti *Vicarium*, ſed hæreticum & *Antichriſtum*, & reliquas omnes Eccleſiæ partes, quæ contrariam doctrinam amplectuntur, non veras *Eccleſiæ* partes, ſed membra *Antichriſti*, & hæreſi atque anathemate contaminatas. Harum enim quæſtionum elucidatio non exiguam viris eruditis lucem afferret, qua clarè perſpicere poſſent, quantulam vim habeant præcipua omnia argumenta & incommoda, quæ *Card. Peronius* in hac ſua Oratione magis artificioſa, quàm ſolida, & Oratore magis quàm Theologo digna aduerſus Iuramentum *Franciæ* ſuperflua verborum prolixitate exaggerat.

Finis.

Exemplar illius articuli extractum eſt ex libro, cui titulus eſt, *Apologie pour l'Article premier du Tiers Eſtat.* 1615. pag. 4.

Exem-

Exemplar

Primi articuli, ſeu Iuramenti, *quod in Comitijs generalibus* Lutetiæ *anno Domini* 1614 *celebratis* Tertia pars *Ordinum* Regi *Francorum* Chriſtianiſsimo *ab eo confirmandum propoſuit*.

Exemplar iſtius articuli extractum eſt ex libro, cui titulus eſt, *Apologie de l'Article premier du Tiers Eſtat*. 1615. pag. 4.

QVE pour arreſter le cours de la pernicieuſe doctrine, qui s'introduit depuis quelques annees, contre les Roys, & puiſſances ſouueraines eſtablies de Dieu, par eſprits ſeditieux qui ne tendent qu'à les troubler & ſubuertir; le Roy ſera ſupplié de faire arreſter en l'aſſemblee de ſes Eſtats, pour loy fondamentale du Royaume, qui ſoit inuiolable, & notoire à tous: que comme il eſt recogneu ſouuerain en ſon Eſtat, ne tenant ſa couronne que de Dieu ſeul, il n'y a puiſſance en terre, quelle qu'elle ſoit, ſpirituelle ou temporelle, qui ayt aucun droit ſur ſon Royaume, pour en priuer les perſonnes ſacrees de nos Roys, ny diſpencer, ou abſondres leurs ſuiets de la fidelité, & obeiſance qu'ils luy doiuent, pour quelque cauſe, ou pretexte que ce ſoit: que tous les ſubiets, de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, tiendront ceſte loy pour ſaincte & veritable, comme conforme a la parole de Dieu, ſans diſtinction, equivoque, ou limitation quelconque, laquelle ſara iuree & ſignee par tous les Deputez des Eſtats, & doreſnauant par tous les Beneficiers, & Officiers du Royaume, auant que d'entrer en poſſeſſions de leurs benefices, & d'eſtre receuz en leurs Offices: tous Precepteurs, Regens, Docteurs, & Predicateurs tenus de l'enſeigner, & publier que l'opinion contraire, meſme qu'il ſoit loiſible de tuer & depoſer nos Roys, l'eſleuer & rebeller contre euz, ſecoüer le ioug de leur obeiſſance, pour quelque occaſion que ce ſoit, eſt impie, deteſtable, & contre verité, & contre l'eſtabliſſement de l'Eſtat de France, qui ne dépend immediatement que de Dieu: que tous liures qui enſeignent telle fauſſe & peruerſe opinion, ſeront tenus pour ſeditieuz, & blaſmables: tous eſtrangers qui l'eſcriront, & publieront, pour ennemis iurez de la couronne: tous ſujets de ſa Maieſté qui y adhereront, de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, pour rebelles, infrateurs des loix fondamentales du Royaume, & criminels de leze-Maieſté au premier chef: & ſ'il ſe trouue aucun liure, ou diſcours eſcrit par Eſtranger Eccleſiaſtique, ou d'autre qualité, qui contienne propoſition contraire a la dite loy, directement, ou indirectement, ſeront les Eccleſiaſtiques de meſme Ordre eſtablis en France, obligez d'y reſpondre, les impugner & contredire inceſſament ſans reſpect, ambiguité, ny equiuocation, ſur peine d'eſtre punis de meſmes peines que deſſus, comme fauteurs des ennemis de cét Eſtat.

Ad reprimendum curſum, ſeu progreſſum, pernicioſæ illius doctrinæ, quæ contra Reges & poteſtates ſupremas à Deo ſtabilitas, per ſpiritus ſeditioſos, qui non niſi ad eas turbandas, & ſubuerten-

uertendas reſpiciunt, aliquot ab hinc annis introducta eſt, *Regiæ Maieſtati* humiliter ſupplicandum eſt, vt in horum *Ordinum* Conuentu in legem Regni fundamentalem, quæ ſit inuiolabilis, & omnibus manifeſta ſanciendum faciat, quòd cùm ipſe in ſuis Dominijs ſupremus recognoſcatur, neque ab alio, quàm à Deo ſolo ſuam Coronam tenens, non ſit poteſtas in terra, quęcunque illa ſit, ſiue ſpiritualis, ſiue temporalis, quæ iu aliquod habeat ſupra ſuum Regnum ad ſacratas Regum noſtrorum perſonas depriuandas, neque ad diſpenſandum, vel abſoluendum eorum ſubditos à fidelitate & obedientia, quam illis debent, ob vllam cauſam, vel prætextum quemcunque. Quòd omnes ſubditi, cuiuſcunque qualitatis & conditionis fuerint, hanc legem, vti verbo Dei conſentaneam, pro ſancta & vera abſque diſtinctione, æquiuocatione, vel limitatione quacunque propugnabunt. Quam legem omnes Ordinum deputati, & poſthâc omnes Beneficiarij, & Officiales Regni, priuſquàm in ſuorum Beneficiorum poſſeſſionem veniant, & ad ſua Officia admittantur, iuramento firmabunt, & conſignabunt: Omnes Magiſtri, Regentes, Doctores, & Prædicatores palam docere, & publicare tenebuntur, opinionem contrariam, quòd ſcilicet licitum ſit ob vllam cauſam Reges noſtros occidere, & deponere, contra eos inſurgere, & rebellare, obedientiæ iugum excutere, eſſe impiam, deteſtabilem, contra veritatem, & ſtabilimentum Status Francię, qui non niſi à Deo immediatè dependet: Quòd omnes libri, qui talem falſam, & peruerſam opinionem docebunt, pro ſeditioſis,

& animaduerſione dignis habebuntur: Omnes extranei, qui eam ſcriptis docebunt, & euulgabunt, pro iuratis Coronę inimicis; Omnes ſuæ *Maieſtatis* ſubditi qui illi adhærebunt, cuiuſcunque qualitatis & conditionis fuerint, pro rebellibus, legum Regni fundamentalium violatoribus, & criminis læſę *Maieſtatis* in ſupremo capite reis: Et ſi contigerit, aliquem librum, vel diſcurſum ab aliquo Eccleſiaſtico extraneo, vel alterius qualitatis perſona conſcriptum eſſe, qui propoſitionem dictæ legi directè, vel indirectè contrariam contineat, tenebuntur Eccleſiaſtici eiuſdem Ordinis in Francia ſtabiliti illis reſpondere, impugnare, & contradicere, omni cunctatione abiecta, ſine reſpectu, ambiguitate vel æquiuocatione, alioquin tanquam Status iſtius inimicorum fautores pænis ſuperiùs commemoratis ſubiacebunt.

FINIS.